

CONCILIUM
LENARIUM
MERICAE LATINAE

ACTA
ET DECRETA

BX832
.1899
A3

004217



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080015399

ACTA ET DECRETA

CONCILII PLENARII

AMERICAE LATINAE

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Iglesia Católica.

ACTA ET DECRETA

CONCILII PLENARII

AMERICAE LATINAE

IN URBE CELEBRATI

ANNO DOMINI MDCCCXCIX

ROMAE
TYPIS VATICANIS
—
MDCCCC.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Velverde y Tellez

Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

41415

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Bx 832
.1899
A3

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS

NEMINI LICEAT
SINE VENIA SANCTAE SEDIS
HOC VOLUMEN REIMPRIMERE.

IMPRIMATUR:
Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR:
Josephus Ceppetelli, Archiep. Myr., Vicesgerens.

FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS DECRETA

CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE

PUBLICANTUR ET PROMULGANTUR.

LEO PAPA XIII.

Iesu Christi Ecclesiam, qua late patet, tueri, eiusque utilitates ubique terrarum provehere, Pontificum Romanorum munus est atque officium. Nos igitur, quibus, licet immeritis, id modo muneris, Deo disponente, commissum est, uti ceteras catholicorum nationes, sic lectissimas Americae Latinae gentes, curas studiumque Nostrum desiderare nunquam permisimus. Ut enim christianae pietatis laude et ecclesiasticae disciplinae vigore semper florerent magis, cum multa alia opportunis temporibus praestitimus, tum Archiepiscopis et Episcopis universis auctores fuimus, ut coire in plenarium Concilium placeret. Id Nobis perutile summeque efficax videbatur: cognoscere enim de necessitatibus singularum ecclesiarum nulli melius possent,

004217

quam qui eas regere a Spiritu Sancto sunt positi; collatae autem Pastorum omnium sententiae cavere fidelibus pericula, disciplinae prospicere, cleri populique bono consulere aptius et validius valerent. – Quum vero et Concilium habendum unanimes sensissent Episcopi; et, pro ipsorum in Beati Petri Cathedram observantia atque amore, sedem Concilio nullibi quam Romae, in Nostris oculis, eligendam duxissent; Nos, datis die XXV Decembris MDCCCXCVIII Apostolicis Litteris *Cum diuturnum*, Concilium ipsum Romam convocavimus. – Sic demum coivere Antistites. Quaque primum animorum concordia, nullo varietatis gentium respectu habito, grave opus sunt aggressi; eâdem prosecuti, fausto optatoque exitu expediverunt. Nec minor concordiâ voluntas fuit impensusque labor; ut mirum non fuerit Concilium brevi spatio absolutum, quaeque tractanda proponebantur, agitata sapienter, gravibusque sententiis ac legibus decreta fuisse. – Ipso autem Concilii tempore, non destitere Patres perpetua Nobis pietatis et obsequii exhibere argumenta; quae Nobis quam grata acciderent, coram, plus simplici vice, professi sumus. Ut vero Venerabilibus Fratribus benevolentiam Nostram ulterius testaremur, S. R. E. Cardinalium peculiarem coetum designavimus, quibus, nomine et auctoritate Nostris, Decreta Concilii cognoscenda

commisimus. – Quod cum ii, maturitate maxima diuturnoque studio, perfecerint; Nos, Patrum Concilii plenarii primi Americae Latinae desiderio obsequentes, Decreta Concilii eiusdem, ab Apostolica Sede recognita, praesentibus his Nostris Litteris publicamus, simulque edicimus ut eadem, per Apostolicas has ipsas Litteras, quibuscumque minime obstantibus, in universa America Latina singulisque dioecesibus, ab omnibus ut publicata ac promulgata censeantur ac sedulo observentur. Faxit Deus, ut quae a tot Pastoribus, providenti amantique animo, sancita sunt atque a Nobis recognita, eadem in singularum Ecclesiarum bonum et splendorem cedant.

Datum Romae, sub annulo Piscatoris, die prima mensis Ianuarii anni millesimi nongentesimi, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

LEO PP. XIII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ACTA CONCILII.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ACTA CONCILII

LITTERAE APOSTOLICAE
INDICTIONIS CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE

VENERABILIBUS FRATRIBUS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS EX AMERICA LATINA

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Cum diuturnum recolimus Pontificatus Nostri cursum, nihil unquam praetermisisse videmur, quod ad constabiliendum in istis gentibus promovendumque Christi regnum pertineret. Rerum quidem, quas Deo opitulante adhuc vestra causa gessimus, manet apud vos memoria et gratia, Venerabiles Fratres; quorum navitati diligentiaeque illa providentiae Nostrae officia haud frustra commendavimus. — Nunc vero Nostri erga vos animi novum extare documentum volumus; id quod iamdiu Nobis in optatis fuit. Etenim ex quo tempore saecularia sollemnia agebantur quartum, ob memoriam detectae Americae, sedulo cogitare coepimus, qua potissimum via communibus rationibus latini nominis, novum orbem plus dimidia parte obtinentis, prospicere possemus. Optimum autem ad eam rem fore perspeximus, si quotquot essetis ex istis civitatibus Episcopi consultum inter vos, invitatu et auctoritate Nostra, conveniretis. Siquidem conferendis consiliis sociandisque prudentiae fructibus, quos cuique vestrum usus rerum peperisset, apte per vos provisum iri intelligebamus, ut apud eas gentes, quas idem aut

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

certe cognatum genus coniunctas teneret, unitas ecclesiasticae disciplinae salva consisteret, vigescerent digni catholica professione mores, atque concordibus bonorum studiis Ecclesia publice floreret. Illud etiam magnopere suadebat initum exequi consilium, quod vos, sententiam rogati, huiusmodi propositum ingenti cum assensu excepissetis. — Ut autem venit perficiendae rei maturitas, optionem vobis fecimus, Venerabiles Fratres, ut eligeretis locum, ubi id habendum esse Concilium videretur. Porro autem vos maximam partem significastis coituros libentius Romam, ob eam quoque causam, quod pluribus vestrum expeditior huc pateret aditus, quam propter difficillima istic itinera ad longinquam aliquam Americanam urbem. Huic declarationi sententiae vestrae, quae non leve habebat indicium amoris in Apostolicam Sedem, fieri non potuit, quin magna a Nobis comprobatio accederet. Quamquam moleste ferimus, qua nunc conditione sumus, ademptam Nobis facultatem, unde vos, Romae dum eritis, tam liberaliter honesteque tractemus, quam velimus. Igitur sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis habet iam a Nobis in mandatis, ut Concilium Episcoporum omnium e rebuspublicis Americae Latinae Romam convocet in annum proximum, atque opportune praescribat, quas illud ad leges dirigi oporteat.

Interea coelestium munerum auspicem, testemque benevolentiae Nostrae vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque singulis concredito, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, ipsa die natali D. N. Iesu MDCCCXCVIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo primo.

LEO PP. XIII.

Litterae circulares S. Congregationis Concilii ad Ordinarios dioecesanos Americae Latinae universae, de plenario Concilio.

Rme Domine uti frater,

Cum SSmus D. N. pro sua, qua tenetur omnium Ecclesiarum sollicitudine, ad consulendum variis gravibusque Americae Latinae necessitatibus plenarium Episcoporum universae huius regionis Concilium cogendum censuerit, idque Apostolicis litteris « *Cum diuturnum* », - diei 25 elapsi mensis Decembris - indixerit; ut rite et ordinate omnia procedant, S. Concilii Congregationi commisit ut normas tradat, quibus tempus ac modus conveniendi determinate praefiniantur.

Iussa itaque Sanctitatis Suae faciens, S. Congregatio omnes et singulos Archiepiscopos atque Episcopos Rerum-publicarum Americae Latinae praesentibus litteris monet:

1.° Plenariam hanc Synodum Romae in aedibus Collegii Pii Latini Americani esse celebrandam, et dominicam diem, 28 Maii huius anni, SSmae Trinitati sacram, primo congressui esse assignatam.

2.° Synodo interesse debere omnes in primis Archiepiscopos. Quod si quis legitime impeditus venire non possit, Episcopum seligat, qui eum in Concilio substituat, edocta hac de re S. Congregatione.

3.° Convenire pariter debere, et superiori lege teneri singulos Episcopos, qui in aliqua Republica soli inveniantur, quales sunt Episcopi S. Iosephi de Costarica, de Comayagua, de Nicaragua, S. Salvatoris in America centrali et de Paraguay.

4.° Quoad caeteros vero, cum haud conveniens visum sit durante Concilii tempore vastissimam hanc mundi partem propriis pastoribus omnino destitui, ideo SSmus D. N. singulis cuiusque ecclesiasticae provinciae Suffraganeis obligationem veniendi non imponit, sed mandat ut unusquisque Metropolita suffraganeos Episcopos congreget, qui unum vel plures ex Venerabilibus suis confratribus eiusdem Provinciae eligant et suo loco ad Synodum delegent.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

5.° Praeterea vero in mox dicto provinciali conventu debebunt Episcopi animadversiones accurate expendere, quas circa schema ab exordio propositum Episcopus quisque faciendas censuit, quaeque hisce litteris adiunctae exhibentur, mentemque suam ac sententiam in omnibus proferre, ut Episcopus vel Episcopi provinciae delegati eam valeant in Synodo exponere ac declarare.

6.° Quod si quis legitima causa prohibeatur, quominus provinciali huic conventui adsistat, votum suum tam quoad praedictas animadversiones, quam quoad Episcopum vel Episcopos ad plenariam Synodum deputandos, ad Archiepiscopum in scriptis mittere teneatur, ut de eo debita ratio haberi queat.

Plurimum interest ad Dei gloriam et ad bonum animarum assequendum haec omnia fideliter servari, ut ex plenaria hac Synodo, Dei adiuvante gratia, optati ac salutares fructus uberrime consequantur. Quod et futurum S. Congregatio apprime auspicatur et confidit.

Datum Romae, ex S. C. Concilii, die 7 Ianuarii 1899. — A. Card. Di Pietro, *Praef.* — † B. Archiep. Nazianzen., *Pro-Secret.*

Monitum. — *Rmi Archiepiscopi et Episcopi ad Concilium venientes faveant secum ferre Schema Decretorum.*

Litterae Patrum Concilii ad SSmum D. N. Leonem Papam XIII.

Beatissime Pater,

Episcopi Ecclesiarum Americae Latinae, Plenario Concilio hesterna die rite auspicato, unanimi consensu emisere votum sese sternendi ad Pedes Sanctitatis Tuae, petituri Apostolicam Benedictionem, antequam negotiis in Concilio tractandis manus admoveant.

Antistites Americae Latinae iure gestiunt grati animi sensus iterare Sanctitati Tuae ob curam praecipuam quam ostendit erga ipsorum Ecclesias; maximeque gaudent quod, remotis ac superatis omnibus, quaecumque obstare videbantur, potuerint consiliis Sanctitatis Tuae sapientissimis respondere, atque ita haud mediocre solatium afferre Patri amantissimo, seque instrumenta fieri quodammodo novae addendae laudis Pontificatui Tuo, iam plane glorioso, quod primum nunc viderit collectum Plenarium Concilium ex Latinis Ecclesiis Americae.

Quod vero locum habendo Concilio Romam Episcopi elegerint, illud etiam prae oculis habuerunt ut obsequii testimonium Apostolicae Sedi peculiare exhiberent, ut Sanctitati Tuae ipsi se sisterent, ut ad Apostolorum sepulcra eam sapientiam haurirent, qua magis idonei efficerentur in iis decernendis quae ad rem catholicam in suis regionibus provehendam apprime pertinerent.

Faxit Deus ut a Nobis susceptum opus possit Sanctitatis Tuae consiliis et propositis respondere, Eidemque probari, ut uberes religioni afferat fructus, cuius ab incremento ipsius civilis societatis prospera conditio maxime pendet.

Hanc nacti occasionem, iidem Antistites gratias Sanctitati Tuae agunt maximas, quod hoc benevolentiae testimonio eos fuerit prosequuta, ut S. Romanae Ecclesiae Princeps Cardinalis daretur *praetes ad honorem* habendis publice comitiis, itemque quod Archiepiscopos Americae Latinae voluerit singulis sessionibus praeesse, eosdemque, dum sua quisque vice hoc munere fungitur, Delegati Apostolici honore insignitos haberi.

Ecclesiae Americae Latinae Episcopi Deo supplices fundunt preces, ut velit quam diutissime tueri ac servare Sanctitatem Tuam, cuius in Pontificatu maximo regimen id spectavit constanter, ut novum quoddam vitae robur adderetur gentibus, quod quidem non aliunde expectari potest nisi ex reditu ad principia illa sanctissima quae tot Apostolicis Litteris summa sapientia conscriptis Sanctitas Tua commendavit ac retinenda praecepit, ex arctiore in dies cum Sede Apostolica confunctione, erga Eum denique qui Christi in terris vicem gerit, stabili obsequio atque firmissimo.

Sanctitatis Tuae

Humillimi et Obsequentissimi Filii.

Omnes Archiepiscopi et Episcopi praesentes subscripserunt.

Romae, die 29 Maii a. D. 1899.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SS. D. N. LEO PP. XIII
RESPONDIT SEQUENTIBUS LITTERIS APOSTOLICIS:

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Concilium plenarium vestrum, dudum exoptatum, diutinisque curis dispositum, coactum demum esse et vos iure laetamini et Nos cummaxime gratulamur. Eadem autem Nobis vobisque laetitiae capiundae ratio: de coetu enim vestro spem optimam portendimus universi, quod uberrimas utilitates Americae latinae populis sit pariturus. Qua quidem spe eo Nos firmius tenemur quod et alacritatem perspeximus, qua, licet tam longe dissiti, Romam quisque vestrum libens convenit; et concordiam summam mirati sumus, qua, diversitate gentium posthabita, operam laboremque Concilii tractationibus unanimes impenditis. Accedit porro ad fiduciam Nostram firmandam studium et obsequium in Apostolicam Sedem, quae in ipso Concilii exordio testari placuit, datis ad Nos litteris officii observantiaeque plenis. Ex qua profecto coniunctione vestra cum Cathedra Beati Petri, amplissima divinae gratiae subsidia coetui vestro demeretis, ut quae secundis adeo auspiciis sunt coepta, secundissimis etiam eventibus absolvantur. De benevolentia autem Nostra, Venerabiles Fratres, nihil plane est quod dubitetis: eam praestitimus, quum, magna animi iucunditate, singulos alloquuti sumus: praestitimus etiam, quum, ad augendam conventui vestro dignitatem, aliquot e Cardinalium Collegio in publicis Comitiis praeesse ad honorem per-

misimus. Eius praeterea testem Apostolicam benedictionem esse volumus, quam, munerum coelestium auspicem, vobis universis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIII Iunii MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

LEO PP. XIII.

CAEREMONIALE CONCILII

METHODUS SERVANDA IN CONCILIO PLENARIO EPISCOPORUM AMERICAE LATINAE, ROMAE IN AEDIBUS COLLEGII PII LATINI AMERICANI EX AUCTORITATE LEONIS XIII PONT. MAX. ANNO MDCCCXCIX CELEBRANDI.

MONITUM.

Rmi Patres, Consultores, atque alii, quibus in Concilio plenario Episcoporum Americae Latinae iuris tribuitur iure locus, infra habent sibi propositum, quem rituum tenorem sequi debeant.

Descriptus fere est e Caeremoniali Episcoporum et Pontificali Romano, nonnullis tamen praescriptionibus ad peculiares sive loci, sive temporis rationes immutatis. Eum igitur, ut omnia ordine, decoreque fiant, prae oculis habeant oportet.

DE IIS QUAE CONCILIO ANTECEDUNT.

§ I.

Die et hora statutis, Emus et Rmus D. Cardinalis Angelus Di Pietro, Titulo SS. Bonifacii et Alexii, Praefectus Sacri Consilii Tridentinis decretis interpretandis, Delegatus D. N. Leonis XIII Pontificis Maximi, rocheto, mantelleto et mozzeta

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SS. D. N. LEO PP. XIII
RESPONDIT SEQUENTIBUS LITTERIS APOSTOLICIS:

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Concilium plenarium vestrum, dudum exoptatum, diutinisque curis dispositum, coactum demum esse et vos iure laetamini et Nos cummaxime gratulamur. Eadem autem Nobis vobisque laetitiae capiundae ratio: de coetu enim vestro spem optimam portendimus universi, quod uberrimas utilitates Americae latinae populis sit pariturus. Qua quidem spe eo Nos firmius tenemur quod et alacritatem perspeximus, qua, licet tam longe dissiti, Romam quisque vestrum libens convenit; et concordiam summam mirati sumus, qua, diversitate gentium posthabita, operam laboremque Concilii tractationibus unanimes impenditis. Accedit porro ad fiduciam Nostram firmandam studium et obsequium in Apostolicam Sedem, quae in ipso Concilii exordio testari placuit, datis ad Nos litteris officii observantiaeque plenis. Ex qua profecto coniunctione vestra cum Cathedra Beati Petri, amplissima divinae gratiae subsidia coetui vestro demeretis, ut quae secundis adeo auspiciis sunt coepta, secundissimis etiam eventibus absolvantur. De benevolentia autem Nostra, Venerabiles Fratres, nihil plane est quod dubitetis: eam praestitimus, quum, magna animi iucunditate, singulos alloquuti sumus: praestitimus etiam, quum, ad augendam conventui vestro dignitatem, aliquot e Cardinalium Collegio in publicis Comitiis praeesse ad honorem per-

misimus. Eius praeterea testem Apostolicam benedictionem esse volumus, quam, munerum coelestium auspicem, vobis universis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIII Iunii MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

LEO PP. XIII.

CAEREMONIALE CONCILII

METHODUS SERVANDA IN CONCILIO PLENARIO EPISCOPORUM AMERICAE LATINAE, ROMAE IN AEDIBUS COLLEGII PII LATINI AMERICANI EX AUCTORITATE LEONIS XIII PONT. MAX. ANNO MDCCCXCIX CELEBRANDI.

MONITUM.

Rmi Patres, Consultores, atque alii, quibus in Concilio plenario Episcoporum Americae Latinae iuris tribuitur iure locus, infra habent sibi propositum, quem rituum tenorem sequi debeant.

Descriptus fere est e Caeremoniali Episcoporum et Pontificali Romano, nonnullis tamen praescriptionibus ad peculiares sive loci, sive temporis rationes immutatis. Eum igitur, ut omnia ordine, decoreque fiant, prae oculis habeant oportet.

DE IIS QUAE CONCILIO ANTECEDUNT.

§ I.

Die et hora statutis, Emus et Rmus D. Cardinalis Angelus Di Pietro, Titulo SS. Bonifacii et Alexii, Praefectus Sacri Consilii Tridentinis decretis interpretandis, Delegatus D. N. Leonis XIII Pontificis Maximi, rocheto, mantelleto et mozzeta

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rubri coloris indutus, ad aedes Collegii Pii Latini Americani se conferet. Ibi a Collegii praepositis alumnisque, atque uno ex Apostolicarum Caeremoniarum magistris honorifice, ut decet, exceptus, comitatu nobilium familiarium et clerici caudatarii, veste violacea nigroque pallio induti, ad Aulam Concilii perget. Rmi Patres veste talari violacea, rocheto, et mantelleto ornati, biretum prae manibus gestantes, Viro Eminentissimo, mantelletum ponenti, obviam ad ostium procedent; postea sessum ibunt ex ordine, prout in Archiepiscopatu vel in Episcopatu alius alio senior fuerit.

Cardinalis Delegatus intonabit hymnum: *Veni, Creator;* quo expleto, sermonem ad Patres habebit. Deinde, dicto per Caeremoniarium: *Extra omnes*, Concilii Praesidis et Vicepraesidum electio fiet a Patribus per occulta suffragia, quae Caeremoniarum magister colliget, et ad Cardinalem deferet.

Assistent Emo Viro Episcopus iunior, qui Secretarii, Archiepiscopi duo seniores, qui Scrutatorum seu Diribitorum, hoc tantum in negotio, munus obeant.

Patrum suffragia a Scrutatoribus perlecta per Secretarium conscribentur. Cardinalis electionem ratam habebit et promulgabit: quo facto, Patres praedicti ad sua loca recedent, et Praeses electus nomine omnium Patrum Cardinali gratias aget. Postea Vir Emus discedet, Patribus usque ad Aulae ostium comitantibus.

§ II.

Ad sedes proprias Praeses et Vicepraesides ascendent, caeteris ad sua subsellia accedentibus. Praeses brevem sermonem ad Patres dicet. Eligenda deinde erunt varia Concilii officia, quorum indicem habebunt schedae distributae Patribus; Praesidis autem erit statuere, quem ad modum ea fieri electio debeat. Praeter Consultores, idest Theologos et Canonistas, eligendi erunt:

Iudices querelarum et controversiarum; — Iudices excusationum; — Promotores; — Secretarii; — Relatores; — Notarii; — Ostiarii; — Cursores et Nuntii Concilii.

Quo facto, Patres discedent.

DE CONGREGATIONIBUS PRAEPARATORIIS.

Diebus et horis a Praeside statutis, Patres in Aulam Concilii convenient, habitu praelatitio, ut supra dictum est, Consultores Theologi et Canonistae caeterique Concilii Officiales tantum: qui omnes quum suis locis consederint, obserentur fores.

Congregationes auspicabitur Praeses, recitans orationem *Adsumus* (pag. XXIV); dum universi stabunt, depositis mitris ac etiam pileolis.

In eiusmodi Congregationibus ea proponentur Patribus, quae deinceps erunt in Concilio pertractanda [1].

DE CONGREGATIONIBUS GENERALIBUS.

Aderunt, praeter Patres:
Promotores Concilii;
Secretarii;
Relatores;
Notarii;
Theologi et Canonistae;
Ostiarii.

Ad dexteram Praesidis, Secretarii erunt, ad sinistram Notarii, apud mensulas ipsis paratas. Promotores caeterique ad sua loca, eodem habitu, ac in Congregatione superiori.

Praeses stans, aperto, ut supra dictum est, capite, recitabit orationem *Adsumus* (pag. XXIV); quo tempore universi Patres similiter stabunt, caeteris in genua adstitutis. Absoluta oratione sedebunt. Pronuntiato ab Ostiariis: *Extra omnes*, claudentur fores; Promotores, Secretarii, Relatores et Notarii nequaquam dimittentur.

[1] Praeliminares caeremoniae hucusque descriptae, per Rmos Magistros Apostolicarum Caeremoniarum aliquatenus mutatae sunt, maioris utilitatis causa, atque in prima sessione solemni et in Congregatione generali prima substantialiter peractae. Alia etiam accidentalia mutata sunt, postquam SS. D. N. Leo PP. XIII benigne concessit ut singuli Archiepiscopi praesidentiam Concilii successive tenerent, et ut in sessionibus solemnibus praesides ad honorem forent nonnulli S. R. E. Cardinales.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Praeses sermonem, si ei placuerit, habebit ad Patres. Promotores instabunt apud Praesidem velit iniri Concilium, et Promotor primus hanc formulam adhibebit:

Quandoquidem ad fidei Catholicae incrementum, ad cleri populique sui utilitatem, universi sacrorum Antistites Americae Latinae, auspice Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII, Plenarium Concilium in hac alma Urbe sibi habendum censuerunt, idcirco nos huius Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus, ut ipsius Plenarii Concilii Americae Latinae initium fieri et iam factum esse declaret.

Tum Praeses: HABEATUR REVERENDISSIMORUM PATRUM SENTENTIA.

Secretarii cum Notariis, Praesidis et Patrum suffragia exquirent, quae ad Praesidem quum retulerint, ad suum locum revertentur. Secretarius Decretum *de ineundo Concilio* leget. Tunc Theologi et Canonistae tantum in Aulam admittentur. Secretarius leget instantias, si quae erunt, et decreta promulganda in prima Sessione. Interrogabit postea Episcopos, dicens: REVERENDISSIMI PATRES, DECRETA ET ALIA MODO LECTA PLACENTNE VOBIS? Exquisitis numeratisque suffragiis ut supra, idem Secretarius, iussu Praesidis, subiunget: DECRETA MODO LECTA PLACUERUNT PATRIBUS. DE EORUM ERGO ASSENSU ILLA STATUIMUS UT LECTA SUNT. Quod si sententiae inter se discrepabunt, locus erit disceptationi.

Demum aperientur fores et Congregationi finis imponetur. *Eadem methodus servabitur in aliis Congregationibus Generalibus ante caeteras Sessiones.*

SESSIO PRIMA.

DOMINICA SS. TRINITATIS, DIE 28 MAII.

Patres habitu praelatitio procedentes ad Aulam paramentorum, in ingressu ex aspersorio a presbytero sibi porrecto aquam lustralem accipient, qua se signo crucis munient.

Tum, brevi facta precatione, ad scamna sibi parata expectabunt Praesidem. Is, ut venerit, ad altare paulisper orabit, stantibus caeteris.

Praeses in faldistorio sedens, considentibus caeteris, operto capite praeparationem Missae leget, una cum Ministris paratis et Presbytero assistente. Interim assumet sandalia et caligas; deinde, lotis manibus, caetera paramenta missalia.

Episcopi assument propria paramenta, videlicet amictum et pluviale albi coloris et mitram auriphrygiatam, quam sibi suis ipsi manibus imponent et exuent. Incenso et benedicto thure, surgent omnes; et Celebrans ante altare, mitra deposita, stans intonabit hymnum: *Ave, maris stella;* ipse caeterique genua flectent per totam primam stropham. Qua expleta surgent omnes, et resumpta mitra, pompae ritu, ad sacellum procedent hymnum persequentes. Praeibunt thuriferarius, Subdiaconus paratus crucem ferens inter acolythos; sequentur cantores caeterique clerici, Concilii Officiales videlicet: Ostiarii, Notarii, Consultores, superpelliceo induti vel chorali instituti sui habitu si Monachi sint vel Mendicantes, Episcopi et Archiepiscopi, Subdiaconus Evangeliarium deferens, demum mediis inter Presbyterum Assistentem et Diaconum, Celebrans, quem subsequentur cappellanus caudatarius, clerici a libro et a scotula et a mitra, eiusque familia.

Hymnus: *Ave, maris stella*, etc.

Quum ad altare pompa pervenerit, suum quisque locum capiet.

Missa de SS. Trinitate ad faldistorium celebrabitur ritu praescripto.

Rmi Patres mitram sibi vel imponent vel exuent una simul cum Celebrante, eamque retinebunt etiam sedentes Offertorii tempore ante incensationem Chori. Item pileolum deponent: ad Evangelium, a Praefatione usque ad Communionem, nec non dum inter se recitabunt confessionem, *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei;* id quod a caeteris in Choro pariter fiet.

Postquam Diaconus cantaverit *Ite, Missa est*, Celebrans, dicta de more oratione *Placeat*, osculabitur altare; et, benedictione omissa, recitabit Evangelium Dominicae. Deinde descendet ad faldistorium, ubi, depositis manipulo, mitra, planeta, dal-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

matica et tunicella, induet pluviale; et rursus, assumpta mitra, leget Psalmos pro gratiarum actione una cum Ministris, dum ei exuentur sandalia et caligae.

Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum surget e faldistorio, et, salutatis Episcopis, qui consurgent cum caeteris, revertetur ad altare, et veniet ad faldistorium sibi paratum in plano ante altare.

Promotores, Secretarii, Relatores et Notarii accedent ad mensas officio suo designatas.

Episcopus, deposita per Diaconum mitra, Subdiacono praecinente, initium canet sequentis antiphonae, et statim super faldistorium procumbet.

Cum eo omnes genua submittent:

Ant. *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.*

Chorus persequetur cantum antiphonae, qua absoluta, incipiet psalmum: *Salvum me fac Deus*, etc., qui alternatim cantabitur a clero.

PSALMUS 68.

*Salvum me fac Deus: * quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.*

Incepto psalmo, sedet Praeses, accepta mitra, et sic manet quousque finiatur Psalmus et Antiphona repetatur.

*Infixus sum in limo profundi; * et non est substantia*, etc.

Tum Diaconus mitram exuet Praesidi, qui assurget et versus ad altare tono feriali cantabit:

Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter congregati: veni ad nos, adesto nobis; dignare illabi cordibus nostris: doce nos, quid agamus: quo gradiamur, ostende; quid efficiamus, operare. Esto solus suggestor, et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, et eius Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summam diligis aequitatem; non in sinistrum nos ignorantia trahat; non favor inflectat; non acceptio muneris, vel personae corrumpat: sed iunge nos tibi efficaciter solius tuae gratiae dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero; qualenus in nomine tuo

collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futurum pro bene gestis consequamur praemia sempiterna.

Respondetur ab omnibus: *Amen.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui misericordia tua nos incolumes in hoc loco specialiter aggregasti: mentes nostras, quaesumus, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem; cunctosque in tua fide, et caritate corroboret; ut excitati a temporali synodo, proficiamus ad aeternae felicitatis augmentum. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

Finita oratione, Praeses, accepta mitra, procumbit supra faldistorium, aliis omnibus genuflectentibus, et cantores dicunt Litanias *(Sanctorum)*.

In fine Litaniarum, dicto:

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, te rogamus audi nos;

Praeses surgit et baculum pastoralem in sinistra tenens, stans versus ad Synodum, dicit:

Ut hanc praesentem Synodum visitare, disponere et bene ✠ dicere digneris.

℟. *Te rogamus audi nos.*

Producens signum crucis pariter super omnes: quo facto iterum accumbit, cantoribus Litanias perficientibus.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.
Fili Dei, te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Postea surgent omnes, et Praeses, deposita mitra, dicet stans versus ad altare:

OREMUS.

Et Diaconus: *Flectamus genua.*

Subdiaconus: *Levate.*

Da, quaesumus, Ecclesiae tuae, misericors Deus, ut Spiritu Santo congregata, secura tibi devotione servire mereatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

Deinde Praeses, accepta mitra, ascendit ad sedem sibi paratam in plano altaris.

Ministri descendunt in planum; Diaconus ponit Evangeliarium super mensam altaris, deinde porrigit cymbium Praesidi (qui benedicens illius ingerit more solito), et genibus flexis in suppedaneo in *coram Epistolae* dicit: *Munda cor meum*, etc. Et rursus, accepto libro, petit a Praeside benedictionem, et more solito cantat suo loco Evangelium. Caeremoniarum magister exuit mitra Episcopum, qui surgit; quod omnes Patres faciunt.

Dominus vobiscum. ℟. *Et cum spiritu tuo.*

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.* (Cap. 9.)

In illo tempore: Convocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. Et misit illos praedicare regnum Dei, et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes, et curantes ubique.

Quo finito, Subdiaconus affert textum Evangelii Praesidi, qui illum osculatur dicens: *Per evangelica dicta*, etc. Deinde Praeses incensatur a Diacono et, deposito pileolo, canere hymnum incipit; tum genua flectit, quod et caeteri faciunt, choro persequente hymnum: *Veni, Creator Spiritus*, etc.

Praeses, accepto pileolo, surgit stans versus ad altare, usque ad finem hymni. Similiter omnes alii surgunt.

Qui diceris Paraclitus, etc.

Post hymni cantum, Praeses, accepta mitra, sedet, et omnes alii similiter. Ostiarii se sistent in aditu et, dicto, *Extra omnes*, egredientur qui locum non habent in Concilio.

Obseratas valvas Ostiarii extrinsecus custodient. Tunc Ministri recedent ad scamnum, et Praeses sedens sermonem ad Patres habebit.

Sermone absoluto, clerici mensulam ante Praesidem statuent, in eaque seorsum disponent exempla tum Decretorum, quae deinceps promulganda erunt, tum formularum, quas Praeses, varia pro tempore edicens usurpabit. Notarius apud Praesidem legens indicem Episcoporum, eos vocabit nominatim. Singuli Episcopi, quin assurgant, respondebunt: ADSUM.

Dein Secretarius se sistet Praesidi, acceptumque ab ipso Decretum: *De Concilio aperiendo*, e suggestu stans publicabit.

Quo perlecto descendet, et cum Notario et duobus ex Caeremoniariis sententiam rogabit singulos Episcopos, qui sedentes mediocri voce dicent: PLACET vel NON PLACET.

Iidem suffragia Patrum referent ad Praesidem, qui elata voce dicet:

DECRETUM PLACUIT OMNIBUS PATRIBUS: ITAQUE DECERNIMUS PRIMAE NOSTRAE SYNODI INITIUM FIERI ET IAM FACTUM ESSE.

Notarius redibit ad locum suum, et Secretarius a Praeside accipiet reliqua Decreta publicanda in suggestu sub exordio Concilii, videlicet: *Conc. Trid. de resid. Sess. VI, c. I de Ref.; Sess. XXIII, c. I de Ref.*; dein:

1) *De modo vivendi in Concilio.*

2) *De praeiudicio non afferendo.*

3) *De non discedendo et de secreto servando.*

4) *De iudicibus excusationum et censurarum personalium in Concilio occurrentium, et de aliis Concilii Officialibus.*

Titulos decretorum leget stans et capite nudato, decreta sedens et capite cooperto. Quibus perlectis assurget, et, capite nudato, rogabit sententiam Episcopos dicens: RMI. PATRES, PLACENTNE VOBIS DECRETA?

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ut supra, exquiritur suffragium Episcoporum, et Praeses, elata voce, dicet: DECRETA PLACUERUNT OMNIBUS PATRIBUS: IDEOQUE AGENDAE SUNT DEO GRATIAE.

Omnes Episcopi respondent elata voce: DEO GRATIAS.

Remota de Praeside mensa, Promotor primus ante ipsum postulabit ut fiat professio Fidei a Praeside et a caeteris Episcopis:

Quoniam ex veteri Patrum instituto sacratiora Ecclesiae Concilia fidei confessionem veluti scutum contra omnes haereses in principio suarum actionum apponere consueverunt: idcirco nos plenarii huius Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus, ut catholicae Fidei professio, iuxta formulam a Romanis Pontificibus s. m. Pio IV et Pio IX praescriptam, ab omnibus huius Concilii Patribus in hodierna solemni Sessione emittatur.

Praeses respondebit: ITA DECERNIMUS ET DECLARAMUS. Promotores redeunt ad locum suum. Secretarius eodem ac supra ritu publicabit decretum. Episcopi, deposita mitra, suis locis genua flectent. Praeses pariter genibus flexis, versus ad altare, sustentantibus ministris librum, elata voce professionis integram formulam leget:

FORMA IURAMENTI
(seu Professionis Fidei).

Ego N. Archiepiscopus (*vel* Episcopus) *N. firma fide credo, et profiteor omnia, et singula quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur: videlicet: Credo in unum Deum,* etc. (ut in Appendice num. XL).

Ego idem N. Archiepiscopus (*vel* Episcopus) *N. spondeo, voveo, ac iuro.*

Deinde, imposita utraque manu super librum Evangelii, dicet:

Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Et rursus sedens, accepta mitra, ministris adiuvantibus, sustinebit super genua Evangeliarium apertum.

Singuli Episcopi accedent servato ordine ad Praesidem, eoque salutato, legent flexis genibus hanc formulam:

ET EGO N. ARCHIEPISCOPUS (vel EPISCOPUS) N. RECIPIO, PROMITTO, SPONDEO, PROFITEOR, DETESTOR, ANATHEMATIZO, VOVEO ET IURO IN FORMULA PROFESSIONIS FIDEI MODO LECTA, SINGULA SINGULIS REFERENDO.

Et imponentes utramque manum super Evangelium, adiungent:

SIC ME DEUS ADIUVET ET HAEC SANCTA DEI EVANGELIA.

Episcopi sessum redibunt, et caput mitra cooperient.

Deinde Promotor cum Secretario instabunt pro denunciatione *Secundae Sessionis:*

Quum plura alia decreta sint solemniter publicanda et adprobanda, idcirco nos huius Plenarii Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus, ut secundam (vel *tertiam,* etc.) *Sessionem indicere velit.*

Praeses respondebit: HABEATUR REVERENDISSIMORUM PATRUM SENTENTIA.

De qua Secretarius rogabit, ut supra, e suggestu Episcopos; et collecta suffragia, modo consueto, deferentur ad Praesidem.

Deinde a Secretario publicabitur Decretum indictionis Sessionis secundae.

Promotores cum Notario accedent ad Praesidem, et Promotor primus instantiam faciet ut actorum tabulae conficiantur in hanc formam:

Rogamus vos Notarios praesentes, ut de omnibus et singulis in hac publica Sessione Concilii gestis, authenticum instrumentum vel *instrumenta conficiantur.*

Notarius primus respondebit: CONFICIEMUS, et conversus ad testes inquiet: VOBIS TESTIBUS.

Omnes sua loca petent, et remota mensa de Praeside, ianuae sacelli aperientur.

Diaconus dicet: ORATE.

Omnes genua flectent, Patres retinebunt mitram. Diaconus addet: ORATIO MENTALIS. Postea, ipse quoque genua flectet.

Post brevem orationem surgunt omnes. Praeses osculatus altare impertietur benedictionem solemnem modo consueto: SIT NOMEN DOMINI etc., stantibus Patribus sine mitra, reliquis genua flectentibus.

Deinde, disposita pompa, revertentur omnes ad Aulam paramentorum, ubi Praeses ad faldistorium, adiuvantibus Ministris,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

alii omnes ad propria subsellia vestes sacras deponent, et post Praesidem omnes ex Aula discedent.

SESSIO SECUNDA.

Episcopi hora statuta in Aulam paramentorum convenient habitu praelatitio, alii omnes habitu cuiusque consueto.

Episcopus Missam celebraturus, in Sacello Concilii ante altare praevias precationes faciet et sacras vestes assumet.

Tunc Praeses, caeteri Patres aliique ex ordine procedent ad Aulam: accepta in aditu aqua lustrali, unusquisque suum locum petet, et paulisper orabit.

Episcopus Missam votivam de Spiritu Sancto ritu praescripto celebrabit; in fine, benedictione omissa, recitabit Evangelium S. Ioannis. Deinde Cruci et utrinque Patribus reverentia facta, abibit in sacrarium, ubi vestes deponet, et assumpto mantelleto, ad suum subsellium revertetur.

Hoc tempore Praeses ad altare accedet, et ad faldistorium in cornu Epistolae, Diacono et Subdiacono ministrantibus, accipiet stolam et pluviale rubri coloris. Caeteri Episcopi propriis locis parantur.

Deinde accedet ad faldistorium iuxta inferiorem gradum in medio altaris collocatum, et subdiacono praecinente, deposita mitra, intonabit antiphonam; postea, ut reliqui omnes, genua flectet.

Caeterum, eodem ritu, ac in superiori Sessione, functio perficiatur.

Precationes autem erunt:

Antiphona: *Propitius esto peccatis nostris, Domine, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?*

PSALMUS 78.

*Deus, venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: * posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam*, etc.

OREMUS.

Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quaesumus, ut bonum quod in nobis a te requiritur exsequamur; scilicet, ut, prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis

arduae subtile iudicium faciamus; ac misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitae actionis. Per Christum Dominum nostrum.

℟. *Amen.*

OREMUS.

Mentibus nostris, quaesumus Domine, Spiritum sanctum benignus infunde, qualenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditantes, quae tibi sunt placita, et dictis exsequamur, et factis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum; Qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

OREMUS.

Flectamus genua.

℟. *Levate.*

Deus, qui nos iustitiam loqui, et quae recta sunt, praecipis iudicare; tribue nobis, ut neque iniquitas in ore, nec pravitas inveniatur in mente; ut puro cordi purior sermo consentiat, ostendatur in opere iustitia, neque appareat dolus in lingua, sed ex corde veritas proferatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.* (Cap. 10.)

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes, et bibentes, quae apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quae apponuntur vobis, et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Veni, Creator, etc.

Dicto ab Ostiariis: EXTRA OMNES, unus ex Patribus e suggestu sermonem habebit, si ita placuerit.

Posita mensa ante Praesidem cum exemplaribus Decretorum quae erunt publicanda, Promotor instabit pro publicatione ipsorum, in hanc formam:

Quum ad fidei Catholicae exaltationem et incrementum, ad ecclesiasticam disciplinam in omnibus Americae Latinae regionibus promovendam, Plenarium hoc Concilium coactum sit, idcirco nos eiusdem Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus, ut decreta in Generali Congregatione iam adprobata, solemniter in hac Sessione publicari et adprobari iubeas.

Hanc peraget Secretarius; eaque Episcoporum suffragiis adprobabuntur modo tradito in prima Sessione. Responso ab omnibus: DEO GRATIAS; Promotores cum Secretario, si opus fuerit, instabunt pro prorogatione Sessionis post Vesperas:

Quum Decreta in hac solemni Sessione approbanda, ob temporis angustias proponi omnia nequiverint, nos huius Plenarii Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus, ut solemnem hanc Sessionem prorogari, et hoc ipso die haberi velit et iubeat.

Quod si haec Sessio perficiatur, instabunt pro tertia Sessione (pag. XXIX).

Exquisitis cognitisque sententiis Patrum et publicato decreto, Promotores instantiam facient pro rogandis actis (pag. XXIX).

Postea Secretarius publicabit decretum *de discessu*, si prorogata fuerit Sessio ad Vesperas, et, remota mensa, apertisque foribus, Praeses, nullam proferens formulam, signum crucis super Concilium efficiet.

Sin autem Sessio expleta fuerit, Diaconus edicet: ORATE, et omnibus genua flectentibus subiunget: ORATIO MENTALIS.

Qua expleta, Praeses, ritu praescripto, benedictionem solemnem impertietur.

Praeses et alii Patres deponent paramenta. Praeses in infimo gradu altaris breves preces effundet, et similiter omnes proprio quisque loco.

Post Praesidem, ordine quo venerant, omnes de Aula discedent.

CONTINUATIO SECUNDAE SESSIONIS POST VESPERAS.

Omnes in Aulam paramentorum convenient: ordine solito ad Aulam Concilii accedent, et post brevem orationem, paramenta assument ut dictum est in antecessu.

Praeses assurget sine mitra, et versus ad altare, tono feriali recitabit orationem: *Adsumus, Domine*, etc. (pag. XXIV), praetermisso *Oremus*.

Tunc accedet ad faldistorium in medio altaris suppedaneo positum, et, dicto: EXTRA OMNES, clausis foribus, Promotor postulabit, ut decernatur lectio Decretorum, solito ritu (pag. XXXII).

Postea eodem modo instabitur et decernetur de *tertia Sessione et de confectione tabularum super actis* (pag. XXIX).

Apertis ianuis et oratione silentio peracta, Praeses benedictionem solemnem impertietur, et positis paramentis, omnes Aulam relinquent.

SESSIO TERTIA.

Omnia peragentur ut in secunda Sessione, exceptis Antiphona, Psalmo, Orationibus et Evangelio, quae erunt:

Antiphona: *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.*

Psalmus 68 - *Salvum me fac*, etc. (pag. XXIV).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

OREMUS.

Ad te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes, unanimiter postulamus, ut respectu tuae gratiae solidati, praecones veritatis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui sacri verbi tui oraculo promisisti, ubi duo, vel tres in nomine tuo congregati essent, te medium fore; adesto coetui nostro propitius, et cor nostrum illumina misericors, ut a bono misericordiae tuae nullatenus aberremus, sed rectum iustitiae tuae tramitem in omnibus teneamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

OREMUS.

Flectamus genua.

℟. *Levate.*

Deus, qui populis tuis et indulgentia consulis, et amore dominaris; da spiritum sapientiae tuae, quibus dedisti regimen disciplinae: ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia aeterna pastorum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum* (Cap. 18.).

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies.

Veni, Creator, etc.

RELIQUAE SESSIONES.

Si rerum materia nondum absoluta sit, in Sessionibus idem ordo servabitur. Preces autem sumantur ab aliis Sessionibus.

De solemnibus exequiis pro omnibus Episcopis defunctis Americae Latinae.

In superiori Sessione, Secretarius edicet e suggestu quo die solemni ritu pro defunctis Episcopis perlitandum sit.

Patres aderunt habitu praelatitio.

Missa celebretur ut in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, cum oratione: *Deus, qui inter Apostolicos sacerdotes, famulos tuos Pontificali fecisti* etc.

Post Missam, unus e Patribus, si ita placuerit, latinam ad Patres orationem habebit.

CONTINUATIO SESSIONIS ULTIMAE POST VESPERAS AD CONCILIUM DIMITTENDUM.

Omnes convenient in Aulam paramentorum, et modo solito accedent ad Aulam Concilii. Brevi peracta oratione, Praeses in faldistorio, omnes alii in suis locis sacra paramenta albi coloris

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

accipient. Omnibus dispositis, Praeses surget et dicet: *Adsumus* etc. et accedet ad faldistorium in medio suppedaneo altaris positum.

Dicto: *Extra omnes* et apposita mensa ante Praesidem, Promotor primus postulabit ut subscribatur Decretis Concilii:

Quum omnia decreta in Generalibus Congregationibus adprobata, in solemnibus huius Plenarii Concilii Sessionibus publicata et a Patribus adprobata sint, idcirco nos eiusdem Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus ut iisdem decretis a Patribus subscribi velit et iubeat.

Praeses respondebit: MONEMUS, PRAECIPIMUS, ET FIERI MANDAMUS. Secretarius publicabit decretum. Notarius accedet ad Altare et consistet in cornu Evangelii, quo Praeses et caeteri deinceps Patres venient subscriptum Decretis Concilii super altare positis: iisdem Notarius suum chirographum demum apponet.

Promotores cum Secretario postulabunt *pro fine Concilio imponendo:*

Quoniam, auxiliante Deo, ad felicem exitum hoc Sacrum Concilium perductum est, idcirco, ne diutius suorum Pastorum praesentia et solatio tot Ecclesiae priventur atque citius ea, quae in animarum bonum salubriter decreta sunt, in actum deducantur, nos huius Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus, ut huic Plenario Americae Latinae Concilio finis imponatur.

Respondebit Praeses: ITA DECERNIMUS ET MANDAMUS, SI ITA PATRIBUS PLACEAT.

Promotores recedent ad locum suum; Secretarius e suggestu ita Patres rogabit: RMI. PATRES; PLACETNE VOBIS AD DEI OMNIPOTENTIS LAUDEM HUIUS SYNODI FINEM IAM FIERI?

Et accedet cum Notario ad requirenda suffragia Episcoporum, quae deferet ad Praesidem, qui elata voce dicet: PLACUIT OMNIBUS PATRIBUS; ITAQUE DECERNIMUS HUIC SYNODO NOSTRAE FIERI FINEM ET IAM FACTUM ESSE.

Publicabitur Decretum per Secretarium; Promotores cum

Notario accedent ad Praesidem, et Promotor primus instabit *pro rogito actorum* (pag. XXIX). Notarius: CONFICIEMUS; et conversus ad testes addet: VOBIS TESTIBUS. Deinde publicabit instrumentum. Postea, unus ex Episcopis in concionem ascendet Patribus gratulatum.

Dimota mensa, Praeses imponet, benedicens, thus in turibulo, Diacono ministrante. Alius Subdiaconus paratus, medius inter acolythos, praecedente thuriferario, in exitu consessus se sistet.

Descendet Praeses, et deposita mitra intonabit: *Te Deum*, choro et clero prosequentibus. Assumpta iterum mitra, pompa ducetur, ut in prima die.

Post reditum ad Altare, Praeses, sine mitra, stabit donec expleatur cantus hymni, genuflectens ut reliqui omnes ad ℣. *Te ergo quaesumus.*

HYMNUS.

*Te Deum laudamus: * Te Dominum confitemur*, etc.

Expleto hymno, Praeses adhuc stans, cantabit tono feriali:

OREMUS.

Nulla est, Domine, humanae conscientiae virtus, quae inoffense possit tuae voluntatis iudicia experiri, et ideo, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa, misericors Deus, quod perfecto aequitatis fine concludere peroptamus; te in nostris principiis occursorem poposcimus, te in hoc fine iudiciorum nostrorum iudultorem nostris excessibus speramus, scilicet, ut ignorantiae parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris: et quia conscientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut praeceps forsitan voluntas impulerit iustitiam declinare; hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante indulgentiam sentiamus: ut in eo, quod soluturi sumus aggregatam Synodum, a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum; qualiter, et transgressores venia, et confitentes tibi, subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum.

℟. *Amen.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ascendet ad faldistorium, in medio suppedaneo situm, in eoque sedebit.

Tunc unus ex Patribus in suggestu cantabit *acclamationes*, quibus respondebunt Episcopi.

Postea surget Praeses, et ad osculum pacis omnes Patres mitratos alium ex alio admittet. Deinde ex altari solemnem benedictionem impertiet. Diaconus publicabit indulgentiam, quam Summus Pontifex concesserit. Demum elata voce cantabit: RECEDAMUS IN PACE, et omnes respondebunt: IN NOMINE CHRISTI. Tunc omnes, sacris vestibus exuti, ab Aula discedent.

ELENCHUS PATRUM CONCILII

Illmi et Rmi D.D.

HIERONYMUS THOMÉ DA SILVA, Archiep. S. Salvatoris, Primas in Brasilia.
MARIANUS CASANOVA, Archiep. S. Iacobi de Chile.
BERNARDUS HERRERA RESTREPO, Archiep. Bogoten. in Columbia.
HYACINTHUS LOPEZ, Archiep. de Linares.
EULOGIUS GREGORIUS GILLOW, Archiep. Antequeren.
PROSPER MARIA ALARCON, Archiep. Mexican.
PETRUS RAPHAEL GONZALEZ, Archiep. Quiten.
IULIUS TONTI, Archiep. Portus Principis.
IACOBUS ZUBIRIA Y MANZANERA, Archiep. de Durango.
ULADISLAUS CASTELLANO, Archiep. Bonaëren.
MARIANUS SOLER, Archiep. Montisvidei.
IOACHIM ARCOVERDE DE ALBUQUERQUE CAVALCANTI, Archiep. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii.
EMMANUEL TOVAR, Archiep. Liman.
IGNATIUS MONTES DE OCA, Ep. S. Ludovici Potosien.
BERNARDUS AUGUSTUS THIEL, Ep. S. Iosephi de Costarica.
CLAUDIUS GONCALVES PONCE DE LEÃO, Ep. S. Petri Fluminis Granden.
IOACHIM I. VIEIRA, Ep. Fortalexien.

RAPHAEL CAMACHO, Ep. de Queretaro.
REGINALDUS TORO O. P., Ep. Corduben. in America.
IOSEPHUS MARIA PORTUGAL O. M., Ep. Saltillen.
ISMAEL PUIRREDON, Ep. Punien.
PLACIDUS LABARCA, Ep. SS. Conceptionis.
FLORENTIUS ED. FONTECILLA, Ep. Sereñen.
EMMANUEL DOS SANTOS PEREIRA, Ep. Olinden.
SILVERIUS GOMES PIMENTA, Ep. Mariannen.
EDUARDUS DUARTE SILVA, Ep. Goyasen.
IOACHIM PARDO VERGARA, Ep. Medellen.
ANTONIUS M. DURAN, Ep. de Guayana.
PAULUS PADILLA, Ep. Tucumanen.
EMMANUEL DE CAYZEDO, Ep. Popayanen.
ATHENOGENES SILVA, Ep. Colimen.
RUDESINDUS DE LA LASTRA, Ep. Paranen.
IGNATIUS DIAZ, Ep. Tepicen.
IOANNES ANTONIUS FALCON, Ep. Cuschen.
IO. M. ALEXANDER MORICE, Ep. Caiesen.
IOSEPHUS ORTIZ, Ep. Chiluahuen.
MARIANUS ANTONIUS ESPINOSA, Ep. de Plata.
IOANNES AUGUSTINUS BONEO, Ep. S. Fidei.
FRANCISCUS DO REGO MAIA, Ep. Petropolitan.
IOSEPHUS LAURENTIUS DA COSTA AGUIAR, Ep. Amazonum.
IOSEPHUS DE CAMARGO BARROS, Ep. Curytuben. de Paraná.
ANTONIUS RAYMUNDUS SILVA, Ep. Emeriten. in Indiis.
ANTONIUS EM. DE CASTILHO BRANDÃO, Ep. de Belém de Pará.
IOANNES SYMPHORIANUS BOGARIN, Ep. de Paraguay.
STEPHANUS ROJAS, Ep. Tolimen.
FRANCISCUS PLANCARTE Y NAVARRETE, Ep. Cuernavacen.
EMMANUEL BALLON, Ep. de Arequipa.
EVARISTUS BLANCO, Ep. de Socorro.
FRANCISCUS CAMPOS, Ep. Tabasquen.
PETRUS BRIOSCHI, Ep. Carthaginen. in Indiis.
MATHIAS LINARES, Ep. Salten.
RAYMUNDUS ANGELUS JARA, Ep. S. Caroli Ancudiae.
HOMOBONUS ANAYA, Ep. Sinaloen.

N. B. *Inter Rmos Patres Concilii aliqua ratione adnumerari potest Illmus ac Rmus D.D.* FERDINANDUS ANTONIUS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTURO DE MERINO, *Archiepiscopus S. Dominici, quia, ad Concilium veniens, gravi infirmitate detentus, Parisiis consistere debuit, et suum Secretarium Romam misit, qui eius plenam cum Rmis Patribus fraternam coniunctionem et Synodalibus decretis promulgandis adhaesionem significaret.*

ELENCHUS OFFICIALIUM CONCILII

Secretarii.

Illmus ac Rmus D. Ignatius Montes de Oca, Episcopus S. Ludovici de Potosi.

Illmus ac Rmus D. Franciscus do Rego Maia, Episcopus Petropolitan.

Vice-secretarii.

Illmus ac Rmus D. Bernardus Augustus Thiel, Episcopus S. Iosephi de Costarica.

Illmus ac Rmus D. Petrus Brioschi, Episcopus Carthaginen. in Indiis.

Sub-secretarius.

Illmus ac Rmus D. Petrus Corvi, Praelatus domesticus S. S. et Protonotarius Apostolicus *ad instar*.

Iudices querelarum.

Illmus ac Rmus D. Claudius Goncalves Ponce de Leão, Episcopus S. Petri Fluminis Granden.

Illmus ac Rmus D. Ioachim Vieira, Episcopus Fortalexien.

Illmus ac Rmus D. Raphael Camacho, Episcopus de Queretaro.

Illmus ac Rmus D. Reginaldus Toro, Episcopus Corduben.

Illmus ac Rmus D. Ioseph Maria Portugal, Episcopus Saltillen.

Iudices excusationum.

Illmus ac Rmus D. Ismael Puirredon, Episcopus Punien.

Illmus ac Rmus D. Florentius Eduardus Fontecilla, Episcopus de Serena.

Illmus ac Rmus D. Placidus Labarca, Episcopus SS. Conceptionis.

Illmus ac Rmus D. Silverius Gomes Pimenta, Episcopus Mariannensis.

Illmus ac Rmus D. Emmanuel dos Santos Pereira, Episcopus Olinden.

Promotores.

Illmus ac Rmus D. Athenogenes Silva, Episcopus Colimen.

Illmus ac Rmus D. Franciscus Campos, Episcopus Tabasquen.

Relatores.

Illmus ac Rmus D. Ismael Puirredon, Episcopus Punien.

Illmus ac Rmus D. Franciscus Plancarte, Episcopus Cuernavacen.

Illmus ac Rmus D. Antonius Espinosa, Episcopus de Plata.

Illmus ac Rmus D. Silverius Gomes Pimenta, Episcopus Mariannensis.

Notarii Concilii.

R. D. D. Gilbertus Fuenzalida.
» » Franciscus Orozco.
» » Angelus Brasesco.
» » Leopoldus Ruiz, Abbas Guadalupensis.
» » Marcolinus Pacheco do Amaral, Protonotarius Apostolicus *ad instar*.
» » Benedictus Paulus Alves de Souza.
» » Carolus Garcia Irigoyen.
» » Albertus Reyes.
» » Ioannes Goncalves da Cruz, Cubicularius SSmi Dñi.
» » Emmanuel Maria Polit.
» » Eduardus Ribault, Protonotarius Apostolicus *ad instar*.
» » Nicolaus Navarro.
» » Trinitas Colmenares.
» » Georgius Inda.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ostiarii.

Fr. Paulus Pellistri.
Dominicus Cergnossi.
Ioannes Cecconi.

Cursores.

Dominicus Cergnossi.
Ioannes Cecconi.

CONSULTORES CONCILII

Illmus ac Rmus D. Petrus Corvi, Praelatus domesticus S. S. et Protonotarius Apostolicus *ad instar*.
» » » Ioseph Mansella, Praelatus domesticus S. S.
» » » Pacificus Pierantonelli, Praelatus domesticus S. S.
Rmus Pater M. Thomas Rodriguez, Prior Generalis Eremitar. S. Augustini.
Rmus Pater Ioseph Calasanctius a Llevaneras, Ord. Min. Cap.
Rmus Pater M. Hieronymus Coderch, O. P.
» » Franciscus Xav. Wernz, S. I.
» » Ianuarius Bucceroni, S. I.

EX ACTIS SESSIONUM ET CONGREGATIONUM

SESSIO SOLEMNIS PRIMA.

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Anno Domini millesimo octingentesimo nonagesimo nono, Dominica SS. Trinitatis, die vigesima octava Maii, habita est prima Sessio et solemnis aperitio Concilii Plenarii Americae Latinae in ecclesia Collegii Pii Latini Americani. Elenchus Illustrissimorum et Reverendissimorum Patrum huius Concilii ex integro ponitur supra, pag. XXXVIII. Praeter Episcopos, convenerunt etiam Rmii Magistri Apostolicarum Caeremoniarum, Consultores, Moderatores et alumni Collegii Pii Latini Americani, aliique permulti clerici saeculares et regulares, et laici plurimi. Et auspicato factum est, ut hanc solemnitatem aperitionis Concilii cum Episcopis simul celebrarent multi etiam ex utroque Clero et populo Americae Latinae in Urbe commorantes, multique sacro ministerio vel religiosa professione latino-americani.

Hora nona cum dimidio, Pmus et Rmus D. Cardinalis Angelus Di Pietro, S. C. C. Praefectus, Delegatus a SS. D. N. Leone PP. XIII, sacra purpura indutus, ad Collegium Pium Latinum Americanum se contulit, a duobus Archiepiscopis et duobus Episcopis senioribus cum Collegii praepositis et alumnis honorifice, ut decet, exceptus est, et ad ecclesiam eiusdem Collegii, quae facta est Aula Conciliaris, accessit, Rmis Patribus obviam ad ostium procedentibus.

Emus Cardinalis Delegatus dictis precibus, de mandato et nomine Sanctitatis Suae, Rmos Patres peramantissime salutavit et ad synodales labores alacriter peragendos excitavit, sequenti allocutione:

« *Illmi ac Rmi Patres.* — Sit honor et gloria bonorum omnium largitori Deo, qui dives in bonitate, quod catholicae Religioni Ecclesiaeque conducit, etiam in temporum acerbitatibus fortiter suaviterque disponit. Quod enim erat in votis, ut plenaria Synodus cogeretur pro universa America Latina, id feliciter, superatis quae obstabant difficultatibus, ad effectum deductum esse, Eo annuente, videmus. Vos igitur, Praesules praeclarissimi, ad Concilium istud celebrandum, molestiis et incommodis quibuscumque posthabitis, e regionibus longe terrarum marisque spatio dissitis, hanc in Urbem alacri animo convenisse, id quidem si communis est nobis laetitiae causa, idem etiam iure optimo in vestram laudem et commendationem cedit. Quapropter nihil mihi iucundius, quam exequi mandata SS. D. N. Leonis PP. XIII, nimirum verbis eius benevolentiae et amoris ple-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ostiarii.

Fr. Paulus Pellistri.
Dominicus Cergnossi.
Ioannes Cecconi.

Cursores.

Dominicus Cergnossi.
Ioannes Cecconi.

CONSULTORES CONCILII

Illmus ac Rmus D. Petrus Corvi, Praelatus domesticus S. S. et Protonotarius Apostolicus *ad instar*.
» » » Ioseph Mansella, Praelatus domesticus S. S.
» » » Pacificus Pierantonelli, Praelatus domesticus S. S.
Rmus Pater M. Thomas Rodriguez, Prior Generalis Eremitar. S. Augustini.
Rmus Pater Ioseph Calasanctius a Llevaneras, Ord. Min. Cap.
Rmus Pater M. Hieronymus Coderch, O. P.
» » Franciscus Xav. Wernz, S. I.
» » Ianuarius Bucceroni, S. I.

EX ACTIS SESSIONUM ET CONGREGATIONUM

SESSIO SOLEMNIS PRIMA.

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Anno Domini millesimo octingentesimo nonagesimo nono, Dominica SS. Trinitatis, die vigesima octava Maii, habita est prima Sessio et solemnis aperitio Concilii Plenarii Americae Latinae in ecclesia Collegii Pii Latini Americani. Elenchus Illustrissimorum et Reverendissimorum Patrum huius Concilii ex integro ponitur supra, pag. XXXVIII. Praeter Episcopos, convenerunt etiam Rmii Magistri Apostolicarum Caeremoniarum, Consultores, Moderatores et alumni Collegii Pii Latini Americani, aliique permulti clerici saeculares et regulares, et laici plurimi. Et auspicato factum est, ut hanc solemnitatem aperitionis Concilii cum Episcopis simul celebrarent multi etiam ex utroque Clero et populo Americae Latinae in Urbe commorantes, multique sacro ministerio vel religiosa professione latino-americani.

Hora nona cum dimidio, Pmus et Rmus D. Cardinalis Angelus Di Pietro, S. C. C. Praefectus, Delegatus a SS. D. N. Leone PP. XIII, sacra purpura indutus, ad Collegium Pium Latinum Americanum se contulit, a duobus Archiepiscopis et duobus Episcopis senioribus cum Collegii praepositis et alumnis honorifice, ut decet, exceptus est, et ad ecclesiam eiusdem Collegii, quae facta est Aula Conciliaris, accessit, Rmis Patribus obviam ad ostium procedentibus.

Emus Cardinalis Delegatus dictis precibus, de mandato et nomine Sanctitatis Suae, Rmos Patres peramantissime salutavit et ad synodales labores alacriter peragendos excitavit, sequenti allocutione:

« *Illmi ac Rmi Patres.* — Sit honor et gloria bonorum omnium largitori Deo, qui dives in bonitate, quod catholicae Religioni Ecclesiaeque conducit, etiam in temporum acerbitatibus fortiter suaviterque disponit. Quod enim erat in votis, ut plenaria Synodus cogeretur pro universa America Latina, id feliciter, superatis quae obstabant difficultatibus, ad effectum deductum esse, Eo annuente, videmus. Vos igitur, Praesules praeclarissimi, ad Concilium istud celebrandum, molestiis et incommodis quibuscumque posthabitis, e regionibus longe terrarum marisque spatio dissitis, hanc in Urbem alacri animo convenisse, id quidem si communis est nobis laetitiae causa, idem etiam iure optimo in vestram laudem et commendationem cedit. Quapropter nihil mihi iucundius, quam exequi mandata SS. D. N. Leonis PP. XIII, nimirum verbis eius benevolentiae et amoris ple-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nissimis, salutem vobis nuntiare atque omnia fausta ac felicia a divina benignitate adprecari. Quanta profecto vos Ecclesiasque vestras Summus Pontifex complectatur dilectione, haec ipsa vel sola res, propter quam sapienti eius providoque consilio in hunc amplissimum coetum congregati estis, aperte loquitur.

« Opus, quod perficiendum suscipitis, quanti ponderis et gravitatis sit, probe nostis. Causam agitis, in qua res multae, et gravissimae omnes ac sanctissimae, arcto iunguntur nexu: nempe maior Dei gloria, fidei catholicae tuitio ac propagatio, religionis pietatisque incrementum, animarum salus, splendor Ecclesiarum vestrarum, Clericorum decus ac disciplina, ipsius quoque Ordinis vestri episcopalis dignitas, praesidium et amplitudo. Una vero communi lege, iis quae communia sunt, constituta, perspicuum est singulorum vires augeri, ut iura Dei et Ecclesiae, qua par est constantia et fortitudine, prudentia comite, vindicentur; fraternae christianaeque caritatis vinculum roborari, ut alter alteri, si adiuncta locorum rerumque sinant, quam poterit opem, volenti animo impertiat; alacritatem quoque ac diligentiam excitari, ut quisque sui muneris partes obire, si non maiore studio quam caeteri, saltem non minore contendat.

« Praeclara sunt haec ac plane digna, ut in eis curam omnem et operam, qua polletis scientia et virtute, impendatis. Diuturnum autem Ecclesiae experimentum de hisce Sacrorum Antistitum conventibus satis superque testatur, quantum utilitatis ex laboribus studiisque vestris merito sit expectandum.

« Forti igitur magnoque animo, Praesules Excellentissimi, aggredimini opus, quo veluti monumento exemplum et memoriam perpetuam studii vestri pastoralis consecrabitis. Sed antequam ei manus admoveatis, oportet imprimis, ut qui Synodum uti Praeses moderetur et regat, constituatur. Qua de re Summus Pontifex, votorum vestrorum non ignarus, decernere ac statuere dignatus est, ut quotquot sunt inter vos Archiepiscopi, Praesides habeantur et sint; ita tamen, ut singuli, nomine et auctoritate eiusdem Pontificis, tamquam ab Eo specialiter delegati, per certum dierum circuitum seu per *turnum*, servato ordine nominationis ad Sedem Archiepiscopalem, officium Praesidis pro sua cuiusque vice in orbem exerceant. Praeterea Sanctitas Sua, preces vestras excipiens, benigne indulget, ut solemnibus Concilii sessionibus intersit, honoris tantum causa, aliquis ex Eminentissimis Patribus S. R. E. Cardinalibus.

« Vestrum est autem, Patres Reverendissimi, omnes Concilii vestri administros, ac praesertim qui Secretarii fungantur munere, designare. Sinite tamen tamquam Sub-secretarium vobis proponam Rmum Dñum Petrum Corvi, quem praesentem hic habetis. Cum omnia, quae ad Synodum pertinent, plene cognoscat, versatus insuper in rebus ad SS. Romanas Congregationes spectantibus, praesertim ad S. C. Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositam, in qua laudabiliter adlaborat, vobis quidem adiumento et utilitati esse poterit. Ad minora vero et inferiora officia, uti scriptorum, ostiariorum et caetera, assumi poterunt, si vobis videbitur, huius Collegii Pii-Latini-Americani alumni provectiores. Vestri sunt, vestrisque decretis, cum in suas dioeceses redierint, et ipsi debebunt subesse et parere.

« Suos etiam Consultores, nempe Theologos sacrarumque legum peritos, Concilium habere decet, et quos volueritis, adscisetis. Attamen ad commoditatem vestram mihi liceat aliquos praestantes viros, in re sive canonica sive theologica prudentes, vobis proponere, ut eos, si placet, inter vestros Consultores adnumeretis. Cum praeterea ex iis plerique in plena cognitione versentur consultationum studiorumque Synodi convocationi praemissorum, facile poterunt eas omnes praebere explanationes ac declarationes, quae necessariae vobis atque opportunae, prout occasio ferat, videantur.

« Quibus verbis ad vos habitis, Amplissimi Praesules, quae SSmus Dñus Noster mihi dederat in mandatis explevi, non mediocri affectus animi voluptate, quod mihi licuerit conventui vestro paulisper adesse, vosque breviter alloqui. Velitis modo accepta habere, quae imo ex corde profero, fervida vota et ad Divinam Maiestatem pro felici exitu laborum vestrorum humiliter converto. Nam hodierni conventus solemnitate expleta, a coetu vestro discedens corpore, non discedam spiritu, Deum enixe rogaturus, ut vos ad Eius gloriam, ad Ecclesiae honorem, ad gregum vestrorum emolumenta laborantes, suarum adiuvet copia gratiarum, laboresque vestros cumulate fortunet. Eius caritas in cordibus vestris diffusa augeat patientiam studiumque vestrum, unitatem servet, concordiam foveat: caritas

discrepantias vel dissensus, si quos forte in sententiarum diversitate oriri contigerit, humilis ac benigna conciliet. Omnibus demum precibus oro et obsecro immaculatam Dei Matrem Virginem Mariam, ut huius Concilii vestri patrocinium suscipere clementissima velit: adprecor castissimum eius Sponsum Iosephum, gloriosos Apostolorum Principes, ac coelestes Ecclesiarum vestrarum Patronos, ut omnes vobis et laboribus vestris propitii e coelo adsint ».

Cum Emo Cardinali, praeses fuit huius solemnis sessionis, iuxta normas de mandato Summi Pontificis ab eodem Emo Cardinali exhibitas, Rmus Archiepiscopus S. Iacobi de Chile, senior Archiepiscoporum. Deinde facta est solemnis processio, ut in Caeremoniali, praesidentibus Emo Cardinali Di Pietro et Rmo Archiepiscopo S. Iacobi de Chile. Solemnem Missam cantavit Rmus Archiepiscopus S. Salvatoris de Bahia, Primas in Brasilia. Cantatis postea hymnis et precibus praescriptis, et dicto: *Extra omnes* (id est, qui non habent locum in Concilio), Rmus Archiepiscopus S. Iacobi de Chile praeses effectivus sequentia decreta (quae a Patribus adprobata sunt, servatis ritibus in Caeremoniali praescriptis) promulganda mandavit:

I. - *De aperiendo Concilio.*

« In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

« Nos Marianus Casanova, Archiepiscopus S. Iacobi de Chile, Praeses et Delegatus Apostolicus, ad maiorem Omnipotentis Dei et Salvatoris Nostri Iesu Christi gloriam, ad Beatissimae Virginis Mariae eiusque castissimi Sponsi S. Iosephi honorem, et ad Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sanctorumque Americae Latinae Patronorum et Protectorum et omnium Sanctorum laudem, ad Fidei ac Religionis incrementum, ad pacem et concordiam populorum promovendam, statuimus ac decernimus, de consilio et assensu Reverendissimorum Episcoporum eiusdem Americae Latinae, hac ipsa die, dominica SS. Trinitatis, quae vigesima octava est mensis Maii anni 1899, adiutrice divina misericordia, initium fieri atque iam factum esse Concilii Plenarii Americae Latinae, quod a SS. D. N. Leone

Papa XIII per Apost. Litteras *Cum diuturnum* diei 25 Decembris 1898 indictum et de Eiusdem SS. D. N. mandato a S. C. Concilii die 7 elapsi Ianuarii pro hac die convocatum et ordinatum fuit. Faxit Deus ut haec Plenarii Concilii inchoatio felix sit ac fausta omnino, et in S. Matris Ecclesiae et civitatum Americae Latinae decus benevertat ».

II. - *Decretum de modo vivendi in Concilio.*

« Quum in memoriam Nobis revocamus illud Spiritus Sancti oraculum, in aedificanda domo, nisi Dominus aedificaverit, in vanum nos laborare; in aggrediendo opere gravissimo, quod intendimus, ad Illum nobis confugiendum est, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit, ad Patrem luminum qui postulantibus sapientiam largitur affluenter, et qui dat velle et perficere pro bona voluntate. Quare, in hoc Concilio Plenario celebrando, non viribus nostris exiguis confisi, sed Dei unius ope atque auxilio freti, supplices ab eo deprecamur, auspice Beata Maria Virgine, ut sedium suarum assistricem Sapientiam mittat, quae Patribus huius Concilii adsit, et cum ipsis laboret. Obsecramus igitur vos Reverendissimos Episcopos, Fratres Nostros, atque in Domino exhortamur ut ad Concilium promovendum egregias vestras dotes, et salutaria consilia, sanctasque preces conferatis: venerabiles quoque Sacerdotes, qui nobiscum congregati sunt, paterno amore per viscera misericordiae Dei obtestamur, ut sacrosanctum sacrificium Deo offerant, vitae sanctitate fidelibus praeluceant, ac sincero studio omnes in unum cooperantes ea omnia praestare satagant, quae ad fidelem Concilii exitum apta et condigna videantur ».

III. - *Decretum de praeiudicio non afferendo.*

« Si cui contigerit in hoc Plenarium Concilium non iure admissum fuisse, vel suo proprio loco non sedere, sententiamve dicere, aut aliud quidpiam agere; vel si forte aliqua ratione, propria alicui privilegia non concedantur, declaramus ac decernimus nullum ipsi ius novum esse ideo acquirendum vel praeiudicium inferendum; omnium enim iura sarta tectaque esse volumus ».

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

IV. - *Decretum de non discedendo et de secreto servando.*

« Universis qui ad Plenarium hoc Concilium conveniunt, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis in iure statutis, praecipimus, ne antequam Synodus ad exitum perducta fuerit, et eius acta subscripta, discedant, nisi ob iustas et rationabiles causas legitimam facultatem recedendi aliquis obtinuerit, et ne secreta ad Synodum spectantia publici iuris faciant ».

V. - *Decretum de iudicibus excusationum et causarum personalium in Concilio occurrentium.*

« Ut a Concilio Plenario omnia arceantur, quae unitatem et concordiam turbare aut deliberationis felicem progressum impedire aut quovis modo implicare possent, antiquum Conciliorum usum sequentes, aliquos causarum personalium Iudices constituere decrevimus, quibus excusationes quae forte praeferendae sunt, aliasque causas diligenter audire et exactius investigare, atque ad Nos referre incumbit, ut de iis cum Patribus iudicemus et definiamus. Huic autem muneri (*nomina habentur supra in elencho pag.* XLI) praeficimus; quorum duo ad causam quamlibet dirimendam sufficient ».

Facta promulgatione, Rmus Praeses, post instantiam Promotoris, sequens edidit decretum:

VI. - *Decretum de professione Fidei.*

« Cum inter omnes pastoralis officii sollicitudines illa potissimum prima esse debeat, ut Fides Catholica, quam Sacrosancta Romana Ecclesia tenet, et quae solidissimo Petrae fundamento nititur, incorrupta in Nostris Civitatibus vigeat et augescat, decernimus et statuimus, ut ab unanimi professione eiusdem fidei, quam salutis humanae initium et fundamentum praedicamus, praesentis quoque Synodi actiones sumant exordium et incrementum. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Idcirco patrum exempla et S. Concilii Tridentini ordinationem pie venerantes, praecipimus, et Reverendissimos Episcopos, necnon omnes in hac Synodo congregatos invitamus, ut professionem Fidei secundum formam a Pio Papa IV concinnatam emittant, una cum clausula de Romani Pontificis primatu deque eius infallibili magisterio addenda iuxta Pii fel. rec. Papae IX praescriptum ».

Lecto decreto, ipse Rmus Praeses effectivus Professionem Fidei iuxta formulam Pii IV et Pii IX flexis genibus emisit, ut in Caeremoniali. Deinde singuli Archiepiscopi et Episcopi accesserunt ad Praesidem, et pariter flexis genibus dixerunt: *Et ego N. Archiepiscopus* (vel *Episcopus*) *N. recipio, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo et iuro in formula Professionis fidei modo lecta, singula singulis referendo.* Et imponentes utramque manum super Evangelium, adiunxerunt: *Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.*

Tandem, indicta secunda Sessione solemni opportuna die habenda, rogatisque Notariis ut acta conficerent, et servato Caeremoniali, post orationem, Emus Cardinalis, qui Sessioni e throno praeerat, solemnem benedictionem impertitus est.

In hac solemni Sessione Rmus Archiepiscopus Montisvidei hunc sermonem ad Rmos Patres habuit:

> « Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum ... ... Legitimum sempiternum erit in cunctis generationibus vestris ».
> (*Levit.* XXIII, v. 21).

« Minimus ego Episcoporum, ad Venerabiles Fratres, qui Angelorum vice suis in Ecclesiis diligentissime perfunguntur, atque apostolici muneris sancte et laudabiliter partes implent, verba solemniter facturus, quid dicam, quidve praeloquar, quod ipsi apprime pleniusque non certo dignoscant? Pro vestra ergo benignitate mihi parcite, ausumque indulgete, Eme Domine, Rmi Patres; summo tamen gaudio omnes exultemus, quoniam, Dei misericordia annuente, hic Plenarius Conventus, cui numquam per tot saecula sui generis similis in Ecclesia Dei extitit, suum tandem sortiri potuerit effectum.

« Affulsit enim dies illa optatissima, qua totius Americae Latinae Episcopis concessum est, a longinquis regionibus in unum convenire, ac primum Concilium Plenarium Latino-Americanum in hac alma Urbe celebrare. Talis abs dubio huic magno faustissimoque eventui sedes condecebat.

« Istud autem, quonam feliciori omine auspicari possumus, quam si, postquam Omnipotenti Deo, bonorum omnium largitori, sacrificium laudis solemniter immolaverimus, Pontifici Summo, cuius potissimum opera hoc magnum est nobis gregibusque nostris beneficium collatum, maximas, quibus tenemur, ex intimo cordis gratias persolvamus? Quid vero nobis iucundius, quam ut, hac ipsa occasione oblata, sincerissimum nostrae devotionis, grati animi et amoris sensum erga Pastorem Maximum et Apostolicam Sedem imprimis testemur, in hac ipsa Urbe hospites, magnifice, libenterque recepti?

« Hoc muneris nostri debitum eo etiam gaudentius persolvimus, quod nos satis admirari nequimus fortissimum pectoris robur, prudentiam, zelum aeque ac sapientissimam Leonis normam ad universam Dei Ecclesiam tuendam regendamque; cuius quidem inusitata fortitudinis ac sapientiae exempla, vel illi ipsi stupefacti admiratione perspiciunt, qui a catholica Fide dissentiunt. Nosque praeterea, quia suum est quod convenire potuimus, videre debemus quomodo oporteat nos in Domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi (*I. Tim.* 3, v. 15).

« Nam quod praelongo abhinc temporum spatio, Praesules Amplissimi, in Americae Latinae provinciis maxime optandum erat, ac prae difficultate prope desperandum videbatur, Synodi Plenariae scilicet convocatio Praesulum illarum octodecim Rerumpublicarum; hoc, singulari SSmi D. N. Leonis XIII providentia, hodierna die Bmae Trinitati sacra, promptis et gaudentibus animis aggredimur. Exultat ergo cor nostrum in Domino, et Vos quoque, Venerabiles Fratres, summa perfusos esse laetitia plane non dubitamus, scientes quantum honoris ex coetu isto quotque beneficia esse pro Ecclesiis vestris repetenda.

« Laetissimo hocce die et ipsa tota America Latina congaudet, quoniam a saeculo desideratum, amplissimus scilicet suarum regionum Antistitum omnium sacer Consessus fortunatum nunc denique ab uno sapientissimo Pontifice Leone obtinuerit eventum; sicque in Eius perglorioso diuturnoque Pontificatu nihil iam pro Reipublicae Christianae bono atque salute intentandum Ei superesse videatur. Quam magnificata sunt enim opera magni Leonis! Non est factum tale opus in universis regnis (*Psalm.* CIII, v. 24).

« Haec est ergo dies, quam fecit Dominus; haec illa auspicata dies, albo lapillo vere signanda, qua Ecclesiarum Americae Latinae Pastoribus se coram consalutare post longa saecula pro vice prima permittitur; haec demum est dies, qua ipsi sancto caritatis vinculo consociati ad ovium sibi commissarum salutem promovendam iunctis animis conveniunt, plaudentibus cunctis, nos ex dissitis terris ad hanc Apostolicam Sedem, propugnaculum fidei, magistram veritatis, catholicae unitatis firmamentum, summa nos alacritate properasse; ac ideo spectaculum facti mundo, et Angelis, et hominibus, prae mirabili Pontificatum inter et Episcopatum unionis vinculo, quam sola nostra praesentia in Urbe patefacit, gentes omnes acclamare compellimus: " Ubi Petrus, ibi Ecclesia ".

« Sed dicam iterum, magnus iste faustusque eventus SSmi Dñi Nostri Leonis Papae XIII ardentissimo est zelo ac in Ecclesiarum regimine sapientiae adscribendus, qui a primordiis sui Pontificatus apostolica sollicitudine ac praeclaro consilio tot beneficia, eaque ingentia tum religioni, tum civili societati est munifice largitus. Nec dubitandum, providentissimum Christi Vicarium feliciorem futurarum rerum ordinem pro civili Christianaque societate proximis temporibus Americae affulgendum divino quodam intuitu praevidisse. Inde Pontificis sollicitudo et curae in hac indicenda Synodo quae, ad fidei ac religionis incrementum, ad pacem et concordiam in populis promovendam, uti maxime conveniens in nobis desiderabatur.

« Et sane, quamvis legitima Concilia, cuiuscumque ea generis existant, religioni atque societati perutilia semper evaserint, huiusmodi tamen Concilii Plenarii utilitatem pro universa America Latina maximam futuram esse, unusquisque facile sibi persuadebit; in illo enim, collatis studiis atque consiliis, ea nos statuere conabimur, quae in Provincialibus ac Dioecesanis deinde Synodis ad maiorem Dei gloriam amplificandam, eiusque Sanctae Ecclesiae causam propugnandam, et spiritualem christiani populi utilitatem promovendam tractanda erunt. Nam in sacro hocce Conventu curas cogitationesque nostras in ea praesertim ineunda consilia impendere debemus, quibus in nostris regionibus cleri disciplina, sanctitas, doctrina, zelus foveri valeat; et in populis curae nostrae commissis, morum honestas, pietas ac

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

solidior sanctissimae nostrae religionis cognitio promoveri, et mala perniciosa coerceri; sicque, ut patet, populorum tranquillitati et prosperitati, quae catholica religione vel maxime continentur, consulemus. Hincque, Deo benedicente, utilitatem haud exiguam Americae nostrae provinciis futuram confidimus, cum praeteritorum temporum memoria et ipsa aetatis nostrae experientia apertissime ostendant, optatam christianae reipublicae malis plerumque ex Synodis huiusmodi oriri medelam, et fidem ac pietatem in populis, et ecclesiasticae disciplinae studium ipsumque unitatis spiritum inter ipsos Pastores incrementa suscipere.

« Benedictus, itaque, Deus et Pater Domini Nostri Iesu Christi, qui nos operis sui ministros et Ecclesiae Pastores, Supremi Vicarii sui voce, ad Plenariam Synodum peragendam in unum collegit, ut veritatis et iustitiae iura tueremur et ad cleri populique bonum leges conderemus; siquidem, quamvis humilitatis nostrae conscii simus, illud certe nos recreat, quod ex iis de quibus in Synodo disputabimus, nihil erit vel excogitatum, vel dissertum, sive sancitum, quod ad cleri et ipsius Episcopatus splendorem, ad virtutum incrementum, ad vitiorum extirpationem, ad tranquillum reipublicae ordinem vel maxime non ordinetur; benemerentes igitur de Ecclesia efficiemur et de civili humanaque societate, siquidem religio ad omnia utilis est.

« Sed quid mundus, in tanta illa opinionum varietate, quid de pastoralibus nostris conventibus existimabit? Fortassis steriles formulas et ritus esse dicet, vanas declamationes, consilia inania, sententias demum frugis expertes. Sed istuc nihil nostra refert, quoniam, quam vehementer erret, qui ita opinetur, vel ipsa historia profana demonstrat.

« De rebus omnium altissimis et amplissimis agemus; nobilissima maximeque vitalia argumenta tractabimus, quaeque ad hominem atque societatem pertinent; illos quasi coelestes cardines stabiliemus, in quibus tum singulorum, tum familiae ipsiusque nationis felicitas omnis vertitur atque consistit; quamvis aeternae Sionis, veritatis nempe divinae, conscensa altitudine, minutias istas, quae politicae militantis quaestiones appellantur, ex professo relinquemus, ad altiora petentes. Religio Hominis-Dei, religio omnium saeculorum, cuius causa et creatus est

mundus et constat, quaque vera omnium vita continetur; ea ipsa erit in qua omnis nostra consultatio versabitur: illa, inquam, religio, in qua ab undeviginti saeculis mundi spes atque deliciae, cunctarum gentium salus et perfectio fuere repositae. In sanctissimo ergo illius nomine congregati, hoc unum in hac Synodo perfecturi sumus, illa scilicet consilia potissimum inire, concordissimis animis consociatisque studiis, quibus in nostris Dioecesibus sanctae fidei nostrae depositum integrum inviolatumque custodiatur, et catholicae Ecclesiae causa eiusque salutaris doctrina propugnetur, et cleri disciplina sarta tecta servetur, et adolescentium clericorum in scientia ac pietate institutioni, neque non christianae utriusque sexus iuventutis educationi consulatur, et morum honestas ac religio, pietas in omnium animis quotidie magis excitetur, foveatur; et vitia eliminentur, ac fideles apprime salutifera catholicae doctrinae scientia erudiantur, et concives errantes ad religionis et virtutis semitam reducantur.

« Haec suprema Ecclesiae missio per Pastores, quae si ad spiritualia praecipue dirigatur, ea tamen est Religionis nostrae conditio, ut quamvis ipsa per se salutem animarum directe respiciat, nihilominus temporalem prosperitatem ac veram civilitatem nedum non negligit, sed efficacius gignit ac fovet, uti docet magnus noster Leo ex D. Augustino, „ quam si esset parandis vel augendis mortalis vitae commodis et utilitatibus unice nata " (Enc. *Arcanum*). Hinc Ecclesia verae humanitatis auctrix, propagatrix, atque servatrix extitit; legesque fidei tuendae causa ab Ecclesia latae germanae libertati ac civilitati non nocent (Enc. *Libertas*), sed potius malis, quibus moderna societas opprimitur, remedia sola Ecclesia valet afferre (Enc. *Inscrutabili*).

« Et hoc etiam faxit Deus Omnipotens, ut ex hoc nostro Conventu, fraternitatis ac urbanitatis vincula inter Americae Latinae civitates magis intima, sincera ac solidiora in dies eveniant; ad quod quidem pro viribus adlaborare nobis sanctum erit et gloriosum; siquidem nihil antiquius, nihil iucundius nobis accidere poterit quam, quidquid amoris pietatisque erga greges nostris inest pectoribus, id significare velimus, dum viribus unitis, pro Deo et pro Patria prospera cuncta, sanctaque optemus et agamus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« Itaque, Eme Dne, Antistites Amplissimi, talis ac tantae Concilium nostrum futurum esse magnitudinis licet nobis sperare, ut ad Sanctae Sedis et ipsius Americae Latinae decorem et gloriam aureis litteris in historiae paginis eius memoria celebrari mereatur. " Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum... Legitimum sempiternum erit in cunctis generationibus vestris " (*Levit.* 23, v. 21).

« Sed iam huic humili sermoni finem imposituri, Vos, Venerabiles Fratres, invitamus, ut iterum Christi Vicario grates ex animo persolvamus, quod Concilio Plenario celebrando nos ad pontificiam Urbem occurrere permiserit, atque illud amplissimo honore Emi Domini Delegati praesidentiae decoraverit.

« Quapropter Magno Leoni uno ore, unaque mente acclamemus, et Ei omnia fausta, bona cuncta adprecemur. Vivat diu, valeatque, ad catholicam regendam Ecclesiam. Pergat, ut facit, eam suo robore tueri, sua prudentia dirigere, suis ornare virtutibus; praeeatque nobis, ut Bonus Pastor, exemplo, oves et agnos coelesti pabulo pascens, aquis divinae sapientiae reficiens. Nam Ille sanae doctrinae magister, Ille unitatis centrum, Ille populis lumen indeficiens ab aeterna Sapientia praeparatum. Ille petra est et ipsius Ecclesiae fundamentum, adversus quod nunquam inferorum potestates praevalebunt. Illum inter tantas molestias, totque labores fronte serena et imperturbato animo sacri muneris partibus fungentem, invictum, sapientem et erectum admiramur. In quibus omnibus, si iustissima gloriandi universae Ecclesiae suppetunt argumenta, cordi nostro novos adiicit gratitudinis et amoris stimulos ardens illud desiderium Patris amantissimi in Americae salutem felicioremque fortunam.

« Deus, itaque, benedicat e coelo sancto suo nostris laboribus, cunctisque studiis et desideriis nostris, ut ea quae ad tutamen et decus Catholicae Ecclesiae, neque non ad reipublicae salutem et incrementum, opere non intermisso peragemus, Is Ipse ad finem optatum perducat.

« Apprime scitis, Vos, Rmi Patres, qua cura, quave vigilantia nobis sit opus, cum nos Dominus super familiam suam constituerit, ut apud nostrarum regionum populos, ea religio, quae est dominantium et subditorum tutela, atque iustitiae et pacis parens simul et nutrix, ob id sit omnibus excolenda, servanda, tuenda.

« Spiritus autem Domini, qui lumen est cordium, et qui superna sua gratia pectora et mentes incendit, Americam nostram replere, et faciem eius renovare ubique dignetur. Et, voti quidem nos compotes fore sperare licet, praecipue si Deus omnium precibus exoratus, sapientissimo Pontifici Leoni diuturnam valetudinem et incolumitatem laetissimam plenioremque benigne largiatur, ita ut Ipse in dies vividior Ecclesiae necessitatibus, sicuti meditatur, diu possit occurrere.

« Tibi vero, Eme Domine, grati animi ergo, omnia etiam fausta, prosperaque e coelo adprecamur.

« Interim, gratia Domini Nostri Iesu Christi, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus nobis nunc et ubique semper. Amen ».

Congregatio generalis prima.

Feria II, die 29 Maii 1899, hora decima, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres, praeside Rmo Archiepiscopo S. Iacobi de Chile, Delegato Apostolico illius diei. In hac sessione probata fuit Epistola Synodica ad SS. D. N. Leonem PP. XIII, quae subscripta ab omnibus Rmis Patribus, totius Concilii nomine deferenda dicta est ad Summum Pontificem per duos Archiepiscopos duosque Episcopos seniores, qui insuper item totius Concilii nomine Emos Cardinales Rampolla Secretarium Status S. S. et Di Pietro S. C. C. Praefectum inviserent. Haud necessaria visa est Rmis Patribus electio Vice-Praesidum Concilii, adstante designatione omnium Archiepiscoporum ad successivam praesidentiam cum dignitate Delegati Apostolici de speciali Sanctitatis Suae benevolentia eisdem Archiepiscopis concessa. Electi sunt Secretarii Concilii, dignitate et officio pares, Rmi Episcopi S. Ludovici de Potosi et Petropolitanus, quibus per acclamationem adiunctus est uti Sub-secretarius Rmus D. Petrus Corvi. Deinde electi sunt Vice-secretarii, Iudices querelarum, Iudices excusationum, Promotores et Relatores. Consultores autem Concilii per acclamationem designati fuerunt. Electio caeterorum Concilii Officialium, Notariorum videlicet, Cursorum et Ostiariorum, commissa est Rmo Praesidi et Secretariis. Istorum autem Officialium nomina habentur in *Elencho Officialium Concilii Plenarii* (pag. XL). Media hac Congrega-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tione, Rmus Praeses, ob male affectam valetudinem abire coactus, rogavit Rmum Archiepiscopum Bogotensem ut locum Praesidis occuparet; et ita factum est. Post horam 12, recitatis precibus, Patres discesserunt.

Congregatio generalis secunda.

Feria III, die 30 Maii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres, praeside Rmo Archiepiscopo Bogotensi, Delegato Apostolico illius diei. In hac sessione confirmata fuit designatio Notariorum, de qua actum erat in sessione praecedenti, qui statim ad mensam ipsis paratam accesserunt ad confectionem actorum incipiendam. Deinde res fuit de normis in discussionibus servandis, intuitu tum plenissimae libertatis Patrum circa negotia deliberationibus Concilii proposita vel proponenda, tum circa ordinatum modum earumdem discussionum: unde iterum confirmata fuit et sapienter ordinata a toto Concilio libertas illa discussionum, postulatorum et observationum, quam plenam omnino voluit Apostolica Sedes. Decreverunt Rmi Patres ut Congregationes generales ab hora 9 ad 12 quotidie deinceps pro viribus haberentur, exceptis diebus sessionum solemnium. Non admittendos insuper dixerunt ad congregationes generales Consultores singulorum Episcoporum, cum ad rem sufficiant Consultores totius Concilii in Elencho Officialium descripti; salva tamen eorumdem Episcoporum libertate proprios Consultores in studiis et consiliis circa negotia Concilii adhibendi, sub lege tamen secreti.

Congregatio generalis tertia.

Feria IV, die 31 Maii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Bogotensi, Delegato Apostolico illius diei. In hac sessione declaratum est posse Episcopos absentium Praelatorum etiam aliarum regionum Americae Latinae observationes et desiderata exhibere cum propriis: unicum tamen unumquemque Patrem votum habere, quamvis propriae vel alienae provinciae absentes Episcopos repraesentet. Et hac occasione meritis laudibus celebrati sunt Metropolitae Guatimalensis et de Plata seu Boliviensis, aliique, legitimis quidem de causis absentes, sed toto corde totaque mente praesentes. Post haec, Rmi Patres incipiendam dixerunt discussionem decretorum iuxta ordinem Schematis. Sed omnibus placuit ut ante omnia decreta, speciale ederetur de consecratione totius Concilii Plenarii SS. Cordi Iesu et B. M. V. Immaculatae, Americae Latinae Patronae principali, cum invocatione Sanctorum eiusdem Americae Latinae, solemniter peragenda in aula Conciliari, ea ipsa die qua Summus Pontifex Urbem et Orbem dulcissimo Cordi Iesu consecraret. Deinde actum est de primis articulis cap. 1 tit. I *De Fide et Ecclesia Catholica*, et uberiores praescriptae sunt normae votationum ut, salva libertate discussionum, brevitati pro viribus consuleretur. Sequenti feria V, ob solemnitatem SS. Corporis Christi, non habebitur Congregatio.

Congregatio generalis quarta.

Feria VI, die 2 Iunii 1899, hora nona, in aula Conciliari convenerunt Rmi Patres, praeside Rmo Archiepiscopo Bogotensi, Delegato Apostolico illius diei. In hac sessione actum est de caeteris articulis cap. I tit. I *De Fide et Ecclesia Catholica*, et totum caput primum adprobatum est. Idipsum factum est de articulis cap. II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, quae cum modificationibus et additionibus a Patribus admissis, exceptis art. 68 et 69 speciali studio subiectis pro proxima congregatione, adprobata sunt.

Congregatio generalis quinta.

Sabbato, die 3 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Bogotensi, Delegato Apostolico illius diei. In hac sessione adprobatus fuit textus decreti consecrationis Concilii SS. Cordi Iesu ac B. M. V. Immaculatae, de quo actum est in congregatione tertia. Voluerunt etiam Patres ut, praeter laudatam consecrationem in aula Conciliari peragendam, alia fieret ab Episcopis horis vespertinis in Ecclesia Urbis SS. Cordi Iesu dicata, ad quam instanter invitati erant. Deinde ex art. 68 et 69 modificatis unicus factus est et adprobatus a Patribus. Tandem cap. XI totusque titulus I cum modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt. Res fuit po-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

stea de cap. I et II tit. II *De Fidei impedimentis et periculis*, quae praeviis modificationibus et additionibus admissis pariter adprobata sunt. Tandem Rmi Patres per acclamationem gratias egerunt Rmo Archiepiscopo Bogotensi, qui sapienti moderatione tot congregationibus, et proprio nomine, et vices agens Rmi Archiepiscopi S. Iacobi de Chile infirmitate impediti praefuit, planioremque fecit viam tenendam in successiva directione totius Concilii, Praesidentiae iura optima ratione concilians cum plena Patrum libertate: de qua re, mirabili consensione et fraterna dilectione, vel ab ipsa prima congregatione generali solliciti fuerunt omnes Rmi Patres, optimo consilio respondentes menti S. Sedis. Nec minori laude dignus habitus est ipse Rmus Archiepiscopus S. Iacobi de Chile, senior Archiepiscoporum, qui etsi infirma valetudine afflictus, optimis consiliis, diebus suae praesidentiae respondentibus et aliis validum Synodalibus auxilium praestitit.

SESSIO SOLEMNIS SECUNDA.

Dominica, die 4 Iunii 1899, hora nona cum dimidio, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus, Notariis et aliis, praeside ad honorem Emo ac Rmo Cardinali Seraphino Cretoni, a SS. D. N. Leone Papa XIII deputato. Missam celebravit de Spiritu sancto Rmus Archiepiscopus Bogotensis. Post Missam Rmus Archiepiscopus de Linares, novus Praeses, ad altare accessit: ipse pluviali coloris rubri paratus, caeteri Episcopi coloris albi, omnes mitram susceperunt. Cantatis psalmis et precibus praescriptis in Caeremoniali, dictoque: *Extra omnes*, Promotor instavit pro publicatione decretorum in praecedentibus Congregationibus generalibus adprobatorum, et facta lectione indicis Episcoporum, singulisque Episcopis respondentibus: *Adsum*, lecta sunt e suggestu per nonnullos Episcopos designatos (ne unicus lector nimis defatigaretur) decreta in praecedentibus congregationibus praeparata et probata, decretum videlicet de consecratione Concilii SS. Cordi Iesu et B. M. V. Immaculatae, et omnia decreta tituli I de *Fide et Ecclesia Catholica*. Decreta autem ex Titulo II iam praeparata mandata fuerunt ad proximam Sessionem solemnem. Exquisitis deinde cognitisque sententiis singulorum Patrum, solemniter adprobata sunt omnia decreta perlecta. Post haec, Promotores instantiam fecerunt pro rogandis actis. Secunda Sessio solemnis indicta est ad proximam feriam V. Tandem omnibus rite expletis, Emus Cardinalis Praeses ad honorem solemnem benedictionem e throno impertitus est.

CONGREGATIO GENERALIS SEXTA.

Feria II, die 5 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo de Linares, Delegato Apostolico illius diei. Rmus Archiepiscopus S. Iacobi de Chile rationem reddidit de commissione Episcoporum, qui hesterna die Summum Pontificem adierunt Litteras Concilii deferentes, ac legit scriptum in quo Sanctitati Suae significarunt primam omnium huius Concilii curam fuisse Supremo Ecclesiae Pastori singulorum Patrum devotionem atque observantiam erga Petri Cathedram exhibere; hinc singulos Synodales Apostolicam Benedictionem postulare ut Concilii labores bene procederent. Summus vero Pontifex benigne respondit quantum de iam notis huiusmodi devotionis sensibus laetus esset, ac praecipue de omnium Patrum concordia et unione: multaque in bonum Ecclesiae in tota America Latina ab ipso Concilio sperare. Eidem S. Pontifici aegro animo omnes laturos dixerunt absentiam Rmi P. Llevaneras, ad cardinalatum proxime promovendi, ideoque postularunt ut eius praesentiam in Concilio adhuc permitteret. Summus Pontifex spopondit aliqua Se ratione provisurum. Post haec actum est de commissionibus privatis visitationis Rmorum Patrum infirmorum, de negotiis Collegii Pii Latini Americani, etc. Tandem facta est discussio cap. III, IV, V, VI tituli II *De Fidei impedimentis et periculis*, quae, peractis modificationibus admissis, adprobata sunt.

CONGREGATIO GENERALIS SEPTIMA.

Feria III, die 6 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo de Linares, Delegato Apostolico illius diei. Facta est discussio cap. VII tit. II, et amplissima tractatione actum est de periculis et malis sectae Massonicae. Ut autem remedia efficaciora evaderent, voluerunt Rmi Patres ut distincte

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

adnotarentur normae a S. Sede praescriptae, quibus melius vitari possent defectus et excessus.

CONGREGATIO GENERALIS OCTAVA.

Feria IV, die 7 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo de Linares, Delegato Apostolico illius diei. Placuit Rmis Patribus, quod articuli cap. VII facti fuerint quasi compendium instructionum et declarationum S. Sedis circa sectam Massonicam, et admiserunt articulum additionalem cum citatione decretorum eiusdem S. Sedis quibus facile vitari possunt defectus et excessus, tutaque fiet et efficax agendi ratio contra insidias massonum. Voluerunt etiam Rmi Patres ut fiat expressa mentio documentorum S. Sedis quibus damnatur error eorum, qui praetendunt melioris seu mitioris conditionis esse naturam sectae massonicae in America ac in Europa. Deinde totum cap. VII cum admissis additionibus adprobatum fuit. Actum est postea de cap. I, II, III tituli III *De Personis Ecclesiasticis*, quae praeviis nonnullis additionibus, modificationibus et novissimorum decretorum citationibus adprobata sunt.

SESSIO SOLEMNIS TERTIA.

Feria V, die 8 Iunii 1899, hora nona cum dimidio, convenerunt in Aula Conciliari Rmi Patres cum Consultoribus, Notariis et aliis, praeside ad honorem Emo ac Rmo Cardinali Hieronymo M. Gotti a SS. D. N. Leone PP. XIII deputato. Missam de Spiritu Sancto celebravit Rmus Archiepiscopus de Linares. Post Missam novus praeses Rmus Archiepiscopus Antequerensis ad altare accessit paratus pluviali coloris rubri et mitra, alii Episcopi pluviale album et mitram habebant, servatoque Caeremoniali, et quae in secunda sessione solemni facta sunt, et dicto: *Extra omnes*, decreta omnia quae continentur in titulo II *De Fidei impedimentis et periculis* cum modificationibus a Patribus factis et in praecedentibus congregationibus generalibus admissis solemniter publicata, adprobata et promulgata sunt. Deinde Promotores instantiam fecerunt pro rogandis actis, et indicta est quarta sessio solemnis pro die Dominica,

11 Iunii. Emus Cardinalis Praeses ad honorem solemnem benedictionem e throno impertitus est.

CONGREGATIO GENERALIS NONA.

Feria VI, die 9 Iunii 1899, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Antequerensi, Delegato Apostolico illius diei. Recitatae sunt Litaniae SS. Cordis Iesu, quia prima occurrebat dies Triduanae supplicationis ante solemnem consecrationem SS. Cordi Iesu, iuxta decretum a Patribus editum ante omnia alia conciliaria decreta. Actum est postea de cap. IV tit. III *De Personis Ecclesiasticis*, et omnes huius cap. articuli probati sunt cum additione circa *Provisorem*. Cap. V et VI item adprobata fuerunt, praevia amplissima discussione circa quasdam praetensiones nonnullorum canonicorum, praeviisque modificationibus et additionibus admissis.

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA.

Sabbato, die 10 Iunii 1899, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Antequerensi, Delegato Apostolico illius diei. Recitatae sunt Litaniae SS. Cordis Iesu, ut die praecedenti, et statuta fuit definitiva formula consecrationis Concilii B. M. V. Immaculatae post formulam consecrationis SS. Cordi Iesu sequenti die recitanda; facta libertate Rmis Ordinariis ut, post verba *in Guadalupano*, explicitam mentionem facerent, si vellent, Sanctuariorum celebriorum propriae nationis, provinciae vel dioecesis; sicque in unaquaque natione non solum sanctuarii Guadalupani, quod commune thesaurum est et monumentum Marianae pietatis pro tota America Latina, celebraretur memoria, sed et sanctuariorum celebriorum quae Marianae dilectionis erga singulas eiusdem Americae Latinae nationes insignia existunt documenta. Deinde actum est de cap. VII, VIII et IX tit. III, quae praeviis modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt.

SESSIO SOLEMNIS QUARTA.

Dominica, die 11 Iunii 1899, hora nona cum dimidio, convenerunt in aula Conciliari Rmi Patres cum Consultoribus, No-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tariis et aliis, praeside ad honorem Emi ac Rmi Cardinali Dominico Maria Iacobini, a SS. D. N. Leone PP. XIII deputato. Missam de Spiritu Sancto celebravit Rmus Archiepiscopus Quitensis. Post Missam, exposito in altari principali aulae Conciliaris SS. Sacramento, Rmus Archiepiscopus Mexicanus, novus Praeses, ad presbyterium accessit: ipse pluviali rubro, caeteri Episcopi pluviali albo parati erant. Hinc Rmus Archiepiscopus Quitensis casula adhuc indutus, genuflexus in medio altaris, formulam consecrationis SS. Cordi Iesu et B. M. V. Immaculatae cum invocatione Sanctorum et Beatorum Americae Latinae alta voce recitavit, et cum eo pariter alta voce totum Concilium cum Collegio Pio Latino Americano et aliis clericis et fidelibus adstantibus: idque tanto cordis et oris fervore ab omnibus factum est, ut lacrymas dulcissimae devotionis et suavissimae fiduciae christianae prosperitatis populorum latino-americanorum in multis excitaverit. Et merito, nam si vel ab initio Concilii Plenarii Rmi Patres cor unum et anima una semper fuerunt, id speciali ratione factum est in hac suavissima solemnitate, quae totam Americam Latinam in SS. Corde Iesu et B. M. V. Immaculata adunatam, unitam, coniunctam exhibuit, coram tot Pastoribus et fidelibus sanguine, corde, amore latino-americanis. Post benedictionem cum SS. Sacramento eiusque repositionem, cantatis precibus aliisque servatis ut in Caeremoniali et secunda sessione solemni, dictoque: *Extra omnes*, decreta omnia quae continentur a cap. I ad cap. IX tituli III *De Personis Ecclesiasticis*, in praecedentibus Congregationibus generalibus iam probata cum suis modificationibus et additionibus, solemniter publicata, adprobata et promulgata sunt. Deinde Promotores instantiam fecerunt pro rogandis actis, et indicta est quinta sessio solemnis pro proxima feria V. Tandem Emus Cardinalis solemnem benedictionem e throno impertitus est.

Congregatio generalis undecima.

Feria II, die 12 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Mexicano, Delegato Apostolico illius diei. Ne integra lectio decretorum sessiones solemnes multiplicet, alii ex Patribus voluerunt ut deinceps, saltem quoad articulos

non modificatos, summaria tantum foret publicatio decretorum, utpote Synodalibus omnibus iam notorum, et plenae discussioni ac formali probationi in congregationibus generalibus subiectorum. Alii vero magis tutum dixerunt rem S. Sedi subiicere per Cardinalem Praefectum S. C. C. Deinde facta est discussio cap. X, XI. XII, XIII et XIV tit. III *De Personis Ecclesiasticis*, quae praeviis modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt.

Congregatio generalis duodecima.

Feria III, die 13 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Mexicano, Delegato Apostolico illius diei. Expleta est discussio cap. XV tit. III in praecedenti Congregatione incoepta, et praeviis modificationibus et additionibus adprobatum est. Eodem modo adprobatum est cap. XVI ideoque integer tit. III. Deinde actum est de tit. IV *De Cultu divino*, et praeviis modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt decreta cap. I usque ad art. 353.

Congregatio generalis decima tertia.

Feria IV, die 14 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Mexicano, Delegato Apostolico illius diei. Discussa et adprobata sunt cum admissis modificationibus et additionibus caetera decreta cap. I tit. IV. Deinde actum est de cap. II, III, IV et V eiusdem tituli, quae cum modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt. Post haec Rmus Secretarius notam fecit declarationem Summi Pontificis circa postulatum per Emum Cardinalem Praefectum S. C. C. exhibitum de summaria lectione decretorum in sessione solemni. Voluit Sanctitas Sua ut consuleretur brevitati sessionum solemnium, sed sine laesione dignitatis earumdem, ideoque ut in articulis longioribus una vel altera periodus, caeteri per integrum legerentur.

SESSIO SOLEMNIS QUINTA.

Feria V, die 15 Iunii 1899, hora nona cum dimidio, convenerunt in Aula Conciliari Rmi Patres cum Consultoribus, Notariis et aliis, praeside ad honorem Emo ac Rmo Cardinali An-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tonio Agliardi, a SS. D. N. Leone PP. XIII deputato. Missam de Spiritu Sancto celebravit Rmus Archiepiscopus Mexicanus. Post Missam novus praeses Rmus Archiepiscopus Quitensis ad altare accessit paratus pluviali coloris rubri, alii Episcopi pluviali albo, et servato Caeremoniali, dictoque: *Extra omnes*, decreta quae continentur in tit. III *De Personis Ecclesiasticis*, a cap. X ad cap. XVI, et tit. IV *De Cultu divino*, a cap. I ad cap. V, cum modificationibus et additionibus admissis, lecta, publicata, adprobata et confirmata sunt, servata quoad lectionem summariam benigna declaratione SS. D. N. Leonis PP. XIII, de qua in Congregatione generali praecedente. Tandem indicta est Sessio solemnis ad proximam diem Dominicam, et Emus Cardinalis praeses ad honorem solemnem benedictionem e throno impertitus est.

Congregatio generalis decima quarta.

Feria VI, die 16 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Quitensi, Delegato Apostolico illius diei. Actum est de cap. VI tit. IV *De Cultu divino*, et praeviis modificationibus et additionibus admissis probatum fuit. Deinde res fuit de cap. VII et VIII; et Rmi PP. habitis consiliis de necessitate amplioris indulti circa abstinentiam et ieiunium a SS. D. N. Leone PP. XIII instantissime postulandi, peractisque nonnullis modificationibus et additionibus, utrumque caput adprobarunt

Congregatio generalis decima quinta.

Sabbato, die 17 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Quitensi, Delegato Apostolico illius diei. Actum est de cap. IX, X, XI tit. IV *De Cultu divino*, quae praeviis modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt. Voluerunt Rmi Patres ut circa Appendicem ad *Rituale Romanum*, de quo in art. 441 Schematis, solliciti forent aliqui Rmi Antistites linguae tum hispanicae tum lusitanicae. Et ad augendum cultum Sanctorum et Beatorum Americae Latinae, cum eorum haberi non possint Litaniae, voluerunt ut opportuno tempore oratio aliqua conscriberetur, Apostolicis indulgentiis

ditanda, in qua expressa mentio fieret omnium Coelestium patronorum et protectorum eiusdem Americae Latinae. Deinde discussum est cap. XII eiusdem tituli IV, et praeviis modificationibus et additionibus admissis pariter probatum est. Denique incoepit disquisitio tit. V *De Sacramentis*, cuius cap. I similiter cum modificationibus et additionibus admissis adprobatum est.

Congregatio generalis decima sexta.

Dominica, die 18 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Portus Principis, Delegato Apostolico illius diei, qui denuntiavit Ven. Capitulum Archibasilicae Lateranensis Rmos Patres invitasse ad solemnitatem Praecursoris Domini. Rmi Patres assistentiam ad primas Vesperas decreverunt. Post haec actum est de cap. II tit. V *De Sacramentis*, et praeviis modificationibus et additionibus admissis, cum inscriptione ad Appendicem Concilii nonnullorum decretorum S. Sedis circa baptismum in locis ubi non habetur parochus, adprobatum est.

SESSIO SOLEMNIS SEXTA.

Feria IV, die 21 Iunii 1899, hora nona cum dimidio, convenerunt in aula Conciliari Rmi Patres cum Consultoribus, Notariis et aliis, praeside ad honorem Emo ac Rmo Cardinali Dominico Ferrata, a SS. D. N. deputato. Missam celebravit de S. Aloysio Gonzaga Rmus Archiepiscopus Quitensis. Post Missam, Rmus Archiepiscopus Portus Principis, praeses ut supra, ad altare accessit. Omnia peracta sunt ut in aliis sessionibus solemnibus. Et dicto: *Extra omnes*, decreta quae continentur a cap. VI ad cap. XII tit. IV *De Cultu divino*, et in cap. I et II tit. V *De Sacramentis*, cum admissis modificationibus et additionibus, solemniter publicata, adprobata et promulgata sunt. Crastina die, Rmi Patres assistent Consistorio publico in Palatio Vaticano, ideoque non habebitur Congregatio generalis.

Congregatio generalis decima septima.

Feria VI, die 23 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo S. Salvatoris Bahiae, Primate in Brasilia,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Delegato Apostolico illius diei. Ex Summi Pontificis concessione, votis Episcoporum huius Concilii annuentis, adfuit prima vice ut Praeses ad honorem Emus Cardinalis Vives (iam Consultor Concilii sub nomine P. de Llevaneras). Actum est de cap. III et IV, tit. V *De Sacramentis*, et, dilata discussione art. 532, adprobata sunt cum modificationibus et additionibus admissis.

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA OCTAVA.

Sabbato, die 24 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo S. Salvatoris Bahiae, Primate in Brasilia, Delegato Apostolico illius diei; praesente Emo Cardinali Vives, ut supra. Iterum actum est de art. 532, et adprobatus est. Deinde facta est discussio cap. V et VI tit. V *De Sacramentis*, quae cum modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt. Tandem dies 4 Iulii assignata est ad exequias pro Episcopis defunctis totius Americae Latinae, solemni ritu celebrandas.

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA NONA.

Dominica, die 25 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo de Durango, Delegato Apostolico illius diei; praesente Emo Cardinali Vives, ut supra. Voluerunt Rmi Patres brevitatis causa, ut decreta discussioni proposita deinceps non ex integro legerentur, sed ut quotidie designaretur numerus articulorum ex Schemate in sequenti congregatione discutiendorum, qui si placuerint, cum observationibus, modificationibus et additionibus admissis adprobarentur, exclusa integra lectione articulorum haud modificatorum. Actum est postea de cap. VII et VIII, tit. V *De Sacramentis*, usque ad art. 594, quae adprobata sunt cum modificationibus et additionibus admissis.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA.

Feria II, die 26 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo de Durango, Delegato Apostolico illius diei; praesente Emo Cardinali Vives, ut supra. Actum est de fine cap. VIII tit. V *De Sacramentis*, de cap. unic. tit. VI *De Sacramentalibus*, de tit. VII *De institutione Clericorum*, et de cap. I et II tit. VIII *De vita et honestate Clericorum*, et admissis plurimis modificationibus et additionibus, adprobata sunt.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA PRIMA.

Feria III, die 27 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo de Durango, Delegato Apostolico illius diei; praesente Emo Card. Vives, ut supra. Indicta est sessio solemnis ad diem 29, Sanctis Apostolis Petro et Paulo sacram. Actum est de cap. III, IV, V, VI, VII tit. VIII *De vita et honestate Clericorum*, et de cap. I et II tit. IX *De Catholica institutione iuventutis*, et praeviis modificationibus et additionibus admissis, adprobata sunt.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA SECUNDA.

Feria IV, die 28 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo de Durango, Delegato Apostolico illius diei; praesente Emo Cardinali Vives ut supra. Actum est de cap. III tit. IX *De Catholica institutione iuventutis*, et de cap. I, II, III, IV, V, VI, VII tit. X *De Doctrina Christiana*, quae, praeviis modificationibus et additionibus admissis, adprobata sunt. Voluerunt Rmi Patres ut, ratione solemnitatis, per horam tantum fieret lectio decretorum in sessione solemni crastina die promulgandorum.

SESSIO SOLEMNIS SEPTIMA.

Feria V, die 29 Iunii 1899, hora nona cum dimidio, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus, Notariis et aliis, praeside Rmo Archiepiscopo Bonaërensi, Delegato Apostolico illius diei. Missam celebravit de sanctis Apostolis Petro et Paulo Rmus Archiepiscopus Portus Principis. Servato Caeremoniali et dicto: *Extra omnes*, lecta per horam, publicata, adprobata et promulgata sunt decreta cap. III et sequentium tit. V *De Sacramentis*, tit. VI *De Sacramentalibus* et tit. VII *De institutione Clericorum*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA TERTIA.

Feria VI, die 30 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Bonaërensi, Delegato Apostolico illius diei; praesente Emo Cardinali Vives, ut supra. Actum est de cap. VIII et IX tit. X *De Doctrina Christiana*, et de cap. I tit. XI *De zelo animarum et caritate Christiana*, quae cum modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt. Deinde res fuit de cap. II et III; et voluerunt Patres ut eorum loco caput fieret unicum inscribendum: *De varia personarum conditione*, plane respondens desideratis et observationibus in discussione productis.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA QUARTA.

Sabbato, die 1 Iulii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Bonaërensi, Delegato Apostolico illius diei; praesente Emo Cardinali Vives, ut supra. Iterum actum est de novo cap. II sub titulo: *De varia personarum conditione* (et habita mente Reverendissimorum Patrum, redactio dicti novi capitis opportune facta et adprobata est). Deinde res fuit de cap. IV, V, VI, VII, VIII tit. XI *De zelo animarum et caritate Christiana*, quae, praeviis modificationibus et additionibus admissis, adprobata sunt.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA QUINTA.

Dominica, die 2 Iulii 1899, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Montisvidei, Delegato Apostolico illius diei: praesente Emo Cardinali Vives, ut supra. Lectae sunt, omnibus stantibus et reverenter ac lactanter audientibus, Litt. Apost. SS. D. N. Leonis PP. XIII, quibus respondit Epistolae Synodicae Patrum Concilii Plenarii, quae honoris causa positae sunt in principio Actorum, pag. XVIII, quamvis pro insertis habendae sint in actis praesentis congregationis generalis. Deinde res fuit de statu Collegii Pii Latini Americani, et de valido auxilio ipsi praestando. Postea facta est discussio cap. IX tit. XI *De zelo*

animarum et caritate Christiana, dilata ad proximam congregationem adprobatione.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA SEXTA.

Feria II, die 3 Iulii 1899, hora nona, in aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo Montisvidei, Delegato Apostolico illius diei; praesente Emo Cardinali Vives, ut supra. Actum est iterum de cap. IX tit. XI *De zelo animarum et caritate Christiana*, quod praeviis modificationibus et additionibus admissis adprobatum est. Praeviis similiter emendationibus et additionibus, adprobati sunt tit. XII *De modo conferendi ecclesiastica Beneficia*, et tit. XIII *De iure Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia*.

EXEQUIAE SOLEMNES PRO DEFUNCTIS EPISCOPIS.

Feria III, die 4 Iulii 1899, hora nona cum dimidio, Concilium Plenarium exequias solemnes celebravit pro animabus omnium Episcoporum Americae Latinae; praesente Emo Cardinali Vives. Missam de requie cantavit Rmus Archiepiscopus Montisvidei, et sequentem orationem funebrem pronuntiavit Reverendissimus Episcopus S. Ludovici de Potosi:

> Ossa eorum pullulent de loco suo, et nomen eorum permaneat in aeternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria.
> (*Eccl.* XLVI, 14, 15).

« Fateor equidem, Venerabiles Patres Concilii Latino-Americani, me numquam ad funus alacriori animo accessisse. Etenim si pius Augustinus matris parentalia questubus lacrymosis celebrare minime decere putabat, quomodo nos viros gloriosos et progenitores nostros in Christo laudaturi, planctu et gemitibus sermonem abrumpere audebimus? Quin potius ad rogum istum, in quo ossa eorum pullulant adstantes, cum Chrysostomo clamitemus: *Quasnam vobis, oh beati Apostoli, referemus gratias, qui tantum pro nobis laborastis?*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« Et re quidem vera, si Leo Magnus Principes Apostolorum felicius condidisse hanc Almam Urbem declarat, quam illi quorum studio priora ipsius moenium fundamenta locata sunt, quid de Episcopis illis sanctissimis praedicabimus, qui nedum Petri et Pauli vestigia persequentes, Ecclesias nostras instituerunt, sed etiam ad instar Romuli urbium nostrarum fundamenta iecere? Ipsi tamquam agni inter lupos, in Orbem prorsus novum et inexploratum missi, lupos in agnos penitus mutavere. Qui non bellatoria hastam, sed Verbi Dei gladium ancipitem vibrantes, innumeras gentes sub Crucis vexillo collegere. Mansuetudine insignes, fortitudine invicti, pacis olivam pastorali pedo innectentes, non armorum vi sed sermonum virtute idola fregere, nemora in civitates, crudelium Numinum delubra in veri Dei templa, iniquas aras humano cruore foedatas, in altaria quibus Iesu Christi sanguis perpetuo funditur transformavere. Potentiores et feliciores Orpheo illo Thracio qui (si fabulas veris miscere licet) et rupes, et bellua, et silvas cantu mulcebat, e feris et barbaris tribubus, gentem sanctam et genus electum effecerunt, et corda rupibus duriora, tamquam ceram emollientes, in Spiritus Sancti habitaculum aedificavere.

« Par est, Venerabiles Patres, ut nomen tantorum virorum in aeternum permaneat. Quorum quidem gloria in spiritualem eorumdem progeniem et in filios filiorum, et in eos qui ab illis nati sunt, et pertransiit et permanet. Si in Peruvia et Aequatoriali regione lilia virginitatis ab initio floruerunt; si Brasiliae maria Lusitanorum martyrum sanguine, et Iaponiae colles Mexicano cruore rubescunt, id Decessorum nostrorum sollicitudini et praedicationi tribuendum est. Omnes quidem, et Apostolorum charismata aemulati sunt et Apostolorum nomen meruere. Omnes, forma facti gregis ex animo, caritatis, qua flagrabant, in nosocomiis et brephotrophiis, in xenodochiis et asceteriis ab ipsis conditis, vestigia neque in futuro saeculo delenda reliquere. Multi litterarum laude vel scientiarum peritia, dignitati qua praefulgebant duplicem nitorem addiderunt et talia munificentiae vere regiae monumenta exegere, quae neque tempus edax rerum, neque perturbationes populorum, temporis falce nequiores, evertere valuerunt. Nonnulli sceptrum et gladium, haud damnando foedere, pastorali baculo iungentes, Ecclesias sapienter, politias sapientius, viribus additis rexere. Alii denique, pro Christi Sponsae iuribus fortiter dimicantes, sive victoria parta, sive gladiis aut insidiis impiorum occumbentes, posteris pacem et libertatem, anima pro ovibus posita, compararunt.

« Quorum laudes in amplissimo vestro consessu decantaturus, fateor me omnibus artubus contremiscere; non quia de humanitate seu benevolentia vestra diffidere praesumam, sed quia tantae molis ausu me imparem sentio. Nunc primum, a quo tempore Hispani et Lusitani heroes Novum Orbem et Ecclesiae et patriae acquisiverunt, nunc primum dissitarum illarum regionum universi Antistites, in Vaticani Montis fastigio, dexteras iungentes, Orbi veteri (me praecone) enarrare contendunt quae et quanta per quatuor fere saecula et agere et pati valuerunt, sanctissimi illi viri, Latino ex sanguine creti, quos tot gregibus pascendis Spiritus Sanctus constituit Episcopos. Parcite ergo mihi, Venerabiles Patres, si tam ardui facinoris magnitudine perterritus, gradum in ipso limine sistere videor: attamen, venia vestra, incoeptum aggrediar, et Decessores nostros, quibus pacem ad aras precamur, et Apostolos, et sapientes, et doctores, et martyres, et vere animarum et populorum rectores iure merito nominari et fuisse, pro meis viribus ostendere conabor.

I.

« Mirum sane videtur, Venerabiles Patres, quod vix triginta annis elapsis a die memoranda, qua Ligur ille navita Christophorus Columbus, tribus cymbis (quisnam enim easdem naves diceret?) Oceano lecto, novum Orbem ab undis emergere fecit, Iulius II ad insulas et S. Dominici et Portus Divitis (an. 1512) geminos miserit Episcopos. Nec mora: post septennium (an. 1519) Leonis Decimi iussu, vir sanctissimus Iulianus Garcés ad Iucatanenses appulit oras; et, ultra Tlaxcallam pergens, novae urbis moenium fundamenta ab Angelis ipsis designata iecit, unde illam *Angelopolin* veteres dixere coloni. Nec minus de animarum salute sollicitus Adrianus VI (anno 1522) nimis eheu! pulchram Cubam antistite donavit; et Clemens VII (anno 1527) virum seraphicum Ioannem de Zumarraga, *ex angulo sui Franciscani instituti extractum*, primum Mexicanorum constituit Episcopum, et (1530) Rodericum de Bastida Venezuelae sedi prae-

fecit. Neque Paulus III, longo quindecim annorum pontificatu, gregibus nuper natis providere desiit, quo regnante insignes Guatimalae et Limana, et Quitensis sedes creatae, et viri vere apostolici ad ipsas regendas missi fuerunt. Quid plura? Idem saeculum XVI vix medium iter erat praetergressum, cum et Brasilia et Chilianorum extrema regio suos iam habebant Episcopos, et multae aliae minoris ponderis sedes, tam in insulis quam in toto continenti, non amplius ignoto nec inexplorato, et conditae fuerant et augebantur.

« Quid sibi vult, Venerabiles Patres, mirifica haec Ecclesiae operositas nullo alio prorsus aevo superata vel superanda? Omnia quidem in laudem cedere, haud invitus fateor, Summorum illorum Pontificum, domibus Medicea et Farnesia, qui pietati sacerdotii regiam munificentiam et scientiarum, litterarum et bonarum artium studium iungentes, nihil antiquius habebant, quam Christi nomen, simulque avitam urbanitatem ad ultimas terras extendere. Quorum tamen nobilissima conamina irrita forsan evasissent, nisi (ut verbis laudati Ioannis de Zumarraga utar) divinae Bonitati placuisset Hispaniarum Regnis adeo celebres praeficere heroas, qui nedum barbaricos enses e medio effugarent, verum sui patrimonii ac vitae prodigi facti, remotissimas et incognitas penetrarent regiones, ac Idololatriae monstro inde sublato, Evangelium vitae, Crucis vexillo hinc inde triumphante, Christianorum magna stipante caterva, late diffuseque plantarent. Quorum cura revera fuit ut omnes gentes eamdem orthodoxam fidem profiterentur, et universus orbis ad unius veri Dei cultum redigeretur. Ob hoc quippe, innumeras rates maris procellis exposuere; ob hoc regnorum suorum thesauros, nec assem mundani lucri inde sperantes, saepissime proiecerunt. Quorum quidem virtutes Lusitaniae Reges aemulantes, et in Indiis Orientalibus et in Sinarum coloniis, et in Occiduis Brasiliae plagis, viros apostolicos Episcopos constitui curaverunt.

« Ne miremini, igitur, Venerabiles Patres, si Petrus Fernandez Sardinha in praedicta Brasilia, et Rodericus Bastida in Venezuela, et Martinus de Calatayud in Columbia, et Hieronymus de Loaysa in Peruvia, et Garzia Diaz in Aequatoriali regione vere Apostolos se praebuerint, et Pauli vestigiis inhaerentes, *in labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in ieiuniis multis, in frigore et nuditate,* vitam transegerint. Quod de paucis praedico, de universis Ecclesiarum nostrarum conditoribus dicendum est: quippe qui patriae fines, et arva linquebant paterna, non turpis quaestus causa, sed ut animas Christo lucrifacerent, non ad superbas gentes debellandas, sed vineam Domini proprio sanguine, vel saltem sudoribus irrigaturi.

« Unum igitur alterumve laudantes, universos illos viros gloriosos pariter laudamus; omnes simul extollentes, et singulos extollimus. Verumtamen, ne aegre feratis ut de aliquibus praesertim sermonem faciam. Nec enim de rebus a te gestis silere fas esset, Ioannes de Zumarraga, Mexicani Archiepiscopatus et pater et conditor. Mihi te persequi videor per montes et valles, per anfractus et colles, martyrium frustra, errantes oves sub manus quaerentem. Miror te, primum omnium torcularia et typos ad libros escudendos ex Hispali in Orbem Novum trans Oceanum vehentem. Gratias maximas ago Deiparae Virgini quae te singularibus charismatibus cumulavit, qua duce, prima percelebris Guadalupani Sanctuarii fundamenta iecisti. Obstupesco memorans quot collegia, quot scholas pro Indis litteris et bonis artibus erudiendis, brevi temporis spatio condideris. Horresco denique referens qua malitia, qua ingratitudine, qua iniuria aevi nostri pseudo-sapientes, te falso accusaverint quod nedum idola everteris, sed aboriginum monumenta, sive stylo exarata, sive affabre sculpta, nescio quo fanatico furore actus combusseris; te, inquam, litterarum et cultorem et patronum, te, et Indorum et Hispanorum vere patrem et ducem.

« Quis ex vobis, VV. PP., res pulcherrime gestas ab apostolico viro Bartholomaeo de las Casas, secundo Chiapensi Antistite ignorat? Sacerdotii plenitudine nondum auctus ipse primus, primum in toto Novo Orbe Missae sacrificium litare meruit. Ad episcopalem dignitatem evectus, apud Hispaniae Reges Indorum patronum sese constituit; quorum tanto ardore tantaque facundia causam egit, ut nomen aeternum in universo mundo sibi comparaverit.

« Minus fortasse vobis notus alter Mechoacanensis Antistes, vir venerabilis Vascus de Quiroga. Sicut Ambrosius Mediolanum, sic ille in Novam Hispanam non ut Episcopus, sed civilis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

magistratus infula indutus a Rege missus est; et Ambrosii vestigiis inhaerens, sese non ut iudex, sed ut Episcopus gessit, et Episcopus tandem est consecratus. Errantes tres in pagos reduxit, humanos mores invexit, singulas artes singulis oppidis assignavit, quas usque in hodiernam diem et exercent et servant. Neophytis ubicumque sacramenta propria manu ministrans, lepra quae vulgaris a medicis nuncupatur captus, foeda coram hominibus, pulchra coram Deo vestigia angelico vultu ad mortem usque gestavit.

« De tertio Antistite Limano, plura, VV. PP., vellem vobis praedicare; sed inter Coelites adscitum iustis funebribus laudare non licet. Quomodo vero de sanctissimis nostris Decessoribus sermonem faciens, Beatum Thuribium, apostolicorum virorum et exemplar et prototypum praetermittere possem? Aliquid, igitur, fuerit quodcumque, narrabo; non eum cum caeteris confundens, quos apotheosi dignos nondum Ecclesia censuit, sed ut speculum Pastorum, cujus radiis et fulgoribus quotquot post ipsum venerunt illustrati, tot *Thuribii*, ut ita dicam, effecti sunt, pro viribus ostendens.

« Benedicti XIII oraculum beatum Antistitem graphice pingit Limanam gentem, moribus foede corruptam et superstitionibus inquinatam, in vineam electam, fructibus honoris et honestatis onustam, transformantem; dioecesim et sacram provinciam nudis pedibus lustrantem; synodos, et provinciales et dioecesanas, tenentem: sacris viris et virginibus consulentem; nongentos et amplius mille fideles chrismate ungentem, inter quos (oh vere fortunate senex!) Sancta Rosa Limana adnumeratur; denique, dum visitationi pastorali operam daret, gravi morbo correptum, et in osculo Christi beatissimam animam efflantem.

« Nonne, VV. PP., hisce sublimibus sermonibus et omnium Decessorum vestrorum effigiem cernitis? Loquere tu de tuis, Beati Thuribii haud indigne successor, Limane meritissime Praesul. Vestros et vos extollite, Brasiliani Pastores, et vos Aequatorialium montium et fertilis Columbiae decus et ornamentum, et qui Argentini fluminis ad oras, vel in Andium radicibus greges pascitis. Ego quidem de mea Nova Hispania dicam, et ut unum tantum memorem, de apostolicis virtutibus Alphonsi de Haro y Peralta brevem sermonem faciam, qui Mexicanam Metropolin, exeunte saeculo XVIII, plures annos ut Archiepiscopus, aliquo tempore ut prorex prudentissime gubernavit. Ipse non semel, sed decies et septies vastissimam dioecesim a mari usque ad mare perlustravit; undecim millia ex utroque clero virorum sacerdotio propriis manibus auxit; et quod mirum sane videtur, vicies centena millia fidelium sacro chrismate inunxit. Ergo longo bis centum et sexaginta annorum spatio, primaevus apostolicus spiritus haud certe defecerat, et priscorum virorum et virtus et gloria in filios filiorum pertransierat.

« Non igitur spes fefellerat Iulianum Garcés, primum Angelopoleos Episcopum, qui ad Paulum III de novellis gregibus scribens, familiaritate quadam filiali Summum Pontificem hortatur ut *Deum imitari, aemulari, comitari* festinet, *cum illum milites suos Apostolos in Indos destinantem ac pene urgentem videat*. Non igitur sese deluserat verba haec, tabulis marmoreis sculpenda, ad eumdem Paulum faciens: « Hoc tibi ipsi in primis persuadeas, Beatissime Pater, velim; ex quo Evangelii veritas in mundum effulgere coepit, post promulgatam per Apostolos, duces ac praeceptores nostros, salutis viam, nihil unquam pensi maioris in Ecclesia extitisse Catholica, quam haec apud Indos talentorum dispensatio ». Neque idem Paulus III, apostolico viro rescribens, nisi prudentissime sese gessit, facilem ad Ecclesias illas condendas, quas altitudo Divini Consilii mirifico modo afferebat, viam sternens et paterna caritate patefaciens.

II.

« Neque tantum animarum zelo vel apostolicis ardoribus Decessores nostri flagrarunt; sed multi etiam litterarum laude et scientiarum cultu insignes ubique floruerunt. Nemo prorsus ignorat qua vehementia Leonem XIII, Concilii Nostri Auctorem et patronum, verbo et exemplo humaniorum litterarum studium clericis praesertim inculcare; quippe qui nec corporis cruciatibus fractus, nec Ecclesiarum omnium sollicitudine impeditus, et fidibus dulciter canit, et familiares ad modulandum invitat. Ipse Damasum et utrumque Leonem aliosque qui etiam in Summi Pontificatus apice Musas coluerunt, quadam memorat voluptate; et de collegiis et scholis, de bibliothecis et ludis

litterariis, Sanctae Sedis iussu, ab Episcopis a fundamentis exstructis, non semel mentionem facit.

« Quod quidem in regionibus nostris facta probavere. Erraret utique qui rudes milites illiteratosque mercatores tantummodo, Hispanorum ducum vestigia secutos putaret. In Nova Hispania vix anno trigesimo a veteri eversa, a nova Mexicanorum Urbe condita, Carolus V studiorum Universitatem instituit; quod paulo post pro Limana civitate Philippus II decrevit, utramque Academiam Clemente VIII confirmante. Mox et Nova Granata, et Aequatoris incolae, et Inferior Peruvia et toto penitus orbe divisi Araucani, et Amazonum orae, et Insulae Oceani ceteraeque regiones in Universitates studiorum, plura monasteria et collegia, Regia et Pontificia auctoritate, serius ociusve transformavere.

« Neque has Academias magni nominis umbram praeseferre quis existimet. Quo tempore Concilium III Mexicanum habitum fuit, Novae Hispaniae Archigymnasium celeberrimum illud Salmanticense aemulabatur, et Graecae et Latinae litterae florebant, et in pluribus facultatibus plusquam octoginta viri praeclarissimi doctorali laurea fuerant insigniti. Ibi in poetico certamine coram Patribus praedictae Synodi posito, egregium iuvenem fas esset videre, et hostium acies facile sternentem, et omnes sibi lauros, omnes coronas arripientem. Quem non frustra venerandi Praesules alterum Virgilium futurum esse praecinere valuerunt. Omini quidem respondit eventus; ille enim Insulae Portus Divitis duodecimus Episcopus evasit, qui gregem et spirituali alimonia, et propriis facultatibus, et carminibus pascere valuit; ille fuit alter e duobus vatibus veri nominis epicis de quibus Hispania iure merito gloriatur; qui quondam rura et silvas et *Aureum aevum* gracili avena modulatus, paulo maiora *Magnificentiam Mexicanam* versibus laudans cecinit, denique vero horrentia Martis arma Christianumque Virum immortali carmine ad astra extollere non timuit; ille fuit Bernardus de Vallebona (seu Valbuena), episcopatus Orbis utriusque decus et ornamentum.

« Saeculo, insequenti, in Australi plaga Gasparus de Villaroel in iure canonico peritissimus floruit, quem omnes fere regiones illae suum merito dicunt; quippe qui in civitate Quitensi natus, in regno Chiliano et in utraque Peruvia episcopatum gessit; et Ulyssipone et Matriti plura volumina edidit, quae tanti viri sapientiam testantur. In eadem Chiliana regione, paucis abhinc annis, Praesul alius a prima virtute non degenerem se monstravit. Quisnam ex vobis, VV. PP., Institutiones Canonicas a praeclaro Antistite de Serena, Iusto Donoso, magno labore exaratas non legit?

« Nonnulli etiam in hac Alma Urbe et facie novistis Clementem Munguia, Mechoacanensem Antistitem, et cum eo familiariter egistis. Etiamsi gratus animus ad laudandum tantum Pontificem non impelleret, coetus nostri decus et honor labia mea aperirent. Orator fuit mirifice facundus, qui saepe ter eodem die de eadem materie conciones habuisse dignoscitur. De re philosophica et de Theologia morali, de iure Canonico et de Rhetorica plura edidit volumina. Et Ecclesiae et patriae amore flagrans, pro utraque et libris editis et gladio verbi decertavit, et tandem pro iustitia et veritate in exilio diem supremum obiit; si tamen exilium Romae ad martyrum cryptas dulcis commoratio potest nuncupari.

« Utinam possem et Hieronymi de Ore, in Peruvia nati, in Chilia Episcopi; et Angelopolitani Ioannis de Palafox, et Brasiliani Romualdi Antonii de Seixas, et aliorum multorum innumera fere volumina inter aerumnas et sollicitudines pastorales exarata prae oculis ponere. Utinam nomina recensere tot optimarum artium patronorum, qui licet ipsi non scripserint, scriptores plurimos et opibus, et praemiis propositis, et stimulis subditis fovere. Electi Patres e Franciscalium et Augustinianorum ac Praedicatorum coetu et e Societate Iesu, qui circa tumulum istum arrectis auribus adstatis! dicite quot e sodalibus, qui in Orbe Novo floruerunt, et Europae et Americae torcularia eruditissimis elucubrationibus sudare fecerunt. Illos nominatim laudare non licet, quia de Episcopis defunctis tantummodo ritus iubet effari; sed quidquid illi de humanioribus litteris et bonis artibus meriti sunt, in honorem cedit Antistitum qui et asceteria fundaverunt, et de religiosa disciplina sollicitos, et de scientiis colendis studiosos sese praebuerunt. Ipsorum virtutis, una mecum, quaeso, praecones estote.

III.

« Iam ad tristem exitum, inter flumina sanguinis, saeculum XVIII tandem pervenerat; et aevum nostrum, omine haud minus infausto, in lucem prodierat. Europa tota, discordiae flammis fere consumpta, ubi haeresis non imperabat, eversas aras, thronos effractos, gentes deletas lugebat. Asia pervetusta, adhuc in tenebris et in umbra mortis misere sedebat, paucis demptis insulis et plagis Hispaniae et Lusitaniae regum ditioni subiectis. Interea, perturbationum ignara, Deo devota, Ecclesiae parens, tota America nostra urbanitatis bonis in pace gaudebat.

« Non amplius erat ille Orbis veteribus ignotus, humanis sacrificiis dire foedatus. A mari usque ad mare et a septemtrionibus usque ad extremas australes oras, et moenia surgebant et urbes, incolarum frequentia et aedium amplitudine Hispaniae et Galliae et Italiae civitates adaequantes. Basilicae auri et argenti splendore praefulgentes, veri Dei Nomen suaviter resonabant. Deiparae Virgini insignia ubique dicata Sanctuaria de populorum pietate praeclarum reddebant testimonium. Collegia plurima, academiae, scholae, nosocomia, monasteria, et Pastorum et gregum largitatem decantabant. Itinera per montes quondam impervios magnis sumptibus aperta, rectorum Status (quorum non pauci episcopi fuerant) de gentibus sibi commissis sollicitudinem testabantur. Sed, quod magis est, Christus vicerat, Christus regnabat, Christus imperabat. Haeresi exclusa, Idololatria fere penitus extincta, vix unus alterve dignoscebatur, ex toties centenis millibus qui vastum continentem incolebant, qui nonnisi christianus et catholicus nominaretur.

« Saeculo adolescente, arcana Dei providentia disposuit ut sicut olim Alexandri, et Romanorum, et Caroli Magni Imperia, etiam Hispaniae Imperium transoceanicum in plura regna finderetur; et quae coloniae nuncupabantur, in tot respublicas sese constituerunt. Non tamen, ut evenire solet, filiarum in novam vitam ortus genitricis attulit interitum; quippe quae valida et robusta, universo mundo obstupescente, apparebat, postquam sexdecim natae (oh mira foecunditas!) et ipsae adulta aetate viragines, e domo paterna sese avellere maluerant, et Brasilia soror (ab Hispania iam a Philippi IV temporibus, a Lusitania

nuper segregata) se comitem adiunxerat. Quas mater Ecclesia pio sinu fovere non desiit et quousque licuit, ad coelestia pascua, simul ac ad terrenam prosperitatem, manu ducere laboravit.

« Sed remotas etiam illas plagas studium libertatis invasit; et uti fieri solet, cum libertate licentia et bella plus quam civilia venere. Ibi etiam impietas altaria conata est evertere; et Satanae bene ordinatae phalanges Ecclesiae Sanctae, sive aperte, sive paratis insidiis, bellum indixere. Non tamen dormitabant nec dormiebant Israelis custodes; et ii qui etiam cum his qui oderunt pacem erant pacifici, pro Ecclesiae iuribus fortiter dimicarunt, et pro ovibus, quando opus fuit, animam posuerunt.

« Quos inter haud dubium primum tenes locum, Vitalis Gonçalves de Oliveira, Olindensis Antistes et Martyr, Brasiliae decus, Seraphici Ordinis gloria, et si addere licet, animae meae dimidium. Mihi videre te videor, adhuc pubescente iuventa, nigris oculis nigroque capillo nigraque barba capulatorum more promissa decorum, Ecclesiam primum demirantibus turbis ingredientem. Pulchriorem te memoro hostium latebras detegentem, acies Satanae e Templo eicientem, Caesaris iram spernentem, et demum catenis vinctum et in carcerem detrusum. Oh beata vincula, oh beata carceris moenia! Dum post annos fere viginti quinque tanti facinoris subit imago, iterum ex oculis dulces labuntur lacrymae, et admiratione affectus, et sancta invidia captus, catenas quas ipse pro peccatis portare non merui, vellem saltem ut martyris reliquias deosculari. Oh vere beate, Antoni Macedo, Parensis et postea S. Salvatoris Antistes, vir docte et egregie, qui easdem partiri dignus es habitus, et qui maximus esses inter Brasiliae martyres, nisi Vitalis Olindensis maior extitisset.

« Nec te silentio praetermittam, vir inter mites mitissime, Ioseph Ignati Checa, qui te Borgiano ex sanguine cretum gloriabaris et Quitensem Archiepiscopatum sapienter regebas. Fata tibi arridere videbantur. Ecclesia et Statu arcto foedere coniunctis, Respublica Aequatorialis sese christianae politiae exemplar praebebat. Sed eheu, inter flores anguis latebat, et ad Religionem delendam, geminas et Reipublicae et Templi columnas proruere Satanae acies statuerunt. Proprio cruore madefactus

fortissimus cecidit Dux: te vero, Patrem et Antistitem, ad aras ipsa Parasceves die operantem, in calice salutari, proh scelus! propinatum venenum e vivis abstulit; et una tecum et pax et prosperitas e patria fugerunt. Surgite, VV. PP., et ad martyris tumulum candidos spargite flores.

« Memoria tua erit in benedictione, Bogotensis Antistes, Emmanuel Ioseph Mosquera. Nec vincula sanguinis, nec vis, nec dolus, constantiam et virtutem tuam deflectere valuerunt. Fortiter dimicasti, fortiter cecidisti. Quidnam addere possent labia nostra egregiis laudibus quibus Pius IX te solemniter commendavit? Ipse brachiis protensis et, uti traditio fert, propriis aedibus te in exsilium coactum expectabat et maximis honoribus augere decreverat; sed aliter fata statuerunt, et prius quam Romam peteres, e Massiliae plagis ad coelestem aulam evolasti.

« Ne aegre feratis, VV. PP., ut etiam Mexicanos meos athletas commemorem. Nec unus fuit Antistes quin impari certamini parem se probaverit. Lazarus de la Garza, uterque Petrus Espinosa et Loza, Carolus Colina et Petrus Barajas, lapidibus obruti et in exilium pulsi, exsultaverunt ut gigantes ad currendam viam; sed omnes supereminet, sicut viburna cupressus, Pelagius Antonius de Labastida, in stadio primus, et utinam in agone novissimus. Laudemus et Sylvestrum Guevara, Antistitem de Venezuela, qui post diuturna bella infeliciter gesta, ad sedandam procellam, novus Ionas, in mare sponte prosiluit. Laudemus et egregium Archiepiscopum Valentinum Valdivieso qui, in Chiliana Republica, primum Marte ancipite, demum ex sententia pugnavit. Laudemus et Guatimalae praeclarum Praesulem Bernardum Piñol y Ancinena, propter veritatem et iustitiam in insulas Oceani relegatum. Una denique laudatione omnes amplectamur, qui pacem et libertatem Ecclesiae et successoribus propria immolatione comparaverunt.

IV.

« Congregatis in Concilio, VV. PP., et priorum Conciliorum meminisse decet, et aliquot saltem e Praesulibus qui ipsis interfuerunt commemorare. Celeberrimas esse inter omnes Toletanas Synodos, in veteri Hispania, nemo prorsus ignorat; quippe quae nedum canones pro Ecclesiarum regimine, sed leges etiam quae

Gothorum regnum adhuc adolescens sustentarent, tulerunt. Quod idem de Conciliis et in Nova Hispania et in Peruvia saeculo XVI celebratis praedicare auderem. Testes estis, VV. PP., non pauca ex nostris decretis, hodiernis necessitatibus accommodata, et iterum auctoritate nostra fulcita, cum illis a Beato Thuribio et tertii Concilii Limani Patribus editis, ad unguem concordare. Tertiam pariter Mexicanam Synodum, eodem fere tempore, praeside praeclarissimo viro Petro Moya de Contreras, coactam, magna usque in hodiernam diem gaudere auctoritate nemo prorsus ignorat. Luget Ecclesia, quia temporum vices et praesertim saeculi elapsi perturbationes impedierunt, quominus Conciliorum IV Limani et IV Mexicani Decreta, ad Sanctam usque Sedem pro recognitione et emendatione pervenerint. Quippe quae ex pulvere tabellariorum nuper educta, et prudentia, et sapientia plena inventa sunt, amorem Decessorum nostrorum erga Petri Cathedram exhibentia, et plura quae dioecesibus regendis perutilia fuissent, si opportuno tempore et Apostolica facultate fuissent evulgata.

« Magni revera coram Deo et hominibus, quotquot Patres Synodo IV Mexicanae interfuere! Aedes rege dignae, quas pro egenis alendis Antonius Alcalde Guadalaxarae condidit, tanti viri nomen ad sidera tollunt. De Francisco Fabian y Fuero, caeterisque Praesulibus, temporis angustiae silere me cogunt; de praeside vero aliquid singillatim dicendum videtur; quippe qui solus ex Latinae Americae Antistitibus cardinalitia dignitate *actu* insignitus fuit et in hac Alma Urbe, duobus Pontificibus apprime carus, de litteris et bonis artibus optime meritus, diem supremum obiit. Veteri Hispania natus, et Salmanticae Doctor et Palentiae Episcopus erat Franciscus Antonius de Laurentiana, cum Oceanum transmeare iussus Mexicanam Metropolin, anno 1766, regendam suscepit. Vix credibile videtur quot et quanta brevi quinque annorum spatio pro Dei gloria perfecerit. Religiosam disciplinam instauravit, studia ad normam Doctoris Angelici restituit, academias fundavit, his dioeceseos visitationem aggressus est, domum pro expositis aere suo et condidit et dotavit, Historiam Ferdinandi Cortesii, Acta et Decreta trium priorum Conciliorum Mexicanorum, aliosque libros suis sumptibus typis edi curavit, et demum Concilium IV

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et convocavit et ad finem feliciter duxit. Vix expleta Synodo, a Clemente XIV Toletanus Antistes renuntiatus et a Pio VI, Pontifice Maximo, in Cardinalium Conlegium vocatus est. Toleti manicomium, hospitium, et castrum pro militibus e fundamentis exstruxit, Conciliorum Hispanorum *syllogen*, Toletanorum Patrum, Martini Legionensis et Isidori Hispalensis opera, nec non plures de liturgia mussarabica libros in lucem prodire iussit. Pium VI in exilium sequutus suis opibus iuvit, ipsius praesertim opera Conclave Venetiis congregatum fuit, et Pius VII Pontifex Maximus renuntiatus; tandem et meritis et annis plenus hèic Romae in Domino obdormivit.

« Parcite, VV. PP., si de tanto Antistite paulo diffusius locutus sum. Iam de Iosepho Ignatio Checa, Conciliorum Quitensium auctore, disserui. Restat ut de Concilio Bogotensi, et de clarissimo Archiepiscopo Vincentio Arbelaez, mentionem faciam; sed de ipsius decretis satis, magna cum laude, in congregationibus nostris audistis. Nec aliquid addere de recentioribus Provincialibus Conciliis in Mexicana Ditione, et in Bolivia, seu de Synodis dioecesanis in civitatibus S. Iacobi de Chile et S. Pauli, Cordubae, Goyasi, Fortalexiae et alibi nuperrime habitis mihi licet, quia viventes fratres laudare cogerer. Nostrarum enim partium Antistites ab initio usque in hodiernam diem, non solum Pastores sed et legumlatores sese praebuerunt. Fasti etiam Novi Orbis tredecim Praesules, vel proreges, vel Imperatorum vices gerentes in sola Nova Hispania recensent; plures in Peruvia et alibi eadem dignitate cumulati adnumerantur.

« Audistis me dicentem Franciscum Antonium de Laurentiana unum ex universis nostris Praesulibus rubro galero *actu* donatum fuisse. Alter etiam, in augustissimum Purpuratorum coetum, Pii IX Pontificis Maximi, Caietae exulantis, benignitate adscitus est. Sed eheu, morte praeventus, neque scire potuit se ad tantum honorem vocatum; et Summi Pontificis litterae gaudii nuntiae, inter lacrymas et gemitus, venerabilis viri praesente cadavere, lectae fuerunt. Nomen illi Ioannes Caietanus Portugal, Mechoacanensis Episcopus.

« Desino, VV. PP., iam desino, non quia nullus supersit inter Decessores laude dignus, sed quia patientia vestra nimis abuti vereor. Quae pro meis viribus hactenus exposui, quaeque vos

ipsi, me accuratius, de Praedecessoribus scitis, satis superque quid in praesentiarum agendum nos docent. Saeculum iamiam interiturum ab initio ad exitum usque, infractos ubique terrarum, adverso Marte, Latinos vidit. Sed adhuc, sicuti de Roma cecinit vates, Latina stirps, quidquid non possidet armis, religione tenet. Num sperare possumus, volventibus annis, ipsam religionem robur avitum addituram, et quem quatuor abhinc saeculis stirpi nostrae dedit principatum iterum collaturam? Ad Amplitudines vestras, tantum pertinet facinus, VV. PP., ad eos praesertim ex vobis qui prima floretis iuventa. Et Roderici Toletani, et Thuribii Limani, et Ioannis de Zumarraga, et Vitalis Olindensis sanguis in vobis fervet. Quod illi pro religione et patria perfecerunt, num vosmetipsi instaurare non poteritis?

« Quare agite, VV. PP., afferte sacra, concipite foedus, et super cineres Decessorum nostrorum iureiurando iurate et Apostolicos labores, et litterarum studium, et amorem patriae aemulari, ita ut nomen eorum permaneat in aeternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria. Dexteras, quas circa hunc tumulum hodie iungimus, inimicus homo numquam avellere valeat; et dum pacem vita functis ad aras precamur, pacis amplexu dulciter innexi, qui adhuc in terris peregrinamur, in aevum maneamus.

« Deus Omnipotens, Iudex vivorum et mortuorum, et Pastorum Princeps! quod in nobis operatus es, confirmare ne dedigneris. Mane nobiscum, oh bone Iesu, quoniam vitae nostrae vesperascente coelo, Te comitem volumus, Te magistrum desideramus.

« Immaculata Virgo, quae Americam totam stellato tegis pallio, quaeque in Mexici et Boliviae montibus Guadalupes nomine gaudes honorari, et Argentinas oras et Aequatoriales tenes arces! pia thura et preces ad Nati solium ferre ne desinas. Qui per te placatus, aeterna requie animas Decessorum Nostrorum donare dignetur. Amen ».

SESSIO SOLEMNIS OCTAVA.

Feria IV, die 5 Iulii 1899, hora nona cum dimidio, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus, Notariis et aliis, praeside ad honorem Emo Cardinali Seraphino Cre-

toni, a SS. D. N. Leone PP. XIII deputato. Missam de Spiritu Sancto celebravit Rmus Archiepiscopus Bonaërensis. Post haec, Rmus Archiepiscopus Montisvidei, praeses ut supra, ad altare accessit, et servato Caeremoniali et dicto: *Extra omnes*, lecta, publicata, adprobata et confirmata sunt decreta tit. VIII, IX, X, XI, XII, XIII. In fine Emus Cardinalis solemnem benedictionem e throno impertitus est.

Congregatio generalis vigesima septima.

Feria V, die 6 Iulii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Delegato Apostolico illius diei; praesente Emo Cardinali Vives, ut supra. Actum est de toto tit. XIV *De rebus sacris* et de cap. I tit. XV *De Iudiciis Ecclesiasticis*, quae praeviis modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt.

Congregatio generalis vigesima octava.

Feria VI, die 7 Iulii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Delegato Apostolico illius diei; praesente Emo Cardinali Vives, ut supra. Actum est de cap. II, III, IV tit. XV *De Iudiciis Ecclesiasticis* et de tit. ultimo seu XVI *De promulgatione et executione Decretorum Concilii*, et praeviis modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt. Sicque auspicato finis impositus est discussioni Decretorum Concilii, unanimi dulcissimaque concordia semper perdurante, omnibusque plaudentibus et gratias Deo persolventibus.

Congregatio generalis vigesima nona.

Sabbato, die 8 Iulii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rmo Archiepiscopo S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Delegato Apostolico illius diei; praesente Emo Cardinali Vives, ut supra. Actum est de postulatis, et re undequaque perpensa, Rmi Patres rogaverunt Emum Cardinalem Vives, de singulis postulatis et desideratis

Concilii Plenarii plane conscium, ut ipse vellet postulata debita forma ordinare et nomine totius Concilii S. Sedi exhibere. Adprobata est etiam ratio edendae Epistolae Synodicae ad omnes fideles Americae Latinae, subscribendae ab omnibus Rmis Patribus. Denique lecto schemate *Acclamationum* pro solemni sessione finali, voluerunt Patres ut in eis specialis mentio fieret Cardinalis Vives, iuxta formulam quam unanimiter adprobarunt. Lectum fuit etiam Pontificium diploma concedens Archiepiscopis Americae Latinae facultatem habitualem concedendi octoginta dies indulgentiarum. Denique propositum est speciale desideratum, SS. D. N. Leoni PP. XIII humili supplicatione exhibendum, videlicet ut occasione et ad perpetuam Concilii Plenarii memoriam, Collegii Pii Latini Americani decus, stabilitas, dotatio novis amplificaretur augmentis sub perpetua directione Societatis Iesu, et speciali tutela S. Sedis et Episcoporum Americae Latinae.

SESSIO SOLEMNIS NONA SEU ULTIMA.

Dominica, die 9 Iulii 1899, hora nona cum dimidio, in Aula Conciliari convenerunt Rmi Patres cum Consultoribus, Notariis et aliis, praeside ad honorem Emo Cardinali Antonio Agliardi. Sacrum solemniter celebravit Rmus Archiepiscopus Limanus, praeses et Delegatus Apostolicus illius diei, Servato Caeremoniali dictoque: *Extra omnes*, decreta tit. XIV, XV, et XVI seu ultimi publicata, adprobata et solemniter promulgata fuerunt. Post haec Emus Cardinalis solemnem benedictionem e throno impertitus est. Post discessum Emi Cardinalis Agliardi, Emus Cardinalis Vives finalem allocutionem habuit ad Rmos Patres (ipsis petentibus), in qua amplissimis laudibus celebravit mirabilem constantemque Rmorum Patrum concordiam, sacerdotalem scientiam, pastoralem sapientiam, eximium zelum, singularem sensum fidei et episcopalis caritatis ardorem, quibus toto durante Concilio eluxerunt et arserunt. Multa deinde ad auspicatam decretorum Concilii Plenarii observantiam et efficaciam subiunxit, et reverentis amicitiae verbis animos Rmis Patribus addidit, ut spem reponentes in SS. Corde Iesu, et in protectione B. M. V. Immaculatae, opus quod die SS. Trinitati sacro incoeperunt et hac die Prodigiis B. M. V. dicato perficiunt, fidu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cialiter consumment, decretis Synodalibus ab ipsis editis semper innixi. Deinde Rmus Archiepiscopus Limanus sequentem gratulatoriam orationem dixit, et sessio suspensa est:

« *Eminentissime Princeps; Reverendissimi Patres;* — Plenarium hoc Concilium Americae Latinae sub faustis vere felicibusque auspiciis inchoatum, quando nempe Summus Pontifex universum Orbem Sacratissimo Iesu Christi Cordi consecrabat, ad suum iam vertit finem. Faustissimum quidem habuit initium sub potentissima etiam protectione Beatissimae et Immaculatae Virginis Mariae, S. Iosephi et Sanctorum omnium Americae Latinae Patronorum. Hanc protectionem reipsa consecutum, et abundantissime consecutum, felicissime hodie Concilium concluditur.

« Laetandum profecto nobis est de peracto labore, quem omnes confidimus cessurum in maiorem Dei gloriam et in salutem animarum tam praecipuae partis ovilis Iesu Christi, nobis Pastoribus, Divinae Providentiae consilio, concreditae.

« Ut hanc insignem Dei gratiam obtineamus iter quod mira animorum concordia inivimus feliciter emensi, par est, ut Omnipotenti Deo primum gratias referamus, a quo uno, omnia, quae a nobis sancte gesta sunt, repetenda esse libentissime profitemur. Gratias ergo agamus, et ex toto corde agamus, Deo nostro per Iesum Christum pro omnibus nobis, qui tam pio tam sancto operi adlaboravimus.

« Fides autem nostra et filialis amor noster postulat ut ad Vaticanum montem et oculos et mentes et corda nostra attollamus. Omni obsequio salutemus gloriosissimum Pontificem Leonem XIII, huius Plenarii Concilii sapientissimum inspiratorem et munificentissimum Patronum. Ab ipso nobis demonstratam salutis semitam fideliter latis decretis secuti sumus, fidelissime, quantum in nobis erit, opere et executione sequemur. Deus Optimus Maximus incolumem sospitemque servet, longa adhuc annorum serie, communem Christi fidelium Parentem, per quem, et litteris scriptis et gestis operibus, tanta gloria universae Ecclesiae parta est, tantus auctus decor Apostolicae Sedi.

« Tibi deinde, Eminentissime Princeps, animis omnium oculisque conversis, voluntatum nostrarum obsequium debitum amplissimamque significationem exhibemus, Tibi nimirum cuius summa sapientia, et virtute mirifica, et admirabili suavitate, difficillimis negotiis fauste sancteque perfuncti sumus; rerumque omnium, quas expedivimus auspicio tuo, nullo unquam tempore memoria dilabetur. Nostris enim mentibus tuas virtutes insculptas gerimus, iisque affatim edocemur, qua constantia fidei, tum Dei gloria, tum salus animarum curanda sit.

« Vobis autem, praestantissimi Archiepiscopi atque Episcopi, ut merito gratuler prorsus me imparem sentio, qui fidelissimi Pastores pro grege vobis commisso diuturnos labores curasque assiduas perpessi estis. Tantam autem et mentium concordiam et consiliorum sapientiam et desideriorum integritatem in hoc gravissimo munere perficiendo prae vobis tulistis, ut sperandum merito sit, susceptum hoc opus uniuscuiusque vestrum Dioecesibus esse summopere profuturum.

« Vobis etiam, clarissimi Consultores, Notarii et Concilii Officiales, gratiae habendae a nobis sunt, et agendae ob sedulam et utilem operam, qua Patres omnes coadiuvastis. Omnium enim vestrum et propensa semper in hoc Concilium fuit voluntas, et praesto semper fuit in dubiis scientia et doctrina.

« Reliquum est, ut a Deo omnipotenti, Beataque eius Genitrice Immaculata Virgine Maria, a S. Iosepho B. Virginis Sponso, a S. Thuribio aliisque Sanctis Americae Latinae Patronis, enixe deprecer ut, quod in eiusdem Americae bonum, eorum tutela, Eminentissimi Principis auspicio, laboribus nostris, vestrum omnium benevolentia perfecimus, bono faustoque exitu, secundum vota omnium nostrum expectationemque honestetur ».

Continuatio et conclusio sessionis et totius Concilii Plenarii indicta est ad horam sextam serotinam, in qua praeses fuit ad honorem Emus Cardinalis Angelus Di Pietro, a SS. D. N. Leone PP. XIII deputatus, praesente honoris causa Emo Cardinali Vives. Praeses effectivus fuit Rmus Archiepiscopus Limanus, et ita factum est ex singulari Dei dispositione ut dignissimus successor S. Thuribii, qui Magister et Patronus omnium Synodalium Americae Latinae merito proclamatus est in hisce synodalibus actionibus, auspicatum finem Concilii Plenarii qua praeses effectivus celebraret. Omnia peracta sunt iuxta Caeremoniale, sed ob ma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gnum concursum clericorum et fidelium dictus non est *Extra omnes*. Post processionem et *Acclamationes*, quae infra transcribuntur, omnes Rmi Patres osculum pacis acceperunt et dederunt, alio ex alio, incipientes ab Emis Cardinalibus Di Pietro et Vives. Deinde Emus Cardinalis Di Pietro solemnem benedictionem e throno impertitus est, et promulgata fuit indulgentia Plenaria a SS. D. N. Leone XIII concessa. Denique cantato: *Recedamus in pace* etc. omnes discesserunt.

ACCLAMATIONES

in fine Concilii Plenarii solemniter cantatae a Rmo Episcopo Cuernavacensi, respondentibus omnibus Rmis Patribus.

℣. Gratias tibi, Deus, gratias tibi, vera et una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Unitas.

℟. Te Deum Patrem Ingenitum, te Filium Unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde confitemur, laudamus atque benedicimus: tibi gloria in saecula: tibi gratias in aeternum: confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℣. Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: ipsi gloria et honor in saecula.

℟. Cor Iesu sacratissimum, o Cor voluptas coelitum, Cor fida spes mortalium, tui sumus, tui esse volumus, salva nos et populos nostros; reconde nos in dulcissimo habitaculo caritatis tuae. Suavis enim es, Domine, et in aeternum misericordia tua.

℣. Beatissimae Virgini Mariae, ab originali labe praeservatae, peramantissimae Americae nostrae Latinae Patronae potentissimae, laus perennis, veneratio sempiterna.

℟. O immaculata Mater nostra, o benignissima Mater nostra, o dulcissima et augustissima Regina nostra, misericordias tuas grato animo decantamus. Sub tuum praesidium confugimus. O Domina, quae rapis corda hominum dulcore, tu rapuisti cor nostrum, tu rapuisti corda populorum nostrorum, tu primitias fidei nostrae benignissima praesentia tua, suavissima protectione

tua in Guadalupano aliisque pietatis tuae monumentis per universas regiones nostras obfirmasti, amplificasti et confirmasti. O Domina nostra, o Mater nostra, quae serpentis caput virgineo pede contrivisti, libera populos nostros a venenatis impiorum et haereticorum iaculis; tuque, quae Nutrix fuisti atque Educatrix populorum nostrorum in fide dilectissimi Filii tui, Tutrix etiam, Vindex et Propugnaculum esto. Tui sumus, custodi nos.

℣. Iosepho sanctissimo, Deiparae Sponso castissimo, qui gentis nostrae Protector semper extitit dilectissimus, laus et veneratio.

℟. Virginum Custos, quem laeta celebrant agmina coelitum, quem cuncti resonant christiadum chori, intercede pro nobis, suscipe corda nostra, dulcissimo Cordi Sponsae tuae Immaculatae perpetua donatione dicanda, donanda, tradenda.

℣. Sancto Thuribio, quem omnium Americae Latinae Antistitum et Synodalium exemplar et ornamentum splendidissimum celebramus, perpetua veneratio.

℟. Antistes sanctissime, intercede pro nobis, ut labores nostri synodales fructum afferant sempiternum.

℣. Coelitibus cunctis, qui glorioso martyrio, apostolicis laboribus, heroicisque virtutibus Americam Latinam illustrarunt, laus perennis et gloria.

℟. Sancte Protomartyr Philippe a Iesu, beatissimi Martyres Brasiliani et Mexicani, Sancti Praecones Apostolici, beati Confessores, geminatumque Lilium coelestis viridarii nostri, Rosa Limana et Maria Anna a Iesu, orate pro nobis, orate pro civitatibus nostris, ut in vinculo pacis et caritatis coniunctae ab omni malo liberentur.

℣. Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, Christi in terris Vicario, totius Ecclesiae Capiti, infallibili Magistro, Americae Latinae Patrono vigilantissimo, Episcopalis hierarchiae nostrae Amplificatori benignissimo, Concilii Plenarii Auctori providentissimo, gratiae maximae, aeterna memoria.

℟. Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra et non tradat eum in animam inimicorum eius. Anni multi in senectute perfecta; gloriosus de inimicis triumphus; gaudium plenum in reditu aberrantium ovium ad verum Christi ovile; laetitia sempiterna.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℣. Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Senatui, qui Concilii Plenarii novum ornamentum fuit per Amplissimos Purpuratos, Praesides ad honorem solemnium sessionum, perennis memoria.

℟. Gratiae plurimae; vita incolumis; gaudium sempiternum.

℣. Eminentissimo Cardinali Vives gratiae plurimae, ob amorem singularem quem Ecclesiis Americae Latinae ostendit, suam perstrenuam navans operam in laboribus Plenarii Concilii dirigendis.

℟. Dominus Eminentissimum Principem coelestibus repleat favoribus, eique diuturnam incolumemque vitam largiatur.

℣. Reverendissimis Archiepiscopis Concilii Plenarii Apostolicis Delegatis et Praesidibus diligentissimis, aeterna memoria.

℟. Gratiae multae; pax et gaudium; anni multi; laetitia indeficiens.

℣. Omnibus et singulis Reverendissimis Patribus Concilii Plenarii, quorum mirabilem concordiam, ardentissimum zelum, fervorem pastoralis caritatis Urbs tota percelebrat, memoria sempiterna.

℟. Benedictiones plurimae; gratiae uberrimae; anni multi; felix ad proprias dioeceses regressus; memoria in saecula; coeleste gaudium.

℣. Reverendissimis Archiepiscopis et Episcopis absentibus, osculum pacis, dulcis memoria, dona sempiterna.

℟. Dominus benedicat Antistites absentes, et incolumes servet, ut in reditu confratrum plenum sit omnium gaudium, semper vita sancta, aeterna laetitia.

℣. Omnibus Archiepiscopis et Episcopis Americae nostrae Latinae, qui ex hoc saeculo migrarunt, aeterna requies, gaudium sempiternum.

℟. Pax aeterna; lux perpetua; laetitia indeficiens.

℣. Diligentissimis Magistris Apostolicarum caeremoniarum, gratiae multae, retributio aeterna.

℟. Dominus sit gaudium eorum et merces in laetitia sempiterna.

℣. Reverendissimis Consultoribus, qui sapientes et prudentes coadiutores Patrum facti sunt, gratiae multae, aeterna merces.

℟. Dominus laetificet corda eorum ubertate gratiarum et mercedis sempiternae.

℣. Omnibus Officialibus Concilii et Patribus Societatis Iesu Collegii Pii Latini Americani Moderatoribus, gratiae plurimae, vita incolumis, plena merces in coelis.

℟. Dominus remunerator eorum sit, eosque in aeternum laetificet.

℣. Rerum publicarum nostrarum Supremis Magistratibus pax multa, felicitas plena, prosperitas indeficiens.

℟. Salvas fac, Domine, Respublicas nostras, earumque Supremos Magistratus, gentesque nostras universas. Fac etiam, Domine, ut sint unum in unitate fidei, in amore propriae patriae, in zelo decoris et incolumitatis communis stirpis, totius scilicet Americae nostrae Latinae. O Maria Immaculata, Patrona et Tutamen nostrum, protege nos, salva nos, coniunge gentes nostras in amore propriae incolumitatis, unitatis et communis integritatis, in solemni professione fidei nostrae catholicae et apostolicae.

Fiat, fiat. Amen, amen.

Sub eadem die a Rmis Patribus edita est sequens

EPISTOLA SYNODICA

AD CLERUM ET POPULUM AMERICAE LATINAE.

Archiepiscopi et Episcopi, in Concilio Plenario Americae Latinae Romae congregati, Clero et populo suarum Dioecesium — Salutem et benedictionem in Domino.

Materna Ecclesiae caritas, quae universas gentes ad Christum trahere nullo unquam tempore destitit, singulari ratione in America nostra Latina, vel ab ipsis primordiis conversionis aboriginum, mirabiliter apparuit. Cuius caritatis uberrimos fructus gaudens percelebrat Paulus III, dicens [1]: « Non sine grandi et spirituali mentis nostrae laetitia, accepimus, quod

[1] Litt. *Altitudo*, kal. Iun. 1537.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℣. Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Senatui, qui Concilii Plenarii novum ornamentum fuit per Amplissimos Purpuratos, Praesides ad honorem solemnium sessionum, perennis memoria.

℟. Gratiae plurimae; vita incolumis; gaudium sempiternum.

℣. Eminentissimo Cardinali Vives gratiae plurimae, ob amorem singularem quem Ecclesiis Americae Latinae ostendit, suam perstrenuam navans operam in laboribus Plenarii Concilii dirigendis.

℟. Dominus Eminentissimum Principem coelestibus repleat favoribus, eique diuturnam incolumemque vitam largiatur.

℣. Reverendissimis Archiepiscopis Concilii Plenarii Apostolicis Delegatis et Praesidibus diligentissimis, aeterna memoria.

℟. Gratiae multae; pax et gaudium; anni multi; laetitia indeficiens.

℣. Omnibus et singulis Reverendissimis Patribus Concilii Plenarii, quorum mirabilem concordiam, ardentissimum zelum, fervorem pastoralis caritatis Urbs tota percelebrat, memoria sempiterna.

℟. Benedictiones plurimae; gratiae uberrimae; anni multi; felix ad proprias dioeceses regressus; memoria in saecula; coeleste gaudium.

℣. Reverendissimis Archiepiscopis et Episcopis absentibus, osculum pacis, dulcis memoria, dona sempiterna.

℟. Dominus benedicat Antistites absentes, et incolumes servet, ut in reditu confratrum plenum sit omnium gaudium, semper vita sancta, aeterna laetitia.

℣. Omnibus Archiepiscopis et Episcopis Americae nostrae Latinae, qui ex hoc saeculo migrarunt, aeterna requies, gaudium sempiternum.

℟. Pax aeterna; lux perpetua; laetitia indeficiens.

℣. Diligentissimis Magistris Apostolicarum caeremoniarum, gratiae multae, retributio aeterna.

℟. Dominus sit gaudium eorum et merces in laetitia sempiterna.

℣. Reverendissimis Consultoribus, qui sapientes et prudentes coadiutores Patrum facti sunt, gratiae multae, aeterna merces.

℟. Dominus laetificet corda eorum ubertate gratiarum et mercedis sempiternae.

℣. Omnibus Officialibus Concilii et Patribus Societatis Iesu Collegii Pii Latini Americani Moderatoribus, gratiae plurimae, vita incolumis, plena merces in coelis.

℟. Dominus remunerator eorum sit, eosque in aeternum laetificet.

℣. Rerum publicarum nostrarum Supremis Magistratibus pax multa, felicitas plena, prosperitas indeficiens.

℟. Salvas fac, Domine, Respublicas nostras, earumque Supremos Magistratus, gentesque nostras universas. Fac etiam, Domine, ut sint unum in unitate fidei, in amore propriae patriae, in zelo decoris et incolumitatis communis stirpis, totius scilicet Americae nostrae Latinae. O Maria Immaculata, Patrona et Tutamen nostrum, protege nos, salva nos, coniunge gentes nostras in amore propriae incolumitatis, unitatis et communis integritatis, in solemni professione fidei nostrae catholicae et apostolicae.

Fiat, fiat. Amen, amen.

Sub eadem die a Rmis Patribus edita est sequens

EPISTOLA SYNODICA

AD CLERUM ET POPULUM AMERICAE LATINAE.

Archiepiscopi et Episcopi, in Concilio Plenario Americae Latinae Romae congregati, Clero et populo suarum Dioecesium — Salutem et benedictionem in Domino.

Materna Ecclesiae caritas, quae universas gentes ad Christum trahere nullo unquam tempore destitit, singulari ratione in America nostra Latina, vel ab ipsis primordiis conversionis aboriginum, mirabiliter apparuit. Cuius caritatis uberrimos fructus gaudens percelebrat Paulus III, dicens [1]: « Non sine grandi et spirituali mentis nostrae laetitia, accepimus, quod

[1] Litt. *Altitudo*, kal. Iun. 1537.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quamplures incolae occidentalis et meridionalis Indiae, licet divinae sint legis expertes, Sancto Spiritu tamen cooperante, illustrati, errores, quos hactenus observarunt, penitus ab eorum mentibus et cordibus abiecerint, ac Fidei Catholicae veritatem et Sanctae Ecclesiae unitatem amplecti, et secundum ritum eiusdem Romanae Ecclesiae vivere desiderent et proponant ».

Dulcissimae igitur dilectionis affectu Pius IV [1] « novellas illas plantas amoenis caritatis et gratiarum imbribus irrigare et confovere » voluit. Et Clemens VIII [2] primaevos aborigines conversos « tamquam teneros novae plantationis palmites, suavi mansuetudinis imbre irrigare » curavit. Quae quidem apostolicae caritatis exempla omnes alii Pontifices Maximi imitati sunt. « Ubi siquidem, ait Gregorius XVI [3], Romani Pontifices detectam Americam atque illius incolas sedentes in tenebris et umbra mortis intellexerunt, nullam pati moram potuerunt, quominus vastissimas inventi orbis regiones in Apostolicae sollicitudinis partem adsciscerent, et, qua Verbi Dei praeconibus illuc dimissis, qua novis Dioecesibus institutis, omni denique solertiae, pietatis atque industriae genere, miseros illos homines densissimis errorum nebulis advolutos ad texendum salutis iter adducerent ».

Hac etiam de causa SS. Dominus Noster Leo Papa XIII scribit [4]: « Vocare Indorum genus ad instituta christiana erat profecto Ecclesiae munus atque opus. Quod illa munus statim a principio inchoatum, insistere caritatis tenore perrexit, itemque pergit ». Et subiungit [5]: « Romani Pontifices Decessores Nostri nullo non tempore destiterunt ad Americae culturam novos operarios summittere... qui in iis praesertim locis ubi novi incolae ab Europa commigrantes, nominatim Hispani, domicilium sibi sedemque stabilem collocaverunt, templa excitarunt, monasteria condiderunt, paroecias, scholas aperuerunt, dioeceses ex potestate Summorum Pontificum constituerunt ».

Tanta igitur Romanorum Pontificum sollicitudo, assidui

[1] Litt. *Licet Ecclesia*, 12 Aug. 1562.
[2] Litt. *Pastoralis officii*, 29 Ian. 1598.
[3] Litt. *Beneficentissimo*, 12 kal. Iun. 1840.
[4] Litt. *Quarto abeunte saeculo*, 16 Iul. 1892.
[5] Litt. *Trans Oceanum*, 18 April. 1897.

apostolicorum virorum labores et antiqua commigratio incolarum latino ex sanguine genitorum catholicisque ex populis venientium, Americam nostram singulari Dei beneficio crescere fecit in gentem magnam, latinam quidem et catholicam, cuius filii in fide Christi enutriti, educati et obfirmati, multiplicati sunt sicut stellae coeli et velut arena quae est in littore maris. « Ex quo factum est, ait SS. D. N. Leo Papa XIII [1], ut Americae magna pars ab avita religione novorum incolarum et ab origine eorum linguae haberi et dici possit America Latina ».

Hanc autem Americae nostrae Latinae ab ipsa origine inventi novi orbis catholicam constitutionem et mirabilem in vera fide Christi confirmationem, peramantissimum Patrem, Tutorem et Patronum in SS. D. N. Leone Papa XIII praecipua ratione habere laetamur et gratissimo animo confitemur. De qua re Summus ipse Pontifex dulcissimo cordis affectu ita testatur: « Ex quo tempore saecularia sollemnia agebantur quartum, ob memoriam detectae Americae, sedulo cogitare coepimus, qua potissimum via communibus rationibus latini nominis, novum orbem plus dimidia parte obtinentis, prospicere possemus. Optimum autem ad eam rem fore perspeximus, si quotquot essetis ex istis civitatibus Episcopi, consultum inter vos, invitatu et auctoritate Nostra, conveniretis » [2].

Habetis ergo, fratres et filii dilectissimi, in paternis hisce verbis Pontificis Maximi rationem Concilii Plenarii Americae nostrae Latinae, nec non pastoralium laborum Episcoporum vestrorum in ipso Concilio. « Siquidem, subiungit idem Pontifex, conferendis consiliis sociandisque prudentiae fructibus, quos cuique vestrum usus rerum peperisset, apte per vos provisum iri intelligebamus, ut apud eas gentes, quas idem aut certe cognatum genus coniunctas teneret, unitas ecclesiasticae disciplinae salva consisteret, vigescerent digni catholica professione mores, atque concordibus bonorum studiis Ecclesia publice floreret » [3].

Saluberrimo Romani Pontificis proposito tanta alacritate tan-

[1] Litt. *Trans Oceanum*, 18 April. 1897.
[2] Litt. Ap. *Cum diuturnum*, 25 Decemb. 1898.
[3] Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

taque concordia responderunt Pastores dioecesium vestrarum, ut Christi in terris Vicarii singularia meruerint laudum praeconia: « Illud etiam magnopere suadebat initum exequi consilium, ait Pontifex, quod vos, sententiam rogati, huiusmodi propositum ingenti cum assensu excepissetis » [1]. Qui auspicato iam adunato in hac Alma Urbe Plenario Concilio, laetabundus Patribus scripsit: « Concilium plenarium vestrum, dudum exoptatum, diutinisque curis dispositum, coactum demum esse et vos iure laetamini et Nos cum maxime gratulamur. Eadem autem Nobis vobisque laetitiae capiundae ratio; de coetu enim vestro spem optimam portendimus universi, quod uberrimas utilitates Americae Latinae populis sit pariturus. Qua quidem spe eo Nos firmius tenemur quod et alacritatem perspeximus, qua, licet tam longe dissiti, Romam quisque vestrum libens convenit; et concordiam summam mirati sumus, qua, diversitate posthabita, operam laboremque Concilii tractationibus unanimes impenditis » [2].

Sed iam de rebus in ipso Plenario Concilio a nobis gestis sive de synodalibus editis praescriptionibus vobiscum agere, filii dilectissimi, dulce foret, nisi id prohiberet ratio definitivae approbationis seu revisionis actorum conciliarium Summi Pontificis magisterio et auctoritati a nobis, ut par est, subiectorum. Vobis tamen interim intelligere licet generalem rationem actionum nostrarum. « Egimus, ut verbis utamur Patrum Concilii Provincialis Senarum, egimus de rebus omnium altissimis atque amplissimis, quibus humana mens et ratio occupari unquam possit: tractavimus nobilissima maximeque vitalia argumenta, quae ad hominem et ad societatem pertinent; illos quasi coelestes cardines spectavimus, in quibus quum singulorum, tum familiae ipsiusque nationis felicitas omnis vertitur atque consistit » [3].

Et quamvis longe dispari ratione, nobis tamen usurpare fas est verba Pii IX in Litteris Apostolicis indictionis Concilii Vaticani: In hoc Concilio « ea omnia accuratissimo examine sunt perpendenda ac statuenda, quae hisce praesertim asperrimis temporibus maiorem Dei gloriam, et fidei integritatem,

[1] Litt. *Cum diuturnum*, 25 Decemb. 1898.
[2] Litt. *Concilium Plenarium*, 23 Iun. 1899.
[3] Epist. PP. Conc. Prov. Senarum an. 1850.

divinique cultus decorem, sempiternamque hominum salutem, et utriusque Cleri disciplinam, eiusque salutarem solidamque culturam atque ecclesiasticarum legum observantiam, morumque emendationem, et christianam iuventutis institutionem, et communem omnium pacem et concordiam in primis respiciunt. Atque etiam intensissimo studio curandum est, ut, Deo bene iuvante, omnia ab Ecclesia et civili societate amoveantur mala, ut miseri errantes ad rectum veritatis, iustitiae salutisque tramitem reducantur, ut vitiis erroribusque eliminatis, augusta nostra religio eiusque salutifera doctrina ubique terrarum reviviscat et quotidie magis propagetur et dominetur: atque ita pietas, honestas, probitas, iustitia, caritas, omnesque christianae virtutes cum maxima humanae societatis utilitate vigeant et efflorescant » [1].

Haec omnia, divino freti auxilio, ad praxim deducere curavimus et sub umbra Basilicae Principis Apostolorum pro viribus perficere, firma spe sperantes quod Deus, qui mirabile opus Concilii Plenarii misericorditer incoepit, fructus etiam eiusdem Concilii uberrimos facturus sit. Quam quidem spem dulcissimo et benignissimo pectore fovet Pontifex Maximus, qui ipsis durantibus conciliariis actionibus nos omnes verbis istis confortare dignatus est: « Accedit porro ad fiduciam Nostram firmandam studium et obsequium in Apostolicam Sedem, quae in ipso Concilii exordio testari placuit, datis ad Nos litteris officii observantiaeque plenis. Ex qua profecto coniunctione vestra cum Cathedra Beati Petri amplissima divinae gratiae subsidia coetui vestro demeretis, ut quae secundis adeo auspiciis sunt coepta, secundissimis etiam eventibus absolvantur » [2].

Saluberrima autem haec atque strictissima coniunctio cum Apostolica Sede, tantorum bonorum auspex, ab ipsa constitutione christiana Americae Latinae singulari ratione quasi patrimonium gentis nostrae habita est. Et ideo populi nostri in Petra solidati semper firmiter steterunt, omnesque impiorum et acatholicorum insidias devitarunt. Unde ab ipsis primordiis Concilii Petrum adivimus, in Leone XIII viventem, Eique toto

[1] Bulla indict. Conc. Vaticani *Aeterni Patris*, 3 kal. Iul. 1868.
[2] Litt. *Concilium Plenarium*, 23 Iun. 1899.

cordis affectu diximus: « Episcopi Ecclesiarum Americae Latinae, Plenario Concilio hesterna die rite auspicato, unanimi consensu emisere votum sese sternendi ad Pedes Sanctitatis Tuae, petituri Apostolicam Benedictionem antequam negotiis in Concilio tractandis manus admoveant. Antistites Americae Latinae iure gestiunt grati animi sensus iterare Sanctitati Tuae ob curam praecipuam quam ostendit erga ipsorum Ecclesias; maximeque gaudent quod, remotis ac superatis omnibus quaecumque obstare videbantur, potuerint consiliis Sanctitatis Tuae sapientissimis respondere, atque ita haud mediocre solatium afferre Patri amantissimo, seque instrumenta fieri quodammodo novae addendae laudis Pontificatui Tuo, iam plane glorioso, quod primum nunc viderit collectum Plenarium Concilium ex Latinis Ecclesiis Americae. Quod vero locum habendo Concilio Romam Episcopi elegerint, illud etiam prae oculis habuerunt ut obsequii testimonium Apostolicae Sedi peculiare exhiberent, ut Sanctitati Tuae ipsi se sisterent, ut ad Apostolorum sepulcra eam sapientiam haurirent, qua magis idonei efficerentur in iis decernendis quae ad rem catholicam in suis regionibus provehendam apprime pertinerent » [1].

Mirabilis quidem Pontificis dignatio! De ipso Concilii celebrandi proposito Episcoporum Americae Latinae sententiam rogat, Episcopi *ingenti cum assensu* propositum excipiunt. Optionem deinde Episcopis facit ut eligerent locum, ubi id habendum esse Concilium videretur: quorum maxima pars libentius Romam designavit, « ob eam quoque causam, ait S. Pontifex, quod pluribus vestrum expeditior huc pateret aditus, quam propter difficillima istic itinera ad longinquam aliquam americanam urbem. Huic declarationi sententiae vestrae, quae non leve habebat indicium amoris in Apostolicam Sedem, fieri non potuit, quin magna a Nobis comprobatio accederet » [2].

Per ipsam insuper Sacri Palatii Apostolici administrationem, coadiuvantibus Patribus e Societate Iesu amplissimi Collegii Pii-Latini-Americani, materialem Concilii celebrationem munificentissime praeparandam decrevit ipse Pontifex providen-

[1] Litt. PP. Concilii Plenarii ad SS. D. N. Leonem Pp. XIII, 29 Maii 1899.

[2] Litt. *Cum diuturnum*, 25 Decemb. 1898.

tissimus. Nonnullos etiam Consultores, ex Sacris Congregationibus assumptos, Concilio concessit, ut eorum opera, quatenus et quoties Patribus libuerit, liberrime uteretur. Ad maiorem autem splendorem sessionum solemnium, integrum Collegium Magistrorum Apostolicarum caeremoniarum moderandis liturgicis actionibus addixit.

Denique, inter alia pontificiae benevolentiae testimonia Concilio nostro Plenario exhibita, gratissimo animo commemoranda est designatio nonnullorum Eminentissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, qui, salva in omnibus praesidentia effectiva Archiepiscoporum, tamquam Praesides *ad honorem*, solemnes sessiones sua praesentia illustrarent; ipsosque Archiepiscopos Praesides Delegati Apostolici honore decoravit. De qua re speciales gratias ipsi Pontifici vel a primordiis Concilii hisce verbis exhibendas censuimus: « Iidem Antistites (Patres Concilii) gratias Sanctitati Tuae agunt maximas, quod hoc benevolentiae testimonio eos fuerit prosequuta, ut S. Romanae Ecclesiae Princeps Cardinalis daretur *praeses ad honorem* habendis publice comitiis, itemque quod Archiepiscopos Americae Latinae voluerit singulis sessionibus praeesse, eosdemque, dum sua quisque vice hoc munere fungitur, Delegati Apostolici honore insignitos haberi » [1].

Haec et alia paternae dilectionis et summae existimationis documenta, quibus Pontifex benevolentissimus Patres Concilii Plenarii et in eis universos Episcopos totamque gentem nostram magnificare et laetificare dignatus est, gratissimo animo recolentes, Deo gratias maximas agimus, quoniam novissimis diebus istis Antistites, Clerum et populum Americae nostrae Latinae uberrimis per Concilium Plenarium beneficiis ditare voluit.

Sicque quarto elapso saeculo a novi orbis inventione et conversione, et exeunte iam saeculo XIX, facta est per Concilium Plenarium quasi collectio omnium gratiarum populis nostris a primordiis evangelicae praedicationis a Christo Redemptore auspice Immaculata Patrona nostra Beata Maria Virgine concessarum. Nihil enim in tota America Latina post eius conversio-

[1] Litt. PP. Concilii Plenarii ad SS. D. N. Leonem Pp. XIII. 29 Maii 1899.

nem maioris momenti unquam factum est, quod solemni celebrationi Concilii Plenarii antecedat splendore, magnificentia et gratiarum ubertate. Quapropter nos ipsi Patres huius Concilii, solemni ritu collectam fecimus Christo Iesu, Christo Redemptori, Christo qui vincit, Christo qui regnat, Christo qui imperat in coelis et in terra, Sacratissimi Cordis eius infinitam bonitatem et misericordiam celebrantes in ipsa Aula Conciliari; ibique accepta beneficia a primordiis fidei Americae nostrae ad haec usque tempora, simulque maternam protectionem SS. Deiparae et intercessionem Sanctorum et Beatorum regionum nostrarum, gratissimo et dulcissimo animo recolentes. Qua in solemnitate praeter formulam consecrationis Sacratissimo Cordi Iesu a Summo Pontifice editam, expiatoriae etiam et deprecatoriae preces ab omnibus Synodalibus alta voce recitatae sunt [1].

Concilium Plenarium, die 28 Maii 1899 SS. Trinitati sacra rite incoeptum, auspicatum finem habuit die 9 Iulii, qua in Urbe solemnius celebratur Prodigiorum Beatae Mariae Virginis. Gloria igitur Patri, Gloria Filio, Gloria Spiritui Sancto, Gloria SS. Cordi Iesu, laus perennis B. Mariae Virgini Immaculatae, quae templum est ac sacrarium SS. Trinitatis, pro universis beneficiis Americae nostrae Latinae concessis! Oh felix dies Prodigiorum B. M. V., qua nova lux populis nostris illuxit! Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea! Haec dies sancta, qua singuli Patres Concilii Plenarii, post dulcissimum osculum pacis, pactum aeternae caritatis et insuperabilis unionis ad christianam prosperitatem nostrarum civitatum, pluries durante Concilio proclamatum, solemniter confirmarunt! Haec dies beata, qua Patres Concilii Plenarii suavissima Pii IX verba usurpare potuerunt dicentes: « Exultat cor nostrum in Domino et incredibili consolatione perfundimur, quod auspicatissima hac die... in hac catholicae Religionis arce praesentes intuemur, aspectuque vestro perfruimur iucundissimo » [2].

Quapropter singuli Patres, quamvis de seipsis humillime sentientes, uti par est, de aliis Concilii Plenarii Patribus merito dicere possunt, quod Concilii Provincialis Urbinatensis Praeses

[1] Utraque formula habetur infra, pag. 5-8.
[2] Pius IX, Allocut. ad PP. Concilii Vaticani, 8 Decemb. 1869.

Suffraganeis suis dicebat, videlicet: « Laborum nostrorum atque sanctae conversationis nostrae iam adest finis. Prudentia et caritate vestra factum est, ut decreta et conciliares actiones eximia pietate et summa consensione haberentur, quod praesentiam Divini Spiritus, qui pacis et unitatis Spiritus est, declarat, et miram in Christi fidelium aedificationem cessit ac nobis omnibus iucunditatis et sanctae exultationis causam praebuit. Soli omnipotenti Deo gloria et honor; siquidem Tu solus *dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem, et sapientiam et fortitudinem et benedictionem in saecula saeculorum* » [1].

Nos ergo Patres Concilii Plenarii, tot cumulati beneficiis, superabundantes gaudio, Nomen Domini invocamus super vos, fratres et filii dilectissimi, et super universas civitates vestras, ubertatem benedictionum coelestium implorantes; et ex diversis ritualibus *acclamationibus* in hodierna solemnissima conciliari sessione unanimi corde et ore decantatis, sequentes vobis significandas ducimus, quibus intimi sensus nostri vobis omnibus melius pateant:

« Gratias tibi, Deus, gratias tibi, vera et una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Unitas.

« Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: ipsi gloria et honor in saecula.

« Beatissimae Virgini Mariae, ab originali labe praeservatae, peramantissimae Americae nostrae Latinae Patronae potentissimae, laus perennis, veneratio sempiterna.

« Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, Christi in terris Vicario, totius Ecclesiae Capiti, infallibili Magistro, Americae Latinae Patrono vigilantissimo, Episcopalis hierarchiae nostrae Amplificatori benignissimo, Concilii Plenarii Auctori providentissimo, gratiae maximae, aeterna memoria.

« Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Senatui, qui Concilii Plenarii novum ornamentum fuit per Amplissimos Purpuratos, Praesides ad honorem solemnium sessionum, perennis memoria.

« Reverendissimis Archiepiscopis Concilii Plenarii Apostolicis Delegatis et Praesidibus diligentissimis, aeterna memoria.

[1] Metropolitanus ad PP. Conc. Prov. Urbinaten. an. 1859.

« Omnibus et singulis Reverendissimis Patribus Concilii Plenarii, quorum mirabilem concordiam, ardentissimum zelum, fervorem pastoralis caritatis Urbs tota percelebrat, memoria sempiterna.

« Reverendissimis Archiepiscopis et Episcopis absentibus, osculum pacis, dulcis memoria, dona sempiterna.

« Salvas fac, Domine, Respublicas nostras, earumque Supremos Magistratus, gentesque nostras universas. Fac etiam, Domine, ut sint unum in unitate fidei, in amore propriae patriae, in zelo decoris et incolumitatis communis stirpis, totius scilicet Americae nostrae Latinae. O Maria Immaculata, Patrona et Tutamen nostrum, protege nos, salva nos, coniunge gentes nostras in amore propriae incolumitatis, unitatis et communis integritatis, in solemni professione fidei nostrae catholicae et apostolicae ».

Igitur, Fratres et Filii dilectissimi, gratias et vos agite Deo nostro, gratoque etiam animo Immaculatam Patronam nostram invocate, ut labores Patrum Concilii fructus afferant saluberrimos ad spiritualem et temporalem utilitatem vestram et totius catholicae nostrae stirpis Americae Latinae. Nos vero firma fiducia speramus quod proximae promulgationi decretorum Concilii applicari poterit illa Dominica sententia: *Verbum meum non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud* (Isai. 55, 11). Deus, utique Deus ipse confirmabit quod operatus est in nobis ad salutem dioecesium et civitatum nostrarum. Amen, amen. Fiat, fiat.

Datum Romae, in festo Prodigiorum B. M. V., die 9 Iulii 1899.

AUDIENTIA SANCTISSIMI.

Feria II, die 10 Iulii 1899, omnes Revmi Patres coram SS. D. N. Leone PP. XIII steterunt, et Rmus Archiepiscopus Primas in Brasilia sequentem orationem pronuntiavit:

« Beatissime Pater,

« Gratissimum nobis est, corde uno et anima una, coram Sanctitate Tua hodie consistere, ut, nomine nostro et Fratrum in Episcopatu nostrorum absentium, qui intimo caritatis vinculo nobis iunguntur, nec non cleri et fidelium totius Americae Latinae qui curis nostris commissi sunt, amoris et venerationis sensus expromamus, quibus intus affecti et incensi in hanc almam Urbem convenimus, ut, Te auspice, Te duce, in plenario Concilio, spirituali utilitati et bono Ecclesiarum nostrarum unanimes consuleremus.

« Plura ac insignia fuere testimonia amoris et paternae sollicitudinis, quae Tu, Pater Sanctissime, diuturno Pontificatus Tui tempore, Americae nostrae Ecclesiis exhibere dignatus es, quorum grata memoria ex animis nostris numquam elabetur; at hisce testimoniis novum et praeclarum, hoc tempore, Apostolicae Tuae benignitatis et sollicitudinis argumentum et pignus accessit, quod caetera omnia beneficia, dioecesibus nostris splendide collata, illustrat, nobilitat, complet, iisque veluti fastigium imponit. Scilicet, congruam et propitiam opportunitatem opemque nobis praebere voluit Sanctitas Tua, ut in plenario Concilio apud infallibilem Petri Cathedram, communibus consiliis et studiis, de iis in hac Urbe ageremus, quae ad necessitates ac utilitates dioecesium nostrarum curandas ac promovendas referuntur. Iucundum sane nobis fuit, Pater Sanctissime, voluntati et auctoritati Tuae alacriter obsecundare; ideoque libenter praetulimus nostros in Urbe conventus habere, omnes curas impendere, quarum fructus, Deo auxiliante, ad rei sacrae prosperitatem in regionibus nostris, ad uberius animarum bonum, ad christiana instituta amplificanda et fovenda, ad rectum et uniformem sacrae disciplinae ordinem servandum redundarent.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« In hisce partium nostrarum operibus perficiendis, tanta fuit in nos Dei clementissimi benignitas, ut summo omnes pariqne studio, intima pace et concordia, mutuo amoris et venerationis affectu, munere et officio nostro fungeremur, et collatis consiliis, prudentia utentes et experientia quam nobis ministerii nostri exercitium contulit, ac probe perspectas habentes necessitates et conditiones regionum et fidelium nostrorum, Deo adiuvante, id assecuti sumus, ut quantum fas erat, salutares ac uniformes normas et decreta ederemus, quae nunc Sanctitati Tuae, utpote supremo et infallibili magistro et custodi doctrinae et disciplinae Catholicae Ecclesiae, cognoscenda, expendenda, et approbanda humiliter tradimus atque subiicimus. Cum vero plura sint supremae Tuae potestati reservata, quae Nos, utpote Ecclesiis nostris utilia et opportuna, hac occasione, postulanda a Sanctitate Tua censuimus, hasce postulationes nostras ad Te, Pater Sanctissime, deferendas existimavimus, ut de iis, Apostolica Tua auctoritate, quae in Domino expedire cognoveris constituas et decernas.

« Interea, ut par est, gratias quas possumus amplissimas et immortales Deo Optimo Maximo ex corde persolvimus, qui nos suo lumine illustrans, sua ope roborans, caritatem, pacem et concordiam in nobis fovit et aluit, ac in incoepto opere usque ad extremum, donorum suorum largitate nobis praesto fuit.

« Gratias quoque maximas habemus Sanctis Principibus Apostolorum Petro et Paulo, quorum nobis magna cum benignitate virtus in laboribus nostris est addita.

« Te deinde, Pater Beatissime, gratiis nostris impense et ex corde prosequimur, qui nos effuso affectu complexus non solum omnem operam dedisti ut per viros, prudentia, experientia, virtute et doctrina clarissimos, inter quos magna cum laude recensendum ducimus Emum Iosephum Card. Vives, labores nostros faciliores et fructuosiores efficeres, sed etiam nobis petentibus permisisti, ut ad augendam dignitatem conventui nostro, aliquot e Cardinalium Collegio in publicis comitiis ad honorem praeessent. Neque in hoc grati animi officio praeterire possumus moderatores Collegii Pii-Latini-Americani, nobis carissimi, in cuius aedibus Synodus nostra celebrata fuit; quandoquidem tot humanitatis, liberalitatis et amoris argumenta praebuerunt, ut animos nostros sibi intimo affectu devinxerint.

« Hi sunt, Pater Sanctissime, sensus, quos Romam relicturi in corde altissime insculptos gerimus, Romam corpore relicturi, non animo, in qua oculis nostris, hoc tempore, tot fidei, caritatis, religionis splendida monumenta conspeximus, quae sedes est apostolici et civilis Principatus Romanorum Pontificum, quae per Beati Petri Cathedram, religionis sedes, caput et mater est, cuius sunt cives quotquot catholico nomine censentur.

« Haec omnia Fratribus Co-Episcopis nostris, et Clero ac fidelibus regionum nostrarum in reditu nostro referre ac testari non omittemus, quae eo valebunt, ut illo somnes fervidiore affectu, arctiore vinculo cum hac Apostolica Sede coniungant.

« Interea nobis, Pater Sanctissime, et Fratribus in Episcopatu nostris, nec non Clero et Fidelibus curae nostrae concreditis, Apostolicam a Te benedictionem intimo venerationis et amoris sensu deposcimus ».

Summus Pontifex benigne respondere dignatus est, dulcia valde resonare auribus suis verba modo lecta, quae pietatem erga Ipsum, et in Petri Sedem studium et observantiam luculenter declarabant. Gratulatus est vehementer de peracto Concilio et de mira concordia quae singulis Sessionibus fulsit; de qua veraces nuntios quotidie habebat, quamque ipsis oculis ostendebat amplissima illa Fratrum corona, circa Christi Vicarium fideliter adstans. Domum iam singulos remigrare posse dixit, sed spoliis opimis onustos, quae cleris et populis praesidium, Episcopis ipsis amoris Sui pignus in aevum permaneant: nam Purpuratis Patribus, qui Ipsi in Ecclesia regunda validum praebent sustentaculum in Sacris Congregationibus, sponte iussisse, quaecumque Concilii Plenarii Patres petierint pro viribus largiri. Sed antequam vale postremum Episcopis diceret, haec tanquam suprema Parentis monita, quae dissitis gregibus transveherent, dedit.

Si vellent nimirum in agro Patrisfamilias ipsis commisso laetiores videre segetes, super clericorum seminaria omni studio incumbere oportere. Ex ipsis enim electum sacerdotum genus prodibit, qui et ad aras intemeratis manibus iugiter operentur, et Episcopis in excolenda vinea et zizaniis eradicandis adiutores evadant. Igitur, ubi iam florent, addant calcar; ubi temporum vicibus destructa vel conquassata fuere, sarciant ruinas; illis

dioecesibus vero nuper creatis, ubi nunquam extiterunt, quamprimum moenia surgant. Quapropter in omnibus et singulis, una cum scientiarum et litterarum cultu, et sanctitas, et pietas, et ecclesiastica disciplina foveantur. In omnibus Philosophia Scholastica, iuxta mentem Divi Thomae, iugiter tradatur; qua nulla aptior invenietur ad hostes Sanctae Ecclesiae debellandos, nulla quae facilius ad Theologica studia viam sternere valeat, sicuti iam a Sui Pontificatus exordiis Universo Mundo exitu felici inculcavit, et iterum atque iterum Patribus commendat. Utinam in praecipuis civitatibus centralia quaedam extruantur Seminaria, et litteris et doctrina, et magistrorum laude insigniora, quibus ad instar Academiarum, doctoralis laurea caeterique gradus, saltem in Theologica Facultate et in Iure Canonico, conferantur. Delecta denique iuventus in Collegium, pro Americae Latinae ephebis in hac Alma Urbe a Pio IX Decessore Suo conditum, mittatur, quae sapientiam purissimis hisce fontibus uberius ebibere valeat, et ad Martyrum cryptas amore erga Deum et Apostolicam Sedem vehementius accendatur.

Post iuniores levitas, spem gregis et cleri, sacerdotes ipsos animarum curam habentes sollicitudini Episcoporum enixe commendavit. Ipsi enim sunt commilitones, Episcopis ducibus, stipendia facientes; nautae qui, Episcopis gubernacula tenentibus, remis incumbunt, et sine quibus non possunt Episcopi ad portum appellere. Meliores igitur inter optimos deligant curiones; ipsis sine intermissione prospiciant: currentibus alas addant, segniores pellant, imbecilliores sustineant, labentibus manum protendere ne vereantur. Sed ante omnia et prae omnibus panem verbi Dei spirituali proli sedulo frangant parochi, et doctrinae christianae rudimenta pueris et puellis indefessi tradant, adhibitis etiam adiutoribus, sive e sodalibus cleri saecularis, sive religiosis viris et piis sanctimonialibus in messem sine invidia vocatis.

Tertio de missionibus ad populum verbum facit. Ipse, dum Perusinum gerebat episcopatum, de ubertate in ciusmodi Missionum percipiendis fructibus pluries testis fuit. Multum sperari potest de populis Latino-Americanis, qui dociles et simplices se praebent, et missionarios maximis honoribus augent.

Sed si christianam plebem a peccati sordibus saepe purgare decet, qui ferunt vasa Domini magis magisque mundari

oportet. Quapropter universum clerum ad exercitia spiritualia, statutis temporibus, vocare ne desinant Episcopi.

Cordi Iesu sacratissimo, cui Patres Concilii semetipsos et greges nuper devoverunt, iterum post reditum ferventius voveant; cuius igne divino arma nova temperantes, decreta scilicet Concilii, hostium phalangibus invulnerabiles efficientur. Tandem, valete, dixit, Fratres dilectissimi; ad osculum pacis accedite. Scitote concordiam, doctrinam, pietatem vestram ipsam Urbem esse miratam; et Concilium vestrum inter pretiosiores diadematis Nostri gemmas adnumerari.

Hisce aliisque benignissimis verbis familiari sermone pronuntiatis, et quoad substantiam hoc in loco relatis, SS. Dominus Noster dulcissimo et paterno affectu, ad osculum pacis singulos admisit Episcopos, eisque Apostolicam Benedictionem impertitus est (admissis etiam Concilii Officialibus et Episcoporum familiaribus), facta singulis Episcopis potestate proprium populum Apostolica pariter Benedictione, etiam ad Parochos necessitatis causa delegabili, confortandi.

Testamur de authenticitate Actorum Concilii:

† I. Ep. Potosien.
Concilii Secretarius.

Benedictus de Souza
Concilii Notarius.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

POSTULATA PATRUM CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONI PAPAE XIII

EXHIBITA

PER S. CONGNEM NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS PRAEPOSITAM

Beatissime Pater,

Archiepiscopi et Episcopi Americae Latinae in Concilio Plenario congregati, attentis necessitatibus suarum dioecesium, sequentia indulta instantissime postulant:

I. Ut quoties Fidei Professio fieri debeat coram Episcopo, et adsit gravis necessitas, emitti valeat etiam coram delegato ipsius Episcopi.

II. Ut ubi necessarium sit ob paucitatem sacerdotum, audito Capitulo, et ubi Capitulum non adsit, habito voto Consultorum dioecesanorum, Episcopi ad Synodum dioecesanam singulis vicibus aut dimidiam partem Parochorum vel Rectorum, aut illos vocare possint, quos opportunius vocandos in Domino indicaverint.

III. Ut in Missis vivorum quae celebrantur cum cantu, in duplicibus primae et secundae classis, in dominicis aliisque diebus solemnibus, et quoties SS. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium veneration patet expositum, quamvis haberi non possint ministri sacri, liceat thurificationes peragere.

IV. Ut « Memoriale Rituum » a Benedicto XIII editum pro parochiis ruralibus adhiberi possit etiam in ecclesiis non parochialibus, in quibus verificentur conditiones *parvarum ecclesiarum.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

V. Ut Sanctitas Vestra ad omnes regiones Americae Latinae extendere dignetur declarationem S. C. Concilii, pro Hispania editam die 31 Ianuarii 1880, iuxta formulam in nota art. 592 decretorum Concilii plenarii propositam, idest: *Sponsalia quae contrahuntur in regionibus nostris absque publica scriptura invalida esse, et publicam scripturam supplere non posse informationem matrimonialem, neque instrumentum in Curia dioecesana vel alibi conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento, ex quo inferri possit promissio serio facta contrahendi matrimonium.*

VI. Ut attentis specialibus circumstantiis regionum nostrarum, clerici etiam simpliciter tonsurati, ultra triennium ab omni officio et beneficio suspensi, elapso suspensionis triennio, privati ipso facto habendi sint iure deferendi habitum talarem et tonsuram, nisi obtineant specialem licentiam in scriptis a proprio Ordinario.

VII. Ut tuto admitti possint in regionibus nostris tamquam causae speciales privationis ab officio et beneficio parochiali, praevia legitima seu trina monitione, eae quae habentur in articulo 820 decretorum Concilii Plenarii, idest:

1. Publica, perdurans, graviterque culpabilis infamatio quoad mores sacerdotales, etiam post legitimam admonitionem non correctos, qua cura animarum grave damnum patiatur;

2. Temeraria et post legitimam monitionem contumaciter repetita ad matrimonium admissio eorum, qui publicis impedimentis rite non dispensatis detinentur;

3. Omissio temeraria instructionis catecheticae, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, per maiorem anni partem et post legitimam monitionem pertinaciter continuata. Item temeraria et post legitimam monitionem iterata negligentia, in administratione Sacramentorum fidelibus in articulo mortis constitutis, etiam ex sola causa distantiae ab ecclesia parochiali admissa;

4. Gravis, publica, et post legitimam monitionem repetita iniustitia et inobedientia in exigendis taxis, praesertim occasione matrimoniorum contrahendorum aut funerum, contra leges dioecesanas de taxis latas;

5. Gravis, publica, per maiorem anni partem temere protracta, atque post legitimam admonitionem pertinaciter continuata negligentia spiritualis curae et institutionis christianae Indis et Nigritis paroeciae impendendae secundum normas in legibus dioecesanis praescriptas.

VIII. Ut attentis specialibus circumstantiis regionum nostrarum circa bona ecclesiastica, Episcopi, praevio Capituli vel Consultorum dioecesanorum consensu, facultatem habeant: 1.° Locandi bona ecclesiastica ultra consuetum triennium, usque ad novem vel duodecim annos, dummodo iuxta leges civiles periculum non adsit quod locatio transeat in emphyteusim; 2.° Libere alienandi bona ecclesiastica, ubi summa pecuniae non excedat valorem viginti millium libellarum monetae propriae nationis, si necessitas vel evidens utilitas id postulent, et pretium inde obveniens investiatur loco honesto tuto et fructifero, favore Ecclesiae seu causae ad quam bona pertinebant.

IX. Ut iuxta articulum 697 decretorum Concilii Plenarii, in unaquaque provincia ecclesiastica hodie existenti, in Seminario Metropolitano vel alio de communi Suffraganeorum voto designando, erigi possint facultates Philosophiae scholasticae, Theologiae et Iuris Canonici, cum privilegio conferendi gradus academicos, servato interim statuto pro facultatibus archidioecesis Mexicanae a S. Congregatione Studiorum adprobato, cum onere propria statuta intra annum conficiendi et adprobationi eiusdem S. Congregationis Studiorum subiiciendi.

In iis autem nationibus in quibus plures sunt provinciae ecclesiasticae, facultates supradictae erigi valeant in uno tantum Seminario, communi voto Episcoporum designando.

X. Ut in memoriam detectionis et conversionis Americae, in qualibet parochia cani possit Missa pro gratiarum actione cum hymno *Te Deum*, dominica proximiori diei duodecimo Octobris, quo die immortalis Columbus Americam detexit.

XI. Ut Officium et Missa propria S. Thuribii ad universam Americam Latinam extendantur sub ritu secundae classis.

XII. Ut Officium et Missa propria B. M. V. de Guadalupe sub ritu primae classis ad universam Americam Latinam extendantur.

XIII. Ut Sanctitas Vestra Constitutionem *Romanos Pontifices*, editam VIII idus maii 1881, ad universam Americam Latinam extendere dignetur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ex audientia SSmi, die 1ª ianuarii 1900.

SSmus D. N. Leo divina providentia PP. XIII, audito voto specialis Congregationis S. R. E. Cardinalium, quibus Decretorum Concilii Plenarii Americae Latinae recognitio commissa fuit, referente infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae, praedictas preces Patrum eiusdem Concilii Plenarii benigne excipere dignatus est, prout sequitur;

ad I, II, III, IV, VI, VII et VIII, pro gratia ad decennium;

ad V, IX, X, XI, XII et XIII, pro gratia in perpetuum.

Atque ita Sanctitas Sua rescribendum mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die, mense et anno praedictis.

FELIX CAVAGNIS
S. C. Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae
Secretarius.

POSTULATUM PATRUM CONCILII PLENARII
AMERICAE LATINAE
SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
LEONI PAPAE XIII
EXHIBITUM
PER SACRORUM RITUUM CONGREGATIONEM

Beatissime Pater,

Archiepiscopi et Episcopi Americae Latinae, in Concilio Plenario congregati, instantissime postulant: Ut Sanctitas Vestra indulgentiam septem annorum concedere dignetur fidelibus Americae Latinae vel in America Latina commorantibus, qui sequentem orationem in honorem B. M. V. Immaculatae cum invocatione Sanctorum et Beatorum eiusdem Americae Latinae, a Sacra Rituum Congregatione adprobandam, recitaverint.

GRATIARUM ACTIO ET PETITIO
PRO
FIDELIBUS ET POPULIS AMERICAE LATINAE

Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto, in saecula saeculorum. Amen.

Te Deum Patrem Ingenitum, Te Filium Unigenitum, Te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde confitemur, lauda-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mus atque benedicimus: Tibi gloria in saecula: Tibi gratias in aeternum: confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis: salva nos et populos nostros.

Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: Ipsi gloria et honor in saecula.

Cor Iesu sacratissimum, o Cor, voluptas coelitum, Cor, fida spes mortalium, Tui sumus, Tui esse volumus, salva nos et populos nostros; reconde nos in dulcissimo habitaculo caritatis tuae. Suavis enim es, Domine, et in aeternum misericordia tua.

Parce igitur, o Cor Iesu suavissimum, parce civitatibus nostris, quae in fide Ecclesiae tuae enutritae, verae fidei thesaurum, Te auctore, mirabiliter servarunt et contra omnis generis insidias custodierunt.

Suscipe ergo, o Cor Iesu sacratissimum, gratiarum actiones cleri et populi civitatum Americae Latinae, quae in abundantia beneficiorum tuorum salvae factae sunt.

O Beatissima Virgo Maria, ab originali labe praeservata, peramantissima Americae nostrae Latinae Patrona potentissima, sit Tibi etiam laus perennis, veneratio sempiterna, gratiarum actio in Christo Iesu.

O immaculata Mater nostra, o benignissima Mater nostra, o dulcissima et augustissima Regina nostra, misericordias tuas grato animo decantamus. Sub tuum praesidium confugimus. O Domina, quae rapis corda hominum dulcore, Tu rapuisti cor nostrum, Tu rapuisti corda populorum nostrorum, Tu primitias fidei nostrae, benignissima praesentia tua, suavissima protectione tua in Guadalupano [1] aliisque pietatis tuae monumentis per universas regiones nostras obfirmasti, amplificasti et

[1] Hic addi potest nomen sanctuarii marialis in natione vel dioecesi celebrioris.

confirmasti. O Domina nostra, o Mater nostra, quae serpentis caput virgineo pede contrivisti, libera populos nostros a venenatis impiorum et haereticorum iaculis; Tuque, quae Nutrix fuisti atque Educatrix populorum nostrorum in fide dilectissimi Filii tui, Tutrix etiam, Vindex et Propugnaculum esto. Tui sumus, Tui esse volumus; monstra Te esse matrem et patronam nostram, custodi nos, salva nos potentissimis precibus tuis.

Ioseph sanctissime, Deiparae Sponse castissime, qui Americae Latinae Protector semper extitisti dilectissimus, Tibi laus et veneratio in Christo Iesu.

Virginum Custos, quem laeta celebrant agmina coelitum, quem cuncti resonant christiadum chori, intercede pro nobis, suscipe corda nostra, dulcissimo Cordi Sponsae tuae Immaculatae perpetua donatione dicanda, donanda, tradenda.

Vos etiam invocamus, o Sancti et Beati, qui regiones nostras sanctissimis operationibus illustrastis. Memento nostri, tu praesertim Thuribi beatissime, Antistitum et Synodalium Americae Latinae exemplar et ornamentum splendidissimum. Respice super nos, o Protomartyr noster Sancte Philippe a Iesu, qui in cruce exaltatus et glorificatus, praeconum Crucis Christi magister et excitator factus es.

Intercedite pro nobis, o Quadraginta Martyres invictissimi, qui, duce Beato Ignatio de Acevedo, Brasilianam gentem proprio sanguine Deo dicastis et consecrastis.

Orate pro nobis, inclyti Martyres Christi, Beati Bartholomaee Gutierrez, Bartholomaee Laurel, Petre Zuñiga et Ludovice Florez, qui coronam pretiosissimam sanctitatis Ecclesiarum Americae Latinae purpuratis margaritis illustrastis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Patrocinium vestrum similiter invocamus, o Sancti Francisce Solane, Petre Claver et Ludovice Beltran, Americae nostrae Apostoli et Protectores, necnon Beati Sebastiane de Aparicio, Martine de Porres et Ioannes Massias, qui apostolicis virtutibus populum nostrum mirabiliter ad Christum traxistis.

Respicite super nos et orate pro nobis, vos etiam Virgines Christi, Sancta Rosa Limana, Americae nostrae Patrona, et Beata Maria Anna a Iesu, lilia candidissima et fulgentissima, quae mirabili virtutum fragrantia totam Americam Latinam delectastis et sanctificastis.

O Cor Iesu sacratissimum, salvas fac Respublicas nostras, earumque Supremos Magistratus, gentesque nostras universas. Fac etiam, Domine, ut sint unum in unitate fidei, in amore propriae patriae, in zelo decoris et incolumitatis communis stirpis, totius scilicet Americae nostrae Latinae. O Maria Immaculata, Patrona et Tutamen nostrum, protege nos, salva nos, coniunge gentes nostras in amore propriae incolumitatis, unitatis et communis integritatis, in solemni professione catholicae fidei. Amen.

Cum vero eadem Sacra Rituum Congregatio, die 23 Martii 1900, rescripserit: « *Quoad Sanctos, nihil obstat; quoad Beatos vero, attentis peculiaribus rei adiunctis, de speciali gratia concedi potest* »; Sanctitas Sua benigne annuit per sequens Breve:

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam. Inter subsidia religionis, quae Venerabiles Fratres Americae Latinae Antistites in plenario eorum consilio, in hac alma Urbe Nostra superiore anno habito, peropportune excogitarunt, ut Catholica Fides in ea nobilissima regione magis magisque augeretur in dies, principem sane obtinent locum preces ad Deum, ad Deiparam Immaculatam et ad beatos Coelites, eos praesertim, qui sanctitate sua Americam illustrarunt, effundendae, quibus divinum auxilium pro iis fidelibus populisque ardenter imploratur. Piae huiusmodi preces a Sacra Nostra Congregatione ritibus tuendis approbatae, et quarum exemplar in Tabulario Secretariae Nostrae Brevium asservatur, titulum habent « Gratiarum actio et petitio pro fidelibus et populis Americae Latinae », verbis incipiunt « Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto in saecula saeculorum – Amen », ac desinunt « in solemni professione catholicae fidei – Amen ». Quo igitur earumdem precum recitatio longe lateque evulgetur, atque in uberius animarum bonum cedat, Venerabilium praedictorum Fratrum votis obsecundantes, preces ipsas coelestibus Ecclesiae thesauris libenti qui-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dem animo ditamus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus ac singulis utriusque sexus Christifidelibus Americae Latinae vel in America Latina commorantibus, qui corde saltem contrito easdem, quas supra memoravimus, preces devote recitaverint, quo die id egerint, septem annos de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus, quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migrarunt, per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris, servato vero tenore nuperrimae Constitutionis Nostrae de suspensione indulgentiarum hoc anno Iubilaei. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III Aprilis MDCCCC, Pontificatus Nostri Anno Vigesimo tertio.

Pro Dño Card. MACCHI

NICOLAUS MARINI, *Substitutus.*

POSTULATUM PATRUM CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONI PAPAE XIII

PER SACRAM CONGREGATIONEM CONCILII EXHIBITUM

Beatissime Pater,

Archiepiscopi et Episcopi Americae Latinae in Concilio Plenario congregati, attentis necessitatibus suarum Dioecesium, postulant: I. Ut, stante difficultate celebrationis concursuum, omnes Paroeciae titulo amovibili conferri possint; II. Ut Episcopi conferre possint absque concursu omnes Canonicatus de officio, quoties expedire iudicaverint.

Die 4 maii 1900. - S. Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, vigore facultatum sibi a SSmo Dño Nostro Leone PP. XIII specialiter tributarum, ad praemissas preces rescribendum censuit, prout sequitur:

Ad I. - designatis, ubicumque fieri poterit, a singulis Ordinariis in propria dioecesi nonnullis paroeciis principalioribus, quae sacerdotibus maturae aetatis, probatae vitae, non communi scientia et pietate praeditis, in titulum ad tramitem iuris de regula ordinaria conferantur, - pro gratia ad decennium ut ceterae omnes paroeciae, imo et superius recensitae, si adiuncta (prudenti Ordinarii iudicio aestimanda) id exigant, conferri possint absque concursu et ad nutum, salvis tamen

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

privilegiis ab Apostolica Sede concessis, et cauto ut facultate transferendi aut removendi paroeciarum rectores, Episcopi nonnisi moderate et ex iusta causa utantur; onerata super hoc eorumdem Episcoporum conscientia;

Ad II – pro gratia iuxta petita, ad decennium.

A. Card. DI PIETRO, *Praefectus*.

† B. Archiepiscopus Nazianzenus, *Secretarius*.

INSTRUCTIO

CIRCA CONVENTUS EPISCOPORUM

AMERICAE LATINAE

Illŭe ac Revŭe Domine.

Quum ad optimum ecclesiasticarum provinciarum regimen et ad fidelium aedificationem plurimum conferre perspectum sit sanctam Antistitum concordiam mutuamque consuetudinem, RRmi Patres Plenarii Concilii Latino-Americani, nuper in Urbe feliciter absoluti, per articulos 208 et 288, utilitatem et necessitatem agnoverunt consessuum episcopalium, qui iam pro Brasilia, per epistolam diei 2 Iulii a. 1894, a SSmo Domino Nostro Leone divina providentia Papa XIII fuerunt maxime commendati.

Porro Beatissimus Pater, cui summopere cordi est, ut uberrimi firmique fructus ex praedicto Plenario Concilio capiantur, ad ipsorum episcopalium congressuum rationem aptius determinandam, haec quae sequuntur decernere, et universis Americae Latinae locorum Ordinariis significari statuit, videlicet:

I. Tertio quoque anno, crebrius etiam pro necessitate vel opportunitate, Episcopi omnes uniuscuiusque Ecclesiasticae provinciae conveniant, de communibus Ecclesiarum suarum negotiis coniunctim acturi.

II. Sedem primi conventus Metropolita designet: in posterum ipse Episcoporum coetus pro qualibet insequenti vice.

III. Episcopalem consessum Metropolita convocet et moderetur, et, in eius defectu, senior in ecclesiastica hierarchia. – Secretarii munere fungatur is, quem Episcopi suo suffragio designaverint.

IV. Congressuris ad deliberandum maxime proponantur opportunae rationes, quibus efficaciter eliminentur difficultates

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et excusationes quae contra religiosam observantiam omnium decretorum Concilii Plenarii produci contigerit; nec non ad fortiter et suaviter corrigendas negligentias in eadem observantia. Speciatim vero totis viribus curandum erit, ut efficaciter ad praxim ubique deducantur, quae in Concilio Plenario decreta sunt de Indorum ad fidem conversione et eorum institutione in christianis praeceptis et morum urbanitate. Agendum pariter erit, tum de assiduo indigenarum idiomatum studio sacerdotibus urgendo, ut ad salutare missionum opus habiles reddantur; tum de infausta dilatione baptismi parvulorum, ruri vel in locis ubi deficiunt sacerdotes, degentium; tum de corrigenda parochorum negligentia quoad infirmos praesertim ruricolas Sacra Eucharistia reficiendos; demum de aliis id genus argumentis, quae ad Dei gloriam et salutem animarum provehendam necessaria vel utilia Episcopis, pro eorum zelo ac prudentia, videantur.

V. Propositiones et sententiae coetus Episcoporum, maxime vero graves difficultates quae in executione et observantia unius vel alterius decreti Concilii Plenarii occurrere possunt, ad notitiam Sanctae Sedis, sicuti par est, accurate deferantur, servata norma praescripta in articulo 995 eiusdem Plenarii Concilii.

VI. Acta huiusmodi consessuum episcopalium breviori qua fieri poterit forma redigantur; et si quae resolutiones vel praescriptiones clero vel fidelibus communicandae videantur, id per literas circulares vel per Epistolam pastoralem communem, concisa pariter forma exaratam, fieri poterit.

Plurimum autem confidit Sanctitas Sua, per Episcoporum omnium Americae Latinae concordem voluntatem et sollicitudinem, fructus laetabiles ex hisce congressionibus religioni et civitati, Deo iuvante, fauste obventuros.

Quae iussa et optata Beatissimi Patris, dum pro muneris mei officio significo Amplitudini Tuae Illmae ac Rmae, felicia omnia ac prospera a Domino adprecor

Romae, e Secretaria Status, die 1ª maii 1900

addictissimus

M. Card. RAMPOLLA.

DECRETA CONCILII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et excusationes quae contra religiosam observantiam omnium decretorum Concilii Plenarii produci contigerit; nec non ad fortiter et suaviter corrigendas negligentias in eadem observantia. Speciatim vero totis viribus curandum erit, ut efficaciter ad praxim ubique deducantur, quae in Concilio Plenario decreta sunt de Indorum ad fidem conversione et eorum institutione in christianis praeceptis et morum urbanitate. Agendum pariter erit, tum de assiduo indigenarum idiomatum studio sacerdotibus urgendo, ut ad salutare missionum opus habiles reddantur; tum de infausta dilatione baptismi parvulorum, ruri vel in locis ubi deficiunt sacerdotes, degentium; tum de corrigenda parochorum negligentia quoad infirmos praesertim ruricolas Sacra Eucharistia reficiendos; demum de aliis id genus argumentis, quae ad Dei gloriam et salutem animarum provehendam necessaria vel utilia Episcopis, pro eorum zelo ac prudentia, videantur.

V. Propositiones et sententiae coetus Episcoporum, maxime vero graves difficultates quae in executione et observantia unius vel alterius decreti Concilii Plenarii occurrere possunt, ad notitiam Sanctae Sedis, sicuti par est, accurate deferantur, servata norma praescripta in articulo 995 eiusdem Plenarii Concilii.

VI. Acta huiusmodi consessuum episcopalium breviori qua fieri poterit forma redigantur; et si quae resolutiones vel praescriptiones clero vel fidelibus communicandae videantur, id per literas circulares vel per Epistolam pastoralem communem, concisa pariter forma exaratam, fieri poterit.

Plurimum autem confidit Sanctitas Sua, per Episcoporum omnium Americae Latinae concordem voluntatem et sollicitudinem, fructus laetabiles ex hisce congressionibus religioni et civitati, Deo iuvante, fauste obventuros.

Quae iussa et optata Beatissimi Patris, dum pro muneris mei officio significo Amplitudini Tuae Illmae ac Rmae, felicia omnia ac prospera a Domino adprecor

Romae, e Secretaria Status, die 1ª maii 1900

addictissimus

M. Card. RAMPOLLA.

DECRETA CONCILII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DECRETA CONCILII

IN NOMINE
SANCTISSIMAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS
PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI
AMEN

DECRETUM DE CONSECRATIONE CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE SACRATISSIMO CORDI IESU ET IMMACULATAE VIRGINI MARIAE.

QUONIAM caritas Christi congregavit nos in unum, ut bonum, quod in nobis a Deo requiritur, exequamur, scilicet ut iustitiam loquamur et quae recta sunt iudicemus, Nos, Patres huius Concilii Plenarii, ab ipso initio laborum nostrorum, levamus oculos nostros in montem, unde veniet auxilium nobis, ad illud nimirum solemniori ratione a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa Decimo Tertio, hodie, nostris oblatum oculis, auspicatissimum divinissimumque signum, videlicet Cor Iesu Sacratissimum, superimposita cruce, splendidissimo candore inter flammas elucens: in Eo collocamus spem, ex Eo cleri et populi Nobis commissi petimus et expectamus salutem, Eidemque totum Concilium Plenarium Americae Latinae dicatum, deditum ac consecratum volumus, dicimus et solemniter decla-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ramus. Ad dulcissimum Cor Iesu confugientes, infinitam etiam misericordiam Eius imploramus; unanimi humilique ore confitentes peccata populorum nostrorum, quibus benignissimus Dominus saepe ad vindictam provocatus est; et exeuntis iam saeculi peccata omnia solemni reparatione deplorantes, gratias insuper maximas dulcissimo Cordi Iesu agimus, pro universis beneficiis, civitatibus, et dioecesibus Nostris, hucusque collatis.

Beatissimae etiam Virgini Mariae sub mysterio suae Immaculatae Conceptionis civitatum Nostrarum Patronae principali et universali, totum Concilium Plenarium, universumque clerum et populum Americae Latinae dicamus, donamus et irrevocabili consecratione consecramus, potentissimam huius peramantissimae Matris protectionem, cum praesidio sanctissimi et purissimi Sponsi B. Iosephi, cui America nostra Latina singularissimo et antiquissimo pietatis cultu coniungitur, implorantes; Sanctorum denique Americae Latinae Protectorum intercessionem invocamus, praesertim Sanctissimi Antistitis Thuribii, qui totius Episcopatus Americani luminare maius existit, Sancti Philippi a Iesu, Protomartyris Americani, Beatorum Ignatii de Acevedo et Sociorum, qui Brasilianam gentem, proprio sanguine, Deo consecrarunt, aliorumque Martyrum nostrorum, item Sanctorum Francisci Solani, Petri Claver et Ludovici Bertrandi, Beatorum Martini de Porres, Ioannis Massias caeterorumque sanctissimorum virorum, qui apostolicis laboribus et virtutibus regiones nostras illustrarunt, necnon Sanctae Rosae Limanae, totius Americae Patronae, et Beatae Mariae Annae a Iesu, quae merito habentur ut duplex candidissimum Lilium, universam Americam Latinam suavissima fragrantia indesinenter delectans et sanctificans.

Ut autem haec consecratio, invocatio, veniae petitio et gratiarum actio solemniter celebretur, volumus, ut diebus nono, decimo, et undecimo praesentis mensis Iunii, in aula Conciliari, recitentur a Reverendissimo Praeside litaniae Sacratissimi Cordis Iesu, respondentibus omnibus Rmis Patribus et aliis synodalibus; die videlicet nono et decimo in fine sessionis, et die undecimo in solemni sessione, post Missam. Quo die, omnes Patres, et proprio et omnium Pastorum et fidelium Americae Latinae nomine, alta voce recitabunt formulam consecrationis huic decreto adnexam.

Denique volumus ut praesens decretum ante omnia alia solemniter promulgetur, in proxima publica sessione.

Ad Sacratissimum Cor Iesu

Formula Consecrationis.

Iesu dulcissime, Redemptor humani generis, respice nos, ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem Tibi coniuncti firmius esse possimus, en hodie Sacratissimo Cordi tuo se quisque nostrum sponte dedicat. — Te quidem multi novere nunquam: Te, spretis mandatis tuis, multi repudiarunt. Miserere utrorumque, benignissime Iesu:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

atque ad sanctum Cor tuum rape universos. Rex esto, Domine, nec fidelium tantum qui nullo tempore discessere a Te, sed etiam prodigorum filiorum qui Te reliquerunt: fac hos, ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. Rex esto denique eorum omnium, qui in vetere gentium superstitione versantur, eosque e tenebris vindicare ne renuas in Dei lumen et regnum. Largire, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis: perfice, ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: ipsi gloria et honor in saecula. Amen.

Deinde subiungit Rmus Praeses Concilii:

Parce, igitur, parce, Domine, populo tuo et dimitte peccata nostra et populorum nostrorum quibus toto exeunte iam saeculo saepe ad vindictam provocatus es. Parce, Cor Iesu suavissimum, parce civitatibus nostris, quae in fide Ecclesiae tuae enutritae, fidei thesaurum, Te auctore, mirabiliter servarunt et contra omnis generis insidias custodierunt.

Suscipe, Cor Iesu sacratissimum, gratiarum actiones Episcoporum et fidelium civitatum nostrarum, quae in abundantia beneficiorum tuorum salvae factae sunt.

Tibi etiam, Maria Virgo Immaculata, Mater nostra dulcissima, quae cunctas haereses sola interemisti in universo mundo, quae in Guadalupano, aliisque omnium civitatum nostrarum pietatis tuae inclytis monumentis tot urbes refugii nobis constituisti, quaeque Tutrix fuisti et Nutrix amantissima civitatum nostrarum in vera fide Filii tui dilectissimi, grato animo ac suavissimo filialis amoris sensu, Concilium Plenarium cum universis Pastoribus et fidelibus Americae Latinae solemni dedicatione consecramus, offerimus et donamus. Sub tuum praesidium confugimus, et maternae tuae protectioni opera nostra, et fructum laborum nostrorum committimus. Benedic nos, Mater nostra, benedic nos, Patrona nostra Immaculata et potentissima. Tui sumus; monstra Te esse matrem; salvos fac filiolos Sanctissimi et Immaculatissimi Cordis tui. O Ioseph sanctissime, Tu pariter suscipe nos Sponsae tuae perpetuo donandos.

Vos etiam invocamus, o Sancti et Beati, qui regiones nostras sanctissimis operationibus illustrastis. Memento nostri, tu praesertim Thuribi beatissime, Antistitum et Synodalium Americae Latinae exemplar et ornamentum splendidissimum. Respice super nos, o Protomartyr noster Sancte Philippe a Iesu, qui in cruce exaltatus et glorificatus, praeconum Crucis Christi magister et excitator factus es.

Intercedite pro nobis, o Quadraginta Martyres invictissimi, qui duce B. Ignatio de Acevedo Brasilianam gentem proprio sanguine Deo dicastis et consecrastis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Orate pro nobis, inclyti Martyres Christi, Beati Bartholomaee Gutierrez, Bartholomaee Laurel, Petre Zuñiga et Ludovice Florez, qui coronam pretiosissimam sanctitatis Ecclesiarum Americae Latinae purpuratis margaritis illustrastis.

Patrocinium vestrum similiter invocamus, o Sancti Francisce Solane, Petre Claver et Ludovice Beltran, Americae nostrae Apostoli et Protectores, necnon Beati Sebastiane de Aparicio, Martine de Porres et Ioannes Massias, qui apostolicis virtutibus populum nostrum mirabiliter ad Christum traxistis.

Respicite super nos et orate pro nobis, vos etiam Virgines Christi, Sancta Rosa Limana Americae nostrae Patrona, et Beata Maria Anna a Iesu, Lilia candidissima et fulgentissima, quae mirabili virtutum fragrantia totam Americam Latinam delectastis et sanctificastis. Amen.

TITULUS I.

DE FIDE ET ECCLESIA CATHOLICA

CAPUT I.

De professione Fidei.

1. Quoniam sine fide impossibile est placere Deo et ad filiorum eius consortium pervenire, Nos, Patres huius Concilii Plenarii Latino-Americani, a fide, quae radix iustificationis est, incipientes, solemni professione, confitemur et docemus omnia, quae ab Ecclesia Catholica, sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio, ut divinitus revelata, credenda proponuntur.

2. Speciatim vero admittimus et amplectimur Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, sacramque Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, atque omnia et singula, quae a sacrosancta Tridentina Synodo et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata fuerunt, praesertim de primatu et infallibili magisterio Romani Pontificis, quem beati Petri Apostolorum Principis successorem, Iesu Christi Vicarium ac totius Catholicae Ecclesiae Pastorem ac Doctorem profitemur.

3. Reprobamus omnes errores, sive a Conciliis Generalibus, praesertim Vaticano, sive a Romanis Pontificibus damnatos, nominatim vero illos qui notantur tum in Encyclica Pii IX fel. rec. *Quanta cura* et in ad-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Orate pro nobis, inclyti Martyres Christi, Beati Bartholomaee Gutierrez, Bartholomaee Laurel, Petre Zuñiga et Ludovice Florez, qui coronam pretiosissimam sanctitatis Ecclesiarum Americae Latinae purpuratis margaritis illustrastis.

Patrocinium vestrum similiter invocamus, o Sancti Francisce Solane, Petre Claver et Ludovice Beltran, Americae nostrae Apostoli et Protectores, necnon Beati Sebastiane de Aparicio, Martine de Porres et Ioannes Massias, qui apostolicis virtutibus populum nostrum mirabiliter ad Christum traxistis.

Respicite super nos et orate pro nobis, vos etiam Virgines Christi, Sancta Rosa Limana Americae nostrae Patrona, et Beata Maria Anna a Iesu, Lilia candidissima et fulgentissima, quae mirabili virtutum fragrantia totam Americam Latinam delectastis et sanctificastis. Amen.

TITULUS I.

DE FIDE ET ECCLESIA CATHOLICA

CAPUT I.

De professione Fidei.

1. Quoniam sine fide impossibile est placere Deo et ad filiorum eius consortium pervenire, Nos, Patres huius Concilii Plenarii Latino-Americani, a fide, quae radix iustificationis est, incipientes, solemni professione, confitemur et docemus omnia, quae ab Ecclesia Catholica, sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio, ut divinitus revelata, credenda proponuntur.

2. Speciatim vero admittimus et amplectimur Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, sacramque Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, atque omnia et singula, quae a sacrosancta Tridentina Synodo et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata fuerunt, praesertim de primatu et infallibili magisterio Romani Pontificis, quem beati Petri Apostolorum Principis successorem, Iesu Christi Vicarium ac totius Catholicae Ecclesiae Pastorem ac Doctorem profitemur.

3. Reprobamus omnes errores, sive a Conciliis Generalibus, praesertim Vaticano, sive a Romanis Pontificibus damnatos, nominatim vero illos qui notantur tum in Encyclica Pii IX fel. rec. *Quanta cura* et in ad-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nexo Syllabo [1], tum in Encyclicis SSmi Domini Nostri Leonis PP. XIII feliciter regnantis, quae incipiunt: *Arcanum*, « de matrimonio christiano », *Diuturnum illud*, « de politico principatu », *Humanum genus* [2], « de secta massonica », *Immortale Dei*, « de civitatum constitutione christiana », *Libertas*, « de libertate humana », *Sapientiae christianae*, « de praecipuis civium christianorum officiis », et *Rerum novarum*, « de conditione opificum ». Quoniam vero satis non est haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur qui ad illam plus minusve accedunt, omnes officii monemus servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae aliae opiniones a Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.

4. Memores verbi Christi: *Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei* (Luc. XII, 8, 9); monemus omnes fideles, in nullo casu, etiam ad mortem vitandam, licere veram fidem corde retentam, ore vel facto negare, falsamque exterius profiteri seu simulare, idcirco neque licitum esse subscribere formulae fidei catholicae contrariae, etiamsi subscribens dicat se nolle a vera fide deficere, neque licitum esse, sive verbo sive scripto, polliceri se servaturum esse quae eidem catholicae fidei quomodocumque adversantur.

5. Apostolicis praescriptionibus inhaerentes, adstrictos declaramus ad canonicam professionem Fidei corde et ore emittendam, iuxta formulam Pii IV, in Const.

[1] V. Appen. ad Concilium Plenarium Americae Latinae, n. XXV; XXVI.
[2] V. Appen. n. LII.

Iniunctum nobis, et Pii IX, in decreto S. C. Concilii, diei 20 Ianuarii 1877 [1]: *a*) Omnes et singulos qui ex iure vel consuetudine Concilio Provinciali vel Dioecesanae Synodo intersint; – *b*) Vicarios Generales et Provisores, priusquam iniunctum sibi officium exerceant; – *c*) Vicarios foraneos; – *d*) Omnes, qui in Cathedralibus Ecclesiis dignitatem, canonicatum aut beneficium residentiale obtinuerint; idque per seipsos, intra duos menses a die adeptae possessionis; – *e*) Quicumque curam habent animarum; idque item per seipsos, intra duos menses a die adeptae possessionis; – *f*) Examinatores Synodales; – *g*) Seminarii Moderatores; – *h*) Quicumque, sive clerici sive laici, in Seminariis maioribus et minoribus, Institutis, Collegiis aut scholis per legitimam obedientiam ecclesiasticae iurisdictioni subiectis, etiamsi in illis rudimenta tantum pueri vel puellae doceantur, sacras vel humanas litteras docendi munus susceperint; pro ludimagistris formula brevi professionis fidei adhibita et vernaculo idiomate expressa [2]; – *i*) Omnes qui vel ex apostasia vel ab haeresi ad Ecclesiam veniunt, adhibita tamen speciali abiurationis formula [3].

CAPUT II.

De Revelatione.

6. Quamvis Deus unus et verus, Creator et Dominus noster, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci possit; attamen placuit eius sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via, seipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano

[1] V. Appen. n. XL.
[2] V. Appen. n. CXXXV.
[3] V. Appen. n. CXXXIII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

generi revelare. Licet enim in divina revelatione res quoque comprehendantur quae humanae rationi inaccessae non sunt, ideo tamen hominibus et ipsae revelatae sunt, ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Idcirco valde expediens fuit ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceretur [1].

7. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant. Siquidem, praeter ea quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quapropter errant, qui dicunt hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere [2].

8. Haec autem supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae, ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt. Scriptos autem ac receptos libros veteris et novi Testamenti Ecclesia pro sacris et canonicis habet, eo quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales Ecclesiae traditi sunt [3]. Hoc sane de utriusque Testamenti libris perpetuo tenuit palamque professa est Ecclesia: eaque cognita

[1] Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*. V. Appen. n. XXXV.
[2] Ibid.
[3] Ibid.

sunt gravissima veterum documenta, quibus enuntiatur, Deum, prius per Prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos locutum, etiam Scripturam condidisse, quae canonica nominatur, eamdemque esse oracula et eloquia divina, litteras esse, humano generi, longe a patria peregrinanti, a Patre coelesti datas et per auctores sacros transmissas [1].

9. Huius autem supernaturalis revelationis depositum a Christo Domino commissum fuit Ecclesiae fideliter custodiendum, scilicet Apostolis eorumque successoribus, sed praesertim beato Petro eiusque successori in primatu iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam, idest Romano Pontifici, Christi Iesu in terris Vicario, totius Ecclesiae visibili Capiti et omnium christianorum Patri ac Doctori.

10. Cum sancta Tridentina Synodo et oecumenico Concilio Vaticano, monemus omnes fideles, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentibus, eum pro vero sensu sacrae Scripturae habendum esse, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari [2].

11. Portenta errorum, quae tamquam decretoria pronuntiata novae cuiusdam *scientiae liberae* a Rationalistis exhibentur, improbantes et damnantes, temeritatem illam etiam improbamus et damnamus, qua ad profana quaeque converturtur et torquentur verba et sententiae sacrae Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones,

[1] Leo XIII. Encycl. *Providentissimus Deus*, 18 Nov. 1893.
[2] Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos; et volumus, ut omnes huius generis homines temeratores, et violatores verbi Dei per respectivos Episcopos coerceantur [1].

CAPUT III.

De Fide.

12. Quoniam Deus, qui humanum genus, admirabili caritatis consilio, ad consortium naturae divinae principio evexit, dein a communi labe exitioque eductum, in pristinam dignitatem restituit, et hoc eidem propterea contulit singulare praesidium, ut arcana divinitatis, sapientiae, misericordiae suae supernaturali via patefaceret [2]; cumque homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae veritati penitus subiecta esse debeat; ideo plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Idcirco errant, qui dicunt rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit [3].

13. Ut autem hoc fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata [4]. Quin imo Ecclesia per se ipsa, ob suam

[1] Conc. Trid. sess. 4. de edit. et usu Sacr. Librorum.
[2] Leo XIII. Encycl. *Providentissimus Deus*, 18 Nov. 1893.
[3] Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*.
[4] Ibid.

nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile. Perspicuum insuper est, quod Ecclesia eiusque doctrina ab Apostolorum aetate in mediis omne genus difficultatibus crevit, et per totum orbem miraculorum splendore inclyta, Martyrum sanguine amplificata, Confessorum et Virginum nobilitata virtutibus, Patrum testimoniis scriptisque sapientissimis corroborata, viguit vigetque in cunctis terrae plagis, et perfecta fidei, sacramentorum, sacrique regiminis unitate refulget [1].

14. Etsi vero fidei assensus nequaquam motus animi caecus, sed assensus liber sit, nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati. Quare fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando [2].

15. Et quamvis nemini unquam sine fide contingat iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequatur [3], tamen nemo sola fide praesumat se haeredem esse constitutum, haereditatemque consecuturum, nisi etiam Christo compatiatur, ut et conglorificetur [4]: nam fides, nisi ad

[1] Pius IX. Alloc. *Ubi primum*, 17 Dec. 1847.
[2] Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*.
[3] Ibid.
[4] Conc. Trid. sess. 6. cap. 11 de iustif.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit: qua ratione verissime dicitur: Fidem sine operibus mortuam et otiosam esse [1].

16. Quoniam multi, superbia decepti, omnia ad meram humanam naturam contrahere volunt, semotis Deo et Ecclesia, magnaque hodie cuilibet errorum perversitati permissa licentia, multis saepe vinculis publica veritatis christianae professio constringitur, primum omnium prospicere sibi quisque debet, vehementerque curare, ut alte comprehensam animo fidem intenta custodia tueatur, cavendo iugi diligentia pericula, nominatimque varias sophismatum fallacias. Cumque fidem non modo servare in animis incorruptam, sed assiduis etiam incrementis oporteat augere, iteranda persaepe ad Deum est supplex atque humilis Apostolorum effiagitatio: *Domine, adauge nobis fidem* [2]. Pia enim precandi consuetudine, nihil est ad alendam augendamque fidem aptius. Cuius quidem virtutis, in plerisque debilitatae, in multis extinctae, apparet quanta sit hoc tempore necessitas [3].

17. Igitur quisque fidelis et fidem constanter tenere eamque profiteri et paratus ad illam strenue defendendam esse debet. Nam, cum necessitas cogit, incolumitatem fidei tueri non ii solum debent qui praesunt, sed *quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem* [4]. Cedere hosti, vel vocem premere, cum tantus undique ad opprimendam veritatem tollitur clamor, aut inertis hominis est, aut de iis quae profitetur, utrum vera sint, dubitantis. Utrumque turpe, atque iniuriosum Deo: utrumque cum singulorum tum communi saluti repugnans: solis fidei inimicis fructuosum, quia valde auget remissior proborum opera audaciam improborum. Eoque magis christianorum vituperanda segnities, quia falsa crimina dilui opinionesque pravae confutari levi negotio, ut plurimum, possunt: maiore aliquo cum labore semper possunt [1].

1 Conc. Trid. sess. 6. cap. 7.
2 Leo XIII. Encycl. *Sapientiae christianae*, 10 Ian. 1890.
3 Leo XIII. Encycl. *Exeunte iam anno*, 25 Dec. 1888.
4 S. Thom. 2. 2. q. 3. a. 2.

CAPUT IV.

De Fide et Ratione.

18. Perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt [2].

19. Ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque pretiosissimam, assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo: numquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsa fidei dono sancto illustrato atque adiuto, per ipsam rationem recte exculta, sana et sobria, nonnisi Deo auctore ad ea, quae naturalia sunt, cognoscenda pervenire possit.

1 Leo XIII. Encycl. *Sapientiae christianae*, 10 Ian. 1890.
2 Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*.

latione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino [1].

20. Idcirco, cum plane compertum sit, plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quae cuiuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana, propriae infirmitatis conscia, maiora se affectare ne audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro lubitu interpretari; sed eas potius plena atque humili fide suscipiat, et summi honoris loco habeat, quod sibi liceat, in morem ancillae et pedissequae, famulari coelestibus doctrinis, easque aliqua ratione, Dei beneficio, attingere [2].

21. Merito igitur Vaticana Synodus praeclara beneficia, quae per fidem rationi praestantur, his verbis commemorat: *Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione instruit.* Atque idcirco homini, si saperet, non culpanda fides veluti rationi et naturalibus veritatibus inimica, sed dignae potius Deo grates essent habendae, vehementerque laetandum, quod, inter multas ignorantiae causas et in mediis errorum fluctibus, sibi fides sanctissima illuxerit, quae, quasi sidus amicum, citra omnem errandi formidinem, portum veritatis commonstrat. Et sane philosophorum veterum qui fidei beneficio caruerunt, etiam qui habebantur sapientissimi, in pluribus deterrime errarunt [3].

22. Quapropter, etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio

[1] Conc. Vatic. Const. *Dei Filius.*
[2] Leo XIII. Encycl. *Aeterni Patris*, 4 Aug. 1879.
[3] Ibid.

esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur [1].

23. Hinc, si aetate nostra non paucos esse videmus, qui veritates divinitus traditas parvipendunt, vel prorsus reiiciunt, propterea quod cum effatis humanarum scientiarum ac recentioribus placitis eas componi non posse existimant; huius lugendae aberrationis causam, si quis paulo diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod, nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt; quaedam remisse leviterque tractantur, et, quod indignum est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur [2]. *Quapropter*, ait Concilium Vaticanum [3], *omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.*

24. Cum autem non solum fides et ratio inter se dissidere numquam possint, sed opem quoque sibi

[1] Conc. Vatic. Const. *Dei Filius.*
[2] Leo XIII. Orat. *Pergratus Nobis*, 7 Martii 1880.
[3] Conc. Vatic. Const. *Dei Filius.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mutuam ferant [1]; idcirco divinum Ecclesiae magisterium tantum abest, ut studia discendi atque incrementa scientiarum intercipiat, aut cultioris humanitatis progressionem ullo modo retardet, ut potius plurimum afferat luminis securamque tutelam. Imo Ecclesiae haec beneficia debentur sane magna, quod praeclare monumenta sapientiae veteris conservarit: quod scientiarum domicilia passim aperuerit; quod ingeniorum cursum semper incitaverit, studiosissimo has ipsas artes alendo, quibus maxime urbanitas aetatis nostrae coloratur [2].

25. Id tantum sedulo cavet et vetat Ecclesia, ne scilicet humanae artes et disciplinae, divinae doctrinae repugnando, errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea quae sunt fidei, occupent et perturbent. Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda [3]. Fieri igitur non potest, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia [4].

26. Licet in doctrina Christi et Apostolorum veritas fidei sit sufficienter explicata, tamen, quia perversi homines apostolicam doctrinam et caeteras doctrinas et scripturas pervertunt ad propriam ipsorum perditionem, ideo aliquoties necessaria est explicatio fidei [5] seu explicita definitio alicuius dogmatis in fidei deposito iam contenti. Unde admitti quidem potest progressus in

1 Conc. Vatic. Const. *Dei Filius.*
2 Leo XIII. Encycl. *Libertas*, 20 Iun. 1888.
3 Conc. Vatic. Const. *Dei Filius.*
4 Ibid.
5 S. Th. 2. 2. q. 1. a. 10.

scientia revelationis, sed in obiecto ipso nullum dari augmentum, nulla mutatio, quum doctrina Christi sit perfecta et indefectibilis. Hinc Concilium Vaticanum ait: « Crescat igitur et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia » [1]. Et omnes qui verbo aut scripto iura vindicant Divinae sapientiae, sive in scholis sive aliter, sub tutela tamen Ecclesiae et obedientia erga legitimos Pastores, memores sint oportet illius S. Bonaventurae [2] sententiae: *Disputamus, non ut melius credamus, sed ut fidem illibatam servemus, dum, ipsa cognita, errores caveamus, et cavendo in veritate persistamus.*

CAPUT V.

De Deo.

27. Credimus et confitemur, quod Deus noster Creator ac Dominus coeli et terrae, omnipotens, aeternus, immensus, incomprehensibilis, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitus, cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est, re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus [3].

28. Hic solus verus Deus, bonitate sua et omni-

1 Conc. Vat. Const. *Dei Filius.*
2 Sent. lib. 4. d. 10. p. 2. a. 2. q. 1.
3 Conc. Vatic. Const. *Dei Filius.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

potenti virtute, liberrimo consilio, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius, ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt [1].

29. Cum fides catholica sit, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur [2], firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus: tres quidem personae, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino: Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque: absque initio, semper, ac sine fine: Pater generans, Filius nascens, et Spiritus Sanctus procedens: consubstantiales et coaequales, et coomnipotentes, et coaeterni: unum universorum principium, creator visibilium et invisibilium [3].

30. Hoc autem augustissimae Trinitatis mysterium non curiosis investigationibus discutiendum et humanis rationibus confirmandum, sed summa veneratione et firmissima fide tenendum. « Qui autem, ait S. Thomas, probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primo quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei... Secundo quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes quae non sunt cogentes,

1 Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*.
2 Symb. S. Athan.
3 Conc. Lat. IV. cap. *Firmiter*.

cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim quod huiusmodi rationibus innitamur, et propter eas credamus » [1].

31. Incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credentes, confitemur quod unigenitus Dei Filius Iesus Christus, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitae manifestius demonstravit. Qui, cum secundum divinitatem sit immortalis et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est mortalis et passibilis [2].

32. Cum autem, serpente indifferentismi et rationalismi peste perniciosissima, multiplicentur impiorum conatus ad oppugnandam vel ipsam existentiam sacrosancti mysterii Incarnationis et praesertim divinitatis Domini Nostri Iesu Christi, cuius augustissimam personam blasphemiis plurimis et sacrilegis iniuriis inhonorare non verentur, nos, tantam impietatem fortiter repellentes, toto cordis affectu firmissimaque fide confiteamur divinitatem Christi Iesu, *qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, (Philip. II. 6. 7).

33. Qui humanum genus amore tanto complexus est, ut non modo non recusaverit, natura nostra suscepta, versari nobiscum, sed et nomen adamaverit Filii hominis, palam testatus, se ad consuetudinem nostram propterea accessisse *ut praedicaret captivis remissionem* (Is. LXI. 1; Luc. IV. 19), atque a pessima, quae peccati est, servitute humano genere vindicato, *omnia quae in coelis et quae in terra sunt in se in-*

1 S. Th. I. q. 32. a. 1.
2 Conc. Lat. IV. cap. *Firmiter*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

stauraret (Ephes. I. 10), itemque universam Adami progeniem ex alta communis noxae ruina in gradum pristinum dignitatis restitueret [1].

34. Igitur unigenitus Dei Filius ad hoc venit in mundum, plenus gratiae et veritatis, ut de eius plenitudine accipientes homines vitam habeant, et abundantius habeant, ac divinae efficiantur consortes naturae. Ad hoc vero dona gratiae multiplicat; quae quidem gratia cum mentem illustret, voluntatemque salutari constantia roboratam ad morale bonum semper impellat, expeditiorem efficit simulque tutiorem libertatis usum [2].

35. De cuius divinae gratiae necessitate firmiter tenendum, quod nullus homo lapsus, sive iustus sive iniustus, in praesenti statu, potest sine gratia interiori praeveniente efficere aliquod opus salutare, sive conducens ad vitam aeternam. Haec autem gratia modo sufficienti ad salutem nemini negatur.

36. Gratia autem habitualis est donum supernaturale, homini intrinsece et permanenter inhaerens, quo redditur formaliter sanctus, Deo gratus, filius Dei adoptivus et haeres vitae aeternae. Unde per iustificationem transferimur ab eo statu, in quo nascimur filii primi Adae, id est peccati, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum [3]: iustificatio enim non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum [4]: et gratia qua renovamur, est divina qualitas in anima inhaerens ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnino delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit [1]. Ex quibus patet gratiam et iustificationem non esse aequalem in omnibus; ideoque dicitur (2. Petri III. 18): *Crescite vero in gratia;* atque amitti posse et revera amitti per subsequens peccatum mortale.

[1] Leo XIII. Epist. *In plurimis.* 5 Maii 1888.
[2] Leo XIII. Encycl. *Libertas,* 20 Iun. 1888.
[3] Conc. Trid. sess. 6. cap. 4 de iustif.
[4] Ibid. cap. 7.

CAPUT VI.

De cultu Deo et Sanctis exhibendo.

37. Ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximum ac sanctissimum, quo pie religioseque Deum colere homines iubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in Dei potestate perpetuo sumus, Dei numine providentiaque gubernamur, ab eoque profecti, ad eum reverti debemus [2].

38. Igitur divini cultus atque honoris adeo cupidi homines esse debent, ut zelantes potius quam amantes iure dici possint, exemplo illius qui de seipso: *zelo,* inquit, *zelatus sum pro Domino Deo exercituum* (3. Reg. XIX. 14); immo Christum ipsum imitemur, de quo illud est: *zelus domus tuae comedit me* (Ps. LXVIII. 10). Cum autem anima et corpore homo a Deo ditatus sit, ipsum Deum quem intimis sensibus pie colimus, fide et spe adducti, quam in eo positam habemus, non possumus eum non externo cultu venerari eidemque gratias agere.

39. Porro externus iste cultus non personalis tantum et domesticus, sed et publicus sit oportet. Do-

[1] Catech. Rom. de Bapt. n. 50.
[2] Leo XIII. Encycl. *Libertas,* 20 Iun. 1888.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

minus enim et singulorum et communitatis conditor est. Idcirco Deum civilis societas, qua societas est, parentem et auctorem suum agnoscat necesse est, atque eius potestatem dominatumque vereatur et colat. Vetat igitur iustitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum rediderit, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam, civitatem, eademque singulis iura promiscue largiri [1]. Igitur societas, qua persona moralis, Deum colere tenetur: natura enim et ratio, quae iubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem [2]: quod et de societate domestica dici debet.

40. Cultus publicus, quem Deo christiani populi exhibere debent, in eo maxime consistit, ut diem Domini sanctificent. Ex observantia vel violatione huius legis, totius Reipublicae christianae maxima ex parte bona vel prava repetenda est conditio [3]. Nec tantum in futuro, verum etiam saepius in praesenti saeculo, variis plecti solent calamitatibus, qui huius transgressionis rei sunt [4]: huius enim legis contemptus et oblivio totius ordinis moralis fundamenta quatit et subvertit; omnia mala, praesertim obcaecationem mentis, morum corruptelam, effraenatam rerum temporalium cupiditatem effundit in populos, et totius societatis tum religiosae tum civilis tum etiam domesticae vincula disrumpit [5].

41. Soli Deo, utpote rerum omnium Creatori supremoque Domino, cultum *Latriae veramque adoratio-*

1 Leo XIII. Encycl. *Libertas*, 20 Iun. 1888.
2 Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.
3 Conc. Prov. Rothom. an. 1850, decr. 2.
4 Conc. Prov. Albien. an. 1850, tit. 4, decr. 1.
5 Ibid.

nem praestari, tum lege ipsa naturae, tum his verbis praecipitur: *Dominum Deum tuum adorabis: et illi soli servies* (Matth. IV. 10). Humanitas Christi cultu latriae absoluto adorari debet; nam, ut ait S. Ioannes Damascenus [1]: *Unus est Christus, Deus perfectus et homo perfectus, quem cum Patre et Spiritu adoramus, una adoratione cum immaculata ipsius carne... non creaturae latriam deferimus; neque enim ut nudam carnem adoramus, sed ut unitam deitati.*

42. Omnes Christi fideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, latriae cultum, qui vero Deo debetur, sanctissimo Eucharistiae Sacramento in veneratione exhibere tenentur: neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum: nam illum eumdem Deum praesentem in ea adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum, dicit (Ps. XCVI; Hebr. I): Et adorent eum omnes Angeli Dei; quem (Math. II) Magi procidentes adoraverunt; quem denique (Math. XXVIII; Luc. XXIV) in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur [2].

43. Eodem latriae cultu adoramus Cor Iesu, cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro [3]. Per huiusmodi vero devotionem praecipua caritatis beneficia, per Christum Redemptorem in humanum genus collata, sub Sanctissimi Cordis Iesu symbolo, cultu peculiari recolimus [4].

1 Lib. 3. *de Fide orth.* cap. 8, ap. Franzelin, de Verbo Incarn. Thes. 45.
2 Conc. Trid. sess. 13. de Euchar. cap. 5.
3 Pius VI. Const. *Auctorem fidei*, 28 Aug. 1794.
4 Leo XIII. Litt. *Benigno divinae Providentiae.* 28 Iunii 1889.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

44. B. Mariae Virgini, cuius immaculatam conceptionem Pius IX fide catholica tenendam definivit et firma fide credimus, propter eximiam eius super omnes alias creaturas praeeminentiam hyperduliae debetur veneratio. Ipsa pacis nostrae apud Deum sequestra est, et coelestium administra gratiarum. Quod igitur Mariae praesidium orando quaerimus, hoc sane, tamquam in fundamento, in munere nititur conciliandae nobis divinae gratiae, quo ipsa continenter fungitur apud Deum, dignitate et meritis acceptissima, longeque Coelitibus sanctis omnibus potentia antecellens [1]. Nec per singularem fiduciam, qua fideles cum Ecclesia universa ad Beatam Virginem confugiunt, aliquid honoris Iesu Christo debiti detrahitur; cum suave Ipsi ac iucundum apprime sit, singulos eius flagitantes opem iuvare ac solari. *Omnis gratia*, ait S. Bernardinus Senensis [2], *quae huic saeculo communicatur, triplicem habet processum. Nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virgine in nos ordinatissime dispensatur.*

45. Insuper quo se placabiliorem ad preces impertiat Deus, pluribusque deprecatoribus, Ecclesiae suae celerius ac prolixius opituletur, magnopere hoc arbitramur expedire, ut una cum Virgine Deipara castissimum eius Sponsum beatum Iosephum implorare populus christianus praecipua pietate et fidenti animo insuescat. Ioseph enim vir fuit Mariae et pater, ut putabatur, Iesu Christi. Hinc omnis eius dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectae [3].

46. Monemus igitur omnes fideles, Sanctos cum Christo regnantes orationes Deo pro nobis offerre,

[1] Leo XIII. Encycl. *Iucunda*, 8 Sept. 1894.
[2] Citat. a Leone XIII in Encycl. *Iucunda*, 8 Sept. 1894.
[3] Leo XIII. Encycl. *Quamquam pluries*, 15 Aug. 1889.

eosque propter eorum gratiae et gloriae supernaturalem excellentiam, et quia sunt amici Dei et haeredes, venerandos esse cultu duliae atque invocandos, atque eorum reliquias esse venerandas; imagines vero sacras habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Hanc sacrosancti Concilii Tridentini doctrinam corde et opere retinentes, sciant omnes Christi fideles, gratiam nobis dari per merita Iesu Christi, qui est unicus ac verus Mediator inter Deum et homines; Sanctos autem a nobis invocari, non ut aliquid nobis propria sua virtute ipsi largiantur, sed ut pro nobis a Deo petant, pro nobis orent; nullam etiam sacris imaginibus inesse virtutem, sed cultum quem his adhibemus, ad prototypa referri. Similiter cultum sacris reliquiis exhibitum redundare in ipsos Sanctos, quorum sunt pretiosae exuviae [1].

CAPUT VII.

De Ecclesia.

47. Christus Dominus, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur [2]. Futurum sane Iesus Christus significavit, ut quam ipse offensionem hominum invidiamque prior excepit, in eamdem pari modo opus a se institutum incurreret; unde et ad salutem pervenire, ipsius beneficio partam, multi reapse prohiberentur. Quare voluit non alumnos dum-

[1] Cfr. Conc. Trid. passim.
[2] Conc. Vatic. Const. *Pastor aeternus*. V. Appen. n. XXXV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

taxat instituere disciplinae suae, sed et hos ipsos societate coniungere, et in unum corpus, *quod est Ecclesia* (Col. 1. 24), cuius esset ipse caput, apte coagmentare.

48. Est ergo Ecclesia societas externa et visibilis, a Deo per Filium suum Unigenitum instituta, suaeque institutionis manifestis notis instructa, ut tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin imo, ut supra dictum est, ipsamet magnum quoddam et perpetuum motivum est credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile [1].

49. Idcirco vera religio quae sit, non difficulter videt qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit. Argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus liquet eam esse unice veram, quam Iesus Christus et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit [2].

50. Ecclesia, cuius finis est sanctificatio animarum, et adeptio vitae aeternae, est *una*, unitate scilicet fidei, auctoritatis, et communionis, *sancta* in fundatore, in doctrina, in sacramentis, in servis Dei heroicitate virtutum et mirabili charismatum dono praeclaris; *catholica*, ratione temporis semper duratura, ratione loci ubique terrarum cognita et cognoscenda, ratione personarum neminem excludens, ratione fidei integrae

1 Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*.
2 Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

servatae; *apostolica* origine, doctrina, successione. Huiusmodi vero notae, quibus vera Christi Ecclesia instructa est, in Romana Ecclesia plane inveniuntur, quae ab Apostolorum principibus fundata, eorumque sanguine irrigata, omnium Ecclesiarum mater et magistra agnoscitur, ad eamque, propter potiorem principalitatem, necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles [1].

51. Haec vera Ecclesia, domus et aedificium Dei, grex ovium Christi, quarum ille ostium est et pastor, Christi Sponsa et mysticum corpus Christi [2], est etiam portus tutissimus, navis secura, extra quam salus et remissio peccatorum obtineri nequit. « Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi » [3].

52. Haec autem Ecclesiae sancta societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis: atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili: et, quod plurimum interest, societas est genere et iure perfecta. Et sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia [4].

1 S. Iren. Adversus haereses l. 3. c. 3.
2 Catech. Rom. de IX. Symb. art. n. 4.
3 Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*.
4 Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

53. Itaque dux hominibus ad coelestia, non civitas, sed Ecclesia esse debet. Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui iuris, quae ab assentatrice principum philosophia iamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere, itemque publice exercere nunquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Evangelium a principibus Synagogae prohiberentur, constanter respondebant: *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus:* eidemque sancti Ecclesiae Patres rationum momentis tuendae pro opportunitate studuerunt: Romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores eam vindicare nunquam praetermiserunt [1].

54. Ex quibus patet, divinum magisterium, quod a Christo Domino traditum fuit Ecclesiae, sanctiones eius de fide et moribus immunes facere a censura et potestate eorum, qui rei publicae praesunt administrandae. Si secus esset, ea fidei dogmata vel praecepta morum, quae perpetuo vera et iusta sunt, mutabilia fierent, pro diverso imperantium ingenio, pro temporum et locorum varietate [2].

55. Quapropter, cum munus officiumque Ecclesiae sanctissimum sit, omnia constanter praecipere, omniaque, vel invitis hominibus, tueri, quaecumque ei praecipienda tuendaque Iesus Christus demandavit, propterea in legibus institutisque civitatum, si quid a christianis fidei morumque praeceptis dissideat, probare clerus vel silentio dissimulare non potest. Qualis erat christiani nominis fortuna futura, si quibuslibet populorum institutis, si magistratuum iussis, nullo discrimine, vera iniquave forent, Ecclesia paruisset? Mansisset sancita

[1] Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.
[2] Leo XIII. Epist. *Sicut acceptum studium*, 29 April. 1889.

legibus superstitio vetus, nec ullo modo humanum genus ad Evangelii lumen emersisset [1].

56. Haec autem Ecclesiae perfecta societas, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque Conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat, plenam idcirco ac supremam habet potestatem legislativam, iudiciariam et coactivam. Revera Iesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adiuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur, iudicandi puniendique potestate: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (Matth. XXVIII. 18. 19. 20) et alibi: *Si non audierit eos, dic Ecclesiae* (Matth. XVIII. 17). Atque iterum: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* (2. Cor. X. 6). Rursus: *Durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem* (2. Cor. XIII. 10) [2].

57. Ex quibus facile deducitur non pertinere ad civilem potestatem definire quae sint Ecclesiae iura ac limites intra quos eadem iura ipsamet exercere queat [3]; ad solam ecclesiasticam proinde potestatem proprio ac nativo iure spectare directionem Theologicarum rerum doctrinae [4]; et obligationem, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, non coarctari ad ea tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur, verum etiam extendi, tum ad decisiones, quae ad doctrinam

[1] Leo XIII. Alloc. *Mirandum sane*, 1 Iun. 1888.
[2] Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.
[3] Pius IX. Alloc. *Singulari quadam*, 9 Dec. 1854.
[4] Pius IX. Epist. *Tuas libenter*, 21 Dec. 1863.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
PATRIMONIO DOCUMENTAL DE BIBLIOTECAS

pertinentes, a Pontificiis Congregationibus proferantur, tum ad ea omnia doctrinae capita, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur veluti theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram [1].

58. Praeter recensita, Ecclesia alia habet iura, quae non sunt a potestate civili concessa, quaeque proinde nequit civile imperium revocare. Habet scilicet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi [2]: tum vero ipsa Ecclesia tum et personae ecclesiasticae, iure proprio, immunitatis gaudent privilegio, quod a iure civili ortum non habuit [3]. Quare absque naturalis iuris et aequitatis violatione nequit abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur [4].

CAPUT VIII.

De Romano Pontifice.

59. Cum divina ordinatione in Ecclesia Catholica instituta sit hierarchia, quae constat Episcopis, Presbyteris et Ministris, liquet omnino errare qui dicunt: Novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere; et semel rite ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non

1 Pius IX. Epist. *Tuas libenter*, 21 Dec. 1863.
2 Pius IX. Alloc. *Nunquam fore*, 15 Dec. 1856; Encycl. *Incredibili*, 17 Sept. 1863.
3 Pius IX. Litt. *Multiplices inter*, 10 Iun. 1851.
4 Pius IX. Epist. *Singularis Nobisque*, 29 Sept. 1864.

exerceant [1]. Presbyteros autem Episcopis inferiores esse constat, tum ex natura sacrae ordinationis et hierarchiae, tum ex definitione Concilii Tridentini [2]. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, Christus beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum extrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret [3].

60. Quoniam uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens: *Pasce agnos meos: Pasce oves meas* (Ioan. XXI. 15-17), errant qui dicunt beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput, vel eumdem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse [4].

61. Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id, eodem auctore, in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. Petrus autem ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis Sanctae Romanae Sedis ab ipso fundatae

1 Conc. Trid sess. 23, can. 6. et cap. 4 de sacr. Ord.
2 Ibid.
3 Conc. Vatic. Const. *Pastor aeternus*.
4 Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet. Unde merito anathematizati sunt qui dicunt, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem [1]; aut Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles [2].

62. Credimus etiam et docemus, cum Concilio Vaticano: «Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit: ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse» [3].

63. Igitur omnes fideles Romano Pontifici obedientiam debent, et verbo ac opere, et publica et privata

[1] Conc. Vatic. Const. *Pastor aeternus*.
[2] Ibid.
[3] Ibid.

agendi ratione, proclamare cum Nicolao I: *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholicae fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum, a Sedis Apostolicae Praesule salubriter promulgata contempserit; anathema sit* [1].

64. Romanus Pontifex qui secundum plenitudinem suae potestatis est supra ius canonicum [2], potest supra ipsum ius dispensare [3]; ideoque errarunt qui dixerunt Apostolicae potestatis usum moderandum per canones.

65. Firmiter credendum est Romanum Pontificem esse iudicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri; Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuipiam de eius licere iudicare iudicio [4].

66. Igitur sub excommunicationis poena prohibentur omnes, cuiuscumque gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum ad universale futurum Concilium appellare; item directe vel indirecte impedire exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori [5]. Item, cum Concilio Vaticano damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui supremi Capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius aucto-

[1] Cap. 18. caus. 25. q. 2.
[2] Bened. XIV. Const. *Magnae Nobis*, 29 Iun. 1748.
[3] Innoc. III. Cap. *Proposuit*, 4. de Concess. praebend.
[4] Conc. Vatic. Const. *Pastor aeternus*.
[5] Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis*, 12 Oct. 1869.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
BIBLIOTECA GENERAL DE HUMANIDADES

ritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur [1].

67. Romani Pontifices [2], ob hanc causam, quod rei christianae administrandae divinitus tenent principatum, suos peregre Legatos ad gentes populosque christianos mittere vel ab ultima antiquitate consueverunt. Id autem non extrinsecus quaesito, sed nativo iure suo, quia Summus Pontifex ..... « cum personaliter « singulas regiones circuire non possit, nec circa gregem « sibi creditum curam pastoralis sollicitudinis exercere, « necesse habet interdum, *ex debito impositae servitutis*, « suos ad diversas mundi partes, prout necessitates « emerserint, destinare legatos, qui, *vices eius supplendo*, « errata corrigant, aspera in plana convertant, et com- « missis sibi populis salutis incrementa ministrent » *(Cap. un. Extrav. Com.* De Consuet. *l. I)*.

68. Cum partes Legati Apostolici, qualicumque demum potestate augeatur, sint, Pontificis a quo mittitur, mandata facere et voluntatem interpretari, tantum abest, ut ordinariae potestati Episcoporum quidpiam ipse pariat detrimenti, ut potius ei fundamentum ac robur sit allaturus. Eius quippe auctoritas non parum est habitura ponderis ad conservandam in multitudine obedientiam; in Clero disciplinam debitamque Episcopis verecundiam; in Episcopis caritatem mutuam cum intima animarum coniunctione [3]; tutamen insuper est mutuae inter potestatem civilem et ecclesiasticam concordiae.

69. E sublimi huiusmodi Romani Pontificis potestate nihil iuste timere possunt qui civilem tenent apud diversas gentes principatum. Apostolica enim Sedes verae pacis et auctoritatis tutrix ac magistra semper extitit; et sicut in re nulla potest a religione officii et defensione iuris sui declinare, ita maxime solet esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis, in rebus omnibus, quae cum incolumitate iurium et sanctitate officiorum suorum possunt una consistere [1]. Fideles pariter, cuiuscumque gradus sint et conditionis, plenam in Sancta Sede fiduciam foveant, eiusque acta ac praescripta humili ac obedienti animo percipiant.

70. Neque audiant qui, proprio iudicio decepti, a recta obedientiae et devotionis semita sub specie boni declinantes, prudentiam Sanctae Sedis in rebus quae concordiam utriusque potestatis respiciunt, veluti infaustam nimisque placidam benignitatem erga potentes huius saeculi exhibent. Sciant quod, ad iniustas principum praetensiones, Romani Pontifices fortiter ac suaviter invicto animo obsistentes, respondent: « Quamquam enim sin- « cero pacis studio teneamur, non tamen fas est Nobis « contra ea, quae divinitus constituta et sancita sunt, « quidquam audere; pro quibus profecto, si ad ea « tuenda opus esset extrema quaeque perpeti, exemplo « Decessorum nostrorum, non dubitaremus » [2].

71. Similiter, animi est minus sincere in obsequio permanentis, alterum Pontificem cum altero committere. Ex diversis duabus agendi rationibus, qui praesentem despiciunt ut praeteritae assentiantur, ii parum se obnoxios potestati impertiunt, cuius imperio ipsos regi ius et officium est: iidemque aliquam habent cum iis similitudinem, qui, sua causa damnata, ad futurum Con-

[1] Conc. Vatic. Const. *Pastor aeternus.*
[2] Leo XIII. Encycl. *Longinqua oceani spatia*, 6 Ian. 1895.
[3] Ibid.

[1] Leo XIII. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.
[2] Leo XIII. Encycl. *Tampridem*, 6 Ian. 1886.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cilium vellent, vel ad Pontificem, cui melius de causa liqueat, provocare. Quam ad rem, hoc fixum persuasumque sit, in Ecclesiae gubernatione, salvis officiis maximis, quibus Pontifices omnes apostolicum munus adstringit, unicuique eorum integrum esse eam rationem sequi, quae, spectatis temporibus caeterisque rerum adiunctis, optima videatur. Idque ad solius Pontificis iudicium pertinet; propterea quod is ad eam rem non solum singulari quodam donatur consilii lumine, sed etiam perspecta habet totius christianae reipublicae tempora, quibus apostolicam providentiam suam convenienter respondere necesse est [1].

72. « Quoniam vero a suprema Romani Pontificis auctoritate eiusque libero exercitio pendet totius Ecclesiae bonum, maximeque intererat, ut eius nativa autonomia ac libertas tuta et secura, sarta tectaque trans saecula servaretur, iis modis atque adminiculis, quae divina Providentia ad finem consequendum efficacia aptaque agnovisset » [2]; providissimo Dei consilio factum est, ut, post periculosa primae aetatis discrimina, civilis principatus Romanae Ecclesiae adiiceretur, eidemque, longo saeculorum tractu, inter infinitas rerum vicissitudines regnorumque ruinas conservaretur [3]. Igitur repugnat rectae rationi, ut subdatur humanae potestati spiritualis potestas, quae super omnes eminet potestates; repugnat enim quod legis ac divinae potestatis interpres supremus terreno subdatur regi; repugnat ut Pontifex, qui curam habet de fine primario et ultimo qui est animarum salus, subiiciatur et coer-

[1] Leo XIII. Litt. *Epistola tua*, 17 Iun. 1885.

[2] Leo XIII. Litt. *Quantunque Le siano* ad Card. Rampolla, Secr. Status, 15 Iun. 1887.

[3] Leo XIII. Oratio *Ingenti* ad ephemer. script., 22 Febr. 1879.

ceatur a civili principe, qui nonnisi sublunaria curat, quique et ipsi ultimo fini subditur. Quod si Pontifices primis saeculis principatus libertate non potiebantur, id providenti Dei consilio evenit ad probandam religionis divinitatem, et tunc Pontifices subditi erant quoad factum, non quoad ius; est autem rerum terrenarum conditio ut ipsae gradatim suam vim explicent [1]. Caeterum « omnibus compertum est, fideles populos, gentes, regna nunquam plenam fiduciam et observantiam esse praestitura Romano Pontifici, si illum alicuius Principis vel Gubernii dominio subiectum ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari ac vereri nunquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis vel Gubernii, in cuius ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc praetextu saepius refragari non dubitarent. Et quidem dicant vel ipsi hostes civilis Principatus Apostolicae Sedis, qui nunc Romae dominantur, quanam fiducia et observantia ipsi essent excepturi hortationes, monita, mandata, constitutiones Summi Pontificis, cum illum cuiusvis Principis aut Gubernii imperio subditum esse cognoscerent, praesertim vero si cui subesset Principi, inter quem et Romanam ditionem diuturnum aliquod ageretur bellum? » [2].

73. Hisce de causis, Pius IX [3], anteactas protestationes contra invasionem civilis huiusmodi Sanctae Sedis principatus innovans et confirmans, dixit: « Aperte praenuntiavimus eam sacrilegam invasionem non tantum spectare ad civilem Nostrum principatum opprimendum,

[1] Card. Pecci, hodie Leo XIII, in pastorali instr. ad populum dioec. Perusinae, 12 Febr. 1860.

[2] Pius IX. Alloc. *Quibus quantisque*, 20 April. 1849.

[3] In Alloc. *Luctuosis*, habita die 12 Martii 1877.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quantum ad destruendas facilius, temporali nostra dominatione oppressa, institutiones omnes Ecclesiae, ad evertendam Sanctae Sedis auctoritatem, ad vicariam Christi potestatem, quam, licet immerentes, gerimus in terris, omnino labefactandam ». Et Leo XIII subiunxit: « Non regni ambitu, ut saepius ediximus, non dominandi cupiditate permoti, Romani Pontifices, quoties civilem hunc principatum turbari et violari senserunt, apostolici muneris esse putarunt sacra Romanae Ecclesiae iura sarta tecta servare et pro viribus tueri: Nosque ipsi, Praedecessorum Nostrorum exempla secuti, haec eadem iura asserere et vindicare non praetermisimus, nec unquam praetermittemus » [1]. Quapropter, nos, Patres huius Plenarii Concilii Latino-Americani, necessitatem, iustitiam et inviolabilitatem principatus civilis Romani Pontificis solemniter agnoscentes, iteratasque Pii IX et Leonis XIII protestationes contra sacrilegam occupationem Status Pontificii prae oculis habentes, reprobamus et damnamus temeritatem illorum qui dicunt: « De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii: abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret » [2].

CAPUT IX.

De Societate domestica.

74. Societas domestica, cuius auctor et rector Deus est, a quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur [3], nostris hisce temporibus misere perturbata, in suam dignitatem restitui nullo modo potest, nisi iis legibus, quibus Ecclesia ab ipsomet divino Auctore est instituta [1]. Quod et ipsi civitati plurimum interest.

75. Et re quidem vera, initia reipublicae familia complectitur, magnaque ex parte alitur intra domesticos parietes fortuna civitatum. Idcirco qui has divellere ab institutis christianis volunt, consilia a stirpe exorsi, corrumpere societatem domesticam maturant. A quo eos scelere nec cogitatio deterret, id quidem nequaquam fieri sine summa parentum iniuria posse: natura enim parentes habent ius suum instituendi, quos procrearint, hoc adiuncto officio, ut cum fine, cuius gratia sobolem Dei beneficio susceperunt, ipsa educatio conveniat et doctrina puerilis [2].

76. Matrimonium, cuius vinculum indissolubile est atque perpetuum, quodque fundamentum est domestici convictus, a Christo Domino ad dignitatem sacramenti elevatum, institutum est, non modo ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiae sobolem, *cives sanctorum et domesticos Dei* (Eph. II. 19); *ut* nimirum *populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur* (Cat. Rom. c. VIII, n. 15). Vir est familiae princeps, et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus eius, subiiciatur oportet pareatque viro, in morem non ancillae, sed sociae: ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas nec dignitas absit [3].

77. Filii autem subesse et obtemperare parentibus hisque honorem adhibere propter conscientiam debent; et vicissim in liberis tuendis atque ad virtutem potis-

1 Leo XIII. Oratio *Ingenti* ad ephemer. script., 22 Febr. 1879.
2 Syllab. prop. 75. 76.
3 Ephes. V. 15.

1 Leo XIII. Encycl. *Inscrutabili*, 21 April, 1878.
2 Leo XIII. Encycl. *Sapientiae christianae*, 10 Ian. 1890.
3 Leo XIII. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quantum ad destruendas facilius, temporali nostra dominatione oppressa, institutiones omnes Ecclesiae, ad evertendam Sanctae Sedis auctoritatem, ad vicariam Christi potestatem, quam, licet immerentes, gerimus in terris, omnino labefactandam ». Et Leo XIII subiunxit: « Non regni ambitu, ut saepius ediximus, non dominandi cupiditate permoti, Romani Pontifices, quoties civilem hunc principatum turbari et violari senserunt, apostolici muneris esse putarunt sacra Romanae Ecclesiae iura sarta tecta servare et pro viribus tueri: Nosque ipsi, Praedecessorum Nostrorum exempla secuti, haec eadem iura asserere et vindicare non praetermisimus, nec unquam praetermittemus » [1]. Quapropter, nos, Patres huius Plenarii Concilii Latino-Americani, necessitatem, iustitiam et inviolabilitatem principatus civilis Romani Pontificis solemniter agnoscentes, iteratasque Pii IX et Leonis XIII protestationes contra sacrilegam occupationem Status Pontificii prae oculis habentes, reprobamus et damnamus temeritatem illorum qui dicunt: « De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii: abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret » [2].

CAPUT IX.

De Societate domestica.

74. Societas domestica, cuius auctor et rector Deus est, a quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur [3], nostris hisce temporibus misere perturbata, in suam dignitatem restitui nullo modo potest, nisi iis legibus, quibus Ecclesia ab ipsomet divino Auctore est instituta [1]. Quod et ipsi civitati plurimum interest.

75. Et re quidem vera, initia reipublicae familia complectitur, magnaque ex parte alitur intra domesticos parietes fortuna civitatum. Idcirco qui has divellere ab institutis christianis volunt, consilia a stirpe exorsi, corrumpere societatem domesticam maturant. A quo eos scelere nec cogitatio deterret, id quidem nequaquam fieri sine summa parentum iniuria posse: natura enim parentes habent ius suum instituendi, quos procrearint, hoc adiuncto officio, ut cum fine, cuius gratia sobolem Dei beneficio susceperunt, ipsa educatio conveniat et doctrina puerilis [2].

76. Matrimonium, cuius vinculum indissolubile est atque perpetuum, quodque fundamentum est domestici convictus, a Christo Domino ad dignitatem sacramenti elevatum, institutum est, non modo ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiae sobolem, *cives sanctorum et domesticos Dei* (Eph. II. 19); *ut* nimirum *populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur* (Cat. Rom. c. VIII, n. 15). Vir est familiae princeps, et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus eius, subiiciatur oportet pareatque viro, in morem non ancillae, sed sociae: ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas nec dignitas absit [3].

77. Filii autem subesse et obtemperare parentibus hisque honorem adhibere propter conscientiam debent; et vicissim in liberis tuendis atque ad virtutem potis-

1 Leo XIII. Oratio *Ingenti* ad ephemer. script., 22 Febr. 1879.
2 Syllab. prop. 75. 76.
3 Ephes. V. 15.

1 Leo XIII. Encycl. *Inscrutabili*, 21 April, 1878.
2 Leo XIII. Encycl. *Sapientiae christianae*, 10 Ian. 1890.
3 Leo XIII. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

simum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est. Christus igitur, cum ad talem ac tantam excellentiam matrimonia renovavisset, totam ipsorum disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit [1].

78. Patriae atque herilis potestatis ita Ecclesia rationem moderatur, ut ad filios ac famulos in officio continendos valeat, nec tamen praeter modum excrescat. Secundum namque catholica documenta, in parentes et dominos coelestis Patris ac Domini dimanat auctoritas, quae idcirco ab ipso non solum originem ac vim sumit, sed etiam naturam et indolem necesse est mutuetur. Servis ac dominis per Apostolum proponitur divinum praeceptum, ut illi quidem obediant *dominis carnalibus sicut Christo.... cum bona voluntate servientes sicut Domino;* isti autem *remittant minas, scientes, quia omnium Dominus est in coelis, et personarum acceptio non est apud eum* (Eph. VI. 5-9) [2].

CAPUT X.

De Societate civili.

79. Insitum homini natura est, ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitae cultum et apparatum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad coniunctionem congregationemque hominum nasceretur, cum domesticam tum etiam civilem, quae suppeditare *vitae sufficientiam perfectam* sola potest [3].

[1] Leo XIII. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.
[2] Leo XIII. Encycl. *Quod Apostolici*, 28 Dec. 1878.
[3] Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

80. Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, qua regatur: quae non secus ac societas, a natura, proptereaque a Deo ipso oriatur auctore. Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo [1].

81. Ius autem imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum: aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem. Sed in quolibet genere reipublicae omnino principes debent summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibimetipsis in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere. Quod si, qui praesunt, delabantur in dominatum iniustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint. *Potentes potenter tormenta patientur* (Sap. VI. 7) [2].

82. Civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere, aut adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat. Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei Nomen; ponendumque in praecipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quidpiam instituere aut decernere, quod sit eius incolumitati contrarium.

[1] Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.
[2] Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Id et civibus debent, quibus praesunt. Civilem[1] igitur societatem communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illo atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes, quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt [1].

83. Igitur indifferentismus civilis perabsurdum est deliramentum et pessima machinatio contra vel ipsam civilem conditionem. Curam enim de religione publice adhibere nullam, et in rebus civicis ordinandis, gerendis, Deum nihilo magis respicere, quam si omnino non esset, temeritas est ipsis ethnicis inaudita; quorum in animo sensuque erat sic penitus affixa, non solum opinio deorum, sed religionis publicae necessitas, ut inveniri urbem facilius sine solo, quam sine Deo posse arbitrarentur. Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona, quae comitantur vitam, a Deo accepimus, sic eamdem ob causam populi et civitates. Idcirco qui solutam omni religionis officio civilem communitatem volunt, perspicuum est non iniuste solum, sed etiam indocte absurdeque facere [2].

84. Principum autem et subditorum animi, mutuis officiis et iuribus, secundum catholicam doctrinam ac praecepta, ita devinciuntur, ut et imperandi temperetur libido, et obedientiae ratio facilis, firma et nobilissima efficiatur. Sane Ecclesia subiectae multitudini Apostolicum praeceptum iugiter inculcat: *Non est potestas*

[1] Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.
[2] Leo XIII. Encycl. *Humanum genus*, 20 Apr. 1884.

nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Atque iterum *necessitate subditos* esse iubet *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*; et *omnibus debita* reddere, *cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem* (1. Rom. XIII). Siquidem qui creavit et gubernat omnia, provida sua sapientia disposuit, ut infima per media, media per summa, ad suos quaeque fines perveniant [3].

85. Igitur, in rebus non iniustis parendum eis esse, qui praesunt, conservandi causa ordinis, in quo est publicae fundamentum incolumitatis, nemo dubitat: nec tamen est consequens, obtemperando approbari, si quidquam est aut in constitutione aut in administratione civitatis non iustum [1].

86. Una illa hominibus causa est non parendi, si quid ab iis postuletur quod cum naturali aut divino iure aperte repugnet: omnia enim in quibus naturae lex vel Dei voluntas violatur, aeque nefas est imperare et facere. Neque est cur abiecisse obedientiam, qui ita se gerant, arguantur; etenim, si principum voluntas cum Dei pugnat voluntate et legibus, ipsi potestatis suae modum excedunt, iustitiamque pervertunt: neque eorum tunc valere potest auctoritas, quae, ubi iustitia non est, nulla est [2].

87. Sciant fideles omnes illud etiam publicae salutis interesse, ad rerum urbanarum administrationem conferre sapienter operam: in eaque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos

[1] Leo XIII. Encycl. *Quod Apostolici*, 28 Decemb. 1878.
[2] Leo XIII. Epist. *Perlectae a Nobis*, 28 Oct. 1880.
[3] Leo XIII. Encycl. *Diuturnum*, 20 Iun. 1881.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mores informandis ea ratione, qua aequum est christianis, publice consultum sit: quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum. Item catholicorum hominum operam ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum. Quamobrem perspicuum est, ad rempublicam adeundi causam esse iustam catholicis: non enim adeunt, neque adire debent ob eam causam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum; sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes sapientiam virtutemque catholicae religionis, tamquam saluberrimum succum ac sanguinem in omnes reipublicae venas inducere [1].

88. Ex hac autem Ecclesiae doctrina de societate civili id « omnino intelligi necesse est, ortum publicae potestatis a Deo ipso, non a multitudine repeti oportere: seditionum licentiam cum ratione pugnare: officia religionis nullo loco numerare, vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus: immoderatam sentiendi sensusque palam iactandi potestatem non esse in civium iuribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ulla ratione ponendam » [2].

CAPUT XI.

De Ecclesia et Statu.

89. Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem,

[1] Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.
[2] Ibid.

alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos quibus contineatur terminos, eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos. Alteri proxime maximeque propositum est rerum mortalium curare commoda, alteri coelestia ac sempiterna bona comparare. Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae: caetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo [1].

90. Inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Igitur voluit Christus, ut in iis rebus quae sint, diversa licet ratione, communis iuris et iudicii, altera, cui sunt humana tradita, opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt coelestia concredita. Huiusmodi autem compositione ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus iuvandi hominum genus in eo quod pertinet ad actionem vitae et ad spem salutis sempiternae [2].

91. Porro ex enunciatis principiis haud difficulter dignosci possunt errores, qui nostra aetate civitates ex fallaciis et machinationibus sectariorum perturbare

[1] Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.
[2] Leo XIII. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

solent. Igitur genuinam Ecclesiae doctrinam circa hanc materiam retinentes, caveant fideles et ex animo reiiciant praetensiones illorum, qui dicunt: Ecclesiasticam potestatem suam auctoritatem exercere non debere absque civilis gubernii venia et assensu; Episcopis, sine Gubernii venia, fas non esse vel ipsas Apostolicas litteras promulgare; gratias a Romano Pontifice concessas existimari debere tamquam irritas, nisi per Gubernium fuerint imploratae; civili potestati, vel ab infideli imperante exercitae, competere potestatem indirectam negativam in sacra; eidem proinde competere nedum ius quod vocant *exequatur*, sed etiam ius *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*; in conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalere [1].

92. Laica potestas non habet per se ius praesentandi Episcopos; obedire tenetur Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem [2]; et sine sacrilegio non potest ecclesiasticae potestatis exercitium impedire, aut onera super ecclesias et clericos inconsulta Sancta Sede imponere.

93. Similiter non audiendi sunt, dicentes: Civilem auctoritatem posse se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent; posse de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt; posse impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent [3].

94. Sanctissima Ecclesiae iura violant, qui contendunt Ecclesiam non solum non debere in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debere

1 Syllab. prop. 26. 28. 29. 41. 42.
2 Ibid. prop. 50. 51.
3 Ibid. prop. 44. 49.

ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat; item qui dicunt non pertinere unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam; totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, posse ac debere attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum; immo in ipsis clericorum seminariis methodum studiorum adhibendam civili auctoritati subiici [1].

95. A veritate etiam ac iustitia aberrant, qui affirmant Gubernium posse suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant; sive qui dicunt abrogandas esse leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent [2].

96. Denique omnino aberrant dicentes supremos civitatum moderatores ab Ecclesiae iurisdictione eximi; et Ecclesiam a Statu, Statumque ab Ecclesia seiungendum esse [3].

1 Syllab. prop. 11. 35. 45. 46.
2 Ibid. prop. 52. 53.
3 Ibid. prop. 54. 55.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

solent. Igitur genuinam Ecclesiae doctrinam circa hanc materiam retinentes, caveant fideles et ex animo reiiciant praetensiones illorum, qui dicunt: Ecclesiasticam potestatem suam auctoritatem exercere non debere absque civilis gubernii venia et assensu; Episcopis, sine Gubernii venia, fas non esse vel ipsas Apostolicas litteras promulgare; gratias a Romano Pontifice concessas existimari debere tamquam irritas, nisi per Gubernium fuerint imploratae; civili potestati, vel ab infideli imperante exercitae, competere potestatem indirectam negativam in sacra; eidem proinde competere nedum ius quod vocant *exequatur*, sed etiam ius *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*; in conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalere [1].

92. Laica potestas non habet per se ius praesentandi Episcopos; obedire tenetur Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem [2]; et sine sacrilegio non potest ecclesiasticae potestatis exercitium impedire, aut onera super ecclesias et clericos inconsulta Sancta Sede imponere.

93. Similiter non audiendi sunt, dicentes: Civilem auctoritatem posse se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent; posse de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt; posse impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent [3].

94. Sanctissima Ecclesiae iura violant, qui contendunt Ecclesiam non solum non debere in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debere

1 Syllab. prop. 26. 28. 29. 41. 42.
2 Ibid. prop. 50. 51.
3 Ibid. prop. 44. 49.

ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat; item qui dicunt non pertinere unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam; totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, posse ac debere attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum; immo in ipsis clericorum seminariis methodum studiorum adhibendam civili auctoritati subiici [1].

95. A veritate etiam ac iustitia aberrant, qui affirmant Gubernium posse suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant; sive qui dicunt abrogandas esse leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent [2].

96. Denique omnino aberrant dicentes supremos civitatum moderatores ab Ecclesiae iurisdictione eximi; et Ecclesiam a Statu, Statumque ab Ecclesia seiungendum esse [3].

1 Syllab. prop. 11. 35. 45. 46.
2 Ibid. prop. 52. 53.
3 Ibid. prop. 54. 55.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TITULUS II.

DE FIDEI IMPEDIMENTIS ET PERICULIS

CAPUT I.

De praecipuis aetatis nostrae erroribus.

97. Sicut veritas liberatrix ac tutrix est populorum; ita falsitas et error, omnis verae felicitatis, tum singulorum, tum communitatis, impedimentum: et, si in omnibus fere civitatibus, quae morum urbanitate gloriantur, tam multae sunt ac pessimae calamitates, id erroribus et fallaciis impiorum merito tribuendum est. Et, re quidem vera, neminem latet, hac nostra deploranda aetate, acerrimum contra catholicam rem universam bellum ab iis hominibus confiari, qui, nefaria inter se societate coniuncti, sanam non sustinentes doctrinam atque a veritate auditum avertentes, omnigena opinionum portenta e latebris eruere, eaque totis viribus exaggerare, atque in vulgus prodere et disseminare contendunt. Horrescimus quidem animo, et acerbissimo dolore conficimur, cum omnia errorum monstra, et varias multiplicesque nocendi artes, insidias, machinationes mente recogitamus, quibus hi veritatis et lucis osores, et peritissimi fraudis artifices, omne pietatis, iustitiae, honestatis studium in omnium animis extinguere, mores corrumpere, iura quaeque divina et humana perturbare, catholicam religionem civilemque

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

societatem convellere, labefactare, immo, si fieri unquam posset, funditus evertere commoliuntur [1].

98. Ad tot ergo tantaque omnis generis pericula devitanda, curent totis viribus fideles vel ab omni erroris specie, tamquam a perniciosissima peste, fugere. Et quoniam, iuxta effatum illud divi Bernardi [2], *nec unquam bonus nisi boni simulatione deceptus est*, fideles nullo pacto audiant, immo maiori spiritus fortitudine reiiciant fallacias illorum, qui, perperam invocato *urbanitatis, progressus, scientiae, humanitatis, beneficentiae* seu *philanthropiae* nomine, simulatisque rationibus caritatis et amicitiae, paulatim incautos trahunt ad laqueos perditionis. Magisque timeant captiosos sermones illorum, qui non recte de rebus religionis sentientes, in quibusdam publicis cultus catholici solemnitatibus, religiosi haberi volunt et videri.

99. Cum oecumenico Concilio Vaticano damnamus impietatem illorum, qui, sibimetipsis et aliis mentientes, *atheismum* profiteri decantant. Igitur, *si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit, anathema sit* [3].

100. Damnamus pariter *materialistarum* commenta, quae hominem ad merum organismum corporalem redigunt, animae spiritualitatem et omnem moralitatem penitus adimunt. Quapropter, *si quis praeter materiam nihil esse, affirmare non erubuerit, anathema sit* [4]. Similiter damnamus incredibilem aberrationem illorum, qui humanae dignitatis immemores, homines, spirituali anima et ratione praeditos, a belluis derivatos asserere non verentur.

1 Pius IX. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Nov. 1846.
2 Serm. 66. in Cant.
3 Const. *Dei Filius*.
4 Ibid.

101. Reiicimus etiam ac damnamus deliramenta *pantheistarum*, et cum Concilio Vaticano declaramus: *Si quis dixerit unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam;* aut *res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem, in genera, species et individua distinctam; anathema sit* [1]. Pariter *si quis non confiteatur mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam, a Deo ex nihilo esse productas; aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum; aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit* [2].

102. Damnamus et reiicimus errores *rationalistarum*, qui humanam rationem omnis veritatis speculativae et practicae unicum fontem proclamantes, ordinem supernaturalem excludunt, spretaque auctoritate Dei revelantis et Ecclesiae docentis, hominem solo rationis lumine duci oportere existimant. Igitur, cum Concilio Vaticano declaramus: *Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere: anathema sit* [3]. Et proinde damnamus errorem eorum, qui dicere non erubescunt: *Humanam rationem, nullo prorsus Dei respectu habito, unicum esse*

1 Const. *Dei Filius*.
2 Ibid.
3 Ibid.

004827

veri et falsi, boni et mali arbitrum, sibi ipsi esse legem, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficere [1]. Reiicimus etiam omnes errores illorum, qui dicunt: *Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt;* item qui dicunt: *Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philosophiae; philosophia neque potest neque debet ulli se submittere auctoritati; philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione* [2].

103. Tanquam *naturalismi* labe infectos, heic damnamus, sive eos qui in ordine speculativo humanam scientiam et iura rationis ita extollunt, ut vel ipsam revelationis notionem reiiciant, sive eos qui in ordine practico subtrahentes a societate omnem revelationem, omnemque Dei et Ecclesiae auctoritatem, separationem Ecclesiae a Statu et atheismum politicum, specie urbanitatis et progressus larvatum, proclamant. Damnamus pariter *positivismi* commenta, quibus absurde et impie contenditur non posse rerum naturam a mente humana attingi, sed tantum phaenomena, quae sub sensus cadunt; nullam argumentis quae vocant *a priori*, demonstrandi vim tribuendam esse, sed tantum factis observatione atque experimento probatis, ut in rebus physicis fieri solet; omnes metaphysicas doctrinas de Deo, de mundo et de anima veluti tot somnia habenda esse, quippe quae res spectant humanae investigationi impervias. Ab hoc autem pessimo errore, quo atheismus, materialismus et naturalismus quasi in unum collecti propugnantur, speciali cura arceantur incauti

[1] Syllab. prop. 3.
[2] Ibid. prop. 8. 9. 10. 14.

studiosi medicinae et rerum physicarum, quorum mens facilius occupari solet per innumeros fere libros et tractatus a viris catholicae fidei adversis, magno quidem ementitae eruditionis et scientiae apparatu, conscriptos, sed a solida et recta philosophia omnino alienos.

104. Ex naturalismo omnia liberalismi placita derivantur. Revera, quo spectant in philosophia *Naturalistae* seu *Rationalistae*, eodem in re morali ac civili spectant *Liberalismi* fautores, qui posita a *Naturalistis* principia in mores actionemque vitae deducunt. Liberalismi sectatores in actione vitae, nullam contendunt esse, cui parendum sit, divinam potestatem, sed sibi quemque esse legem: unde ea philosophia morum gignitur, quam *independentem* vocant, quae sub specie libertatis ab observantia divinorum praeceptorum voluntatem removens, infinitam licentiam solet homini dare [1].

105. Pessimum *Liberalismi* genus et maxima libertatis perversitas est imperium summi Dei funditus recusare atque omnem obedientiam prorsus exuere, in publicis vel etiam in privatis domesticisque rebus. Huic accedit eorum disciplina, qui utique consentiunt subesse Deo oportere, sed leges fidei et morum, quas natura non capiat, ipsa Dei auctoritate traditas, audacter repudiant, vel saltem nihil esse aiunt, cur earum habeatur, praesertim publice in civitate, ratio [2].

106. Huic tamquam generi subiecta est opinio duplex. Plures enim rempublicam volunt ab Ecclesia seiunctam et penitus et totam, ita ut in omni iure societatis humanae, in institutis, moribus, legibus, reipublicae muneribus, institutione iuventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino

[1] Leo XIII. Encycl. *Libertas*, 20 Iun. 1888.
[2] Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nulla; permissa ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, si libeat, dent religioni operam. Igitur hoc perabsurdum admittunt, ut Ecclesiam civis vereatur, civitas contemnat. Alii, quominus Ecclesia sit, non repugnant, neque enim possent: ei tamen naturam iuraque propria societatis perfectae eripiunt, nec eius esse, contendunt, facere leges, iudicare, ulcisci, sed cohortari dumtaxat, suadere, regere sua sponte ac voluntate subiectos. Et vim potestatemque civilis principatus usque eo exaggerant, ut, sicut unam quamvis e consociationibus civium voluntariis, Dei Ecclesiam imperio ac ditioni reipublicae subiiciant [1].

107. Multi denique rei sacrae a re civili distractionem non probant; sed tamen faciendum censent, ut Ecclesia obsequatur tempori, et flectat se atque accommodet ad ea, quae in administrandis imperiis hodierna prudentia desiderat. Quorum est honesta sententia, si de quadam intelligatur aequa ratione, quae consistere cum veritate iustitiaque possit; nimirum ut, explorata spe magni alicuius boni, indulgentem Ecclesia sese impertiat, idque temporibus largiatur, quod, salva officii sanctitate, potest. Eius vero rei iudicium non privatorum, sed ipsius Ecclesiae eiusque supremi Capitis plane est. Verum secus est, si de rebus ac doctrinis ea sententia intelligatur, quas demutatio morum ac fallax iudicium contra fas invexerint. Nullum tempus vacare religione, veritate, iustitia potest: quas res maximas et sanctissimas cum Deus in tutela Ecclesiae esse iusserit, nihil est tam alienum, quam velle, ut ipsa quod vel falsum est vel iniustum dissimulanter ferat, aut in iis quae sunt religioni noxia conniveat [2].

1 Leo XIII. Encycl. *Libertas*, 20 Iun. 1888.
2 Ibid.

108. Reiicimus et damnamus errores *indifferentismi*, seu eorum, qui dicunt: liberum esse cuique homini eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine ductus veram putaverit; homines, in cuiusvis religionis cultu, viam aeternae salutis reperire, aeternamque salutem assequi posse; aut saltem bene sperandum esse de aeterna illorum salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur [1].

109. Nemo ignorat, ait Concilium Vaticanum, haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paulatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coeperunt [2]. Qua ex re pronum fuit, ut sententiae diversae atque inter se pugnantes orirentur, etiam de iis rebus, quae sunt in humanis cognitionibus praecipuae [3]. Quapropter errant qui dicunt: *Protestantismum* non aliud esse quam diversam verae eiusdem christianae religionis formam, in qua aeque ac in Ecclesia Catholica Deo placere datum est [4].

110. Ex Protestantismo derivati sunt omnes errores politico-sociales, qui civitates perturbant. « Revera, ait SS. D. N. Leo XIII, illam quam *Reformationem* vocant, cuius adiutores et duces sacram civilemque potestatem novis doctrinis funditus oppugnaverunt, repentini tumul-

1 Syllab. prop. 15. 16. 17.
2 Const. *Dei Filius*.
3 Leo XIII. Encycl. *Aeterni Patris*, 4 Aug. 1879.
4 Syllab. prop. 18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tus et audacissimae rebelliones, praesertim in Germania, consecutae sunt; idque tanta cum domestici deflagratione belli et caede, ut nullus pene locus expers turbarum et cruoris videretur. Ex illa haeresi ortum duxit, saeculo superiore, falsi nominis philosophia et *ius*, quod appellant *novum*, et imperium populare, et modum nesciens licentia, quam plurimi solam libertatem putant. Ex his ad finitimas pestes ventum est, scilicet ad *Communismum*, ad *Socialismum*, ad *Nihilismum*, civilis hominum societatis teterrima portenta ac pene funera » [1]. Quod pari ratione de *Anarchismo* intelligendum est.

111. Una cum praenotatis aliis quosque errores reiicientes, eos etiam qui in Epistola Apostolica *Testem benevolentiae* notantur [2], declaramus non posse Ecclesiam libertatem eam probare, quae fastidium gignat sanctissimarum Dei legum, debitamque potestati legitimae obedientiam exuat. Est enim licentia verius quam libertas; rectissimeque ab Augustino *libertas perditionis*, a Petro Apostolo *velamen malitiae* (1. Petr. II. 16) appellatur: immo, cum sit praeter rationem, vera servitus est: *qui* enim *facit peccatum, servus est peccati* (Ioan. VIII. 34). Contra, illa germana est atque expetenda libertas, quae, si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus, teterrimis dominis, hominem servire non sinit; si publice, civibus sapienter praeest, facultatem augendorum commodorum large ministrat, remque publicam ab alieno arbitrio defendit. Iamvero quae res in civitate plurimum ad communem salutem prosunt: quae sunt contra licentiam principum populo male consulentium utiliter institutae: quae summam

[1] Leo XIII. Encycl. *Diuturnum*, 29 Iun. 1881.

[2] Leo XIII. Epist. Apost. *Testem benevolentiae* ad Card. Gibbons, 22 Ian. 1899 (de Americanismo). V. Appen. n. CXV.

rempublicam vetant in municipalem vel domesticam rem importunius invadere: quae valent ad decus, ad personam hominis, ad aequabilitatem iuris in singulis civibus conservandam, earum rerum omnium Ecclesiam catholicam vel inventricem, vel auspicem, vel custodem semper fuisse, superiorum aetatum monumenta testantur. Sibi igitur perpetuo consentiens, si ex altera parte libertatem respuit immodicam, quae et privatis et populis in licentiam vel in servitutem cedit, ex altera, volens et libens, amplectitur res meliores quas dies afferat, si vere prosperitatem contineant huius vitae, quae quoddam est veluti stadium ad alteram, eamque perpetuo mansuram. Ergo, quod inquiunt, Ecclesiam recentiori civitatum invidere disciplinae, et quaecumque horum temporum ingenium peperit, omnia promiscue repudiare, inanis est et ieiuna calumnia [1].

CAPUT II.

De pravis libris et ephemeridibus.

112. Pravorum librorum et ephemeridum lectionem et retentionem iure naturali prohibitam declaramus, propter perversionis periculum quod talia scripta legentibus imminet. Eos vero libros quos Ecclesia proscripsit nec legere nec retinere fas est, etiamsi quis putet nullum sibi ex eorum lectione imminere periculum.

113. Inter diversa vero insidiarum genera, quibus vaferrimi Ecclesiae humanaeque societatis inimici populos seducere et corrumpere adnituntur, illud certe ex praecipuis est, quod nefariis consiliis suis iamdiu paratum in artis librariae pravo usu invenerunt. Itaque

[1] Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in eo toti sunt, ut impios pravosque libellos et ephemerides ac pagellas, mendacii, calumniarum et seductionis plenas, edere in vulgus et quotidie multiplicare non intermittant.

114. Sollicita ac provida Ecclesiae vigilantia in eam semper curam incubuit, ut christifideles ab eorum librorum lectione averteret, ex quibus incauti praesertim ac simplices detrimenti quidpiam capere possent, imbuique opinionibus ac doctrinis, quae vel morum integritati, vel catholicae religionis dogmatibus adversantur [1].

115. Sciant itaque fideles, excommunicationi latae sententiae, speciali modo Romano Pontifici reservatae, subiacere omnes et singulos scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum, haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes [2]: quae censura eos quoque afficit, qui scienter legunt publicationes periodicas, in fasciculos ligatas, habentes auctorem haereticum et haeresim propugnantes [3].

116. Quum constet sacratissimos Bibliorum libros vulgari sermone, nonnullis in locis, typis edi, quin saluberrimae de ea re leges serventur; et inde pertimescendum sit, ne, quae hominum nequam hisce praesertim temporibus conspiratio est, errores, sanctiori divini eloquii apparatu obvoluti, perperam insinuentur; censemus revocandum esse in omnium memoriam, vernaculas Bibliorum versiones non esse permittendas, nisi quae fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut

1 Bened. XIV. Const. *Sollicita*, 9 Iul. 1753.
2 Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis*.
3 Dec. S. Officii 13 Ian. 1892 (Coll. P. F. n. 1892).

editae sub vigilantia Episcoporum, cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus. Ideoque interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur. Qui vero, sine Ordinarii approbatione, libros Sacrarum Scripturarum, nec non earumdem adnotationes vel commentarios, imprimunt vel imprimi faciunt, excommunicationi nemini reservatae subiacent [1].

117. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat; si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur [2].

118. Libros aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet; secus prohibiti habeantur.

119. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

120. Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de

1 S. C. Indicis 7 Ian. 1836, insert. post regul. Indicis; Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis*; Decr. S. Officii 22 Dec. 1880 (Coll. P. F. n. 1891); Leo XIII. Const. *Officiorum*, 25 Ian. 1897. V. Appen. n. XCIV.
2 Leo XIII. Const. *Officiorum*, 25 Ian. 1897.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet [1].

121. Prodeunt aliquando libri, in quibus falsa et reprobata dogmata aut systemata religioni vel moribus exitiosa, tamquam aliorum inventa et cogitata, exponuntur et referuntur, absque eo quod auctor, qui opus suum pravis huiusmodi mercibus onerare sategit, ea refutandi curam in se recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensioni aut censurae obnoxios esse, propterea quod de alienis, ut aiunt, opinionibus nihil ipsi affirmant, sed eas historice referunt. At quidquid sit de eorum animo et consilio, dubitari certe non potest, magnam ab eiusmodi libris in christianam rempublicam labem ac perniciem inferri; quum incautis lectoribus venena propinent, nullo exhibito vel parato, quo praeserventur, antidoto [2].

122. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum, haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

123. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

124. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae

[1] Leo XIII. Const. *Officiorum*, 25 Ian. 1897.
[2] Bened. XIV. Const. *Sollicita*, 9 Iul. 1753.

eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

125. Nefas esto libros edere, legere aut retinere, in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur vel commendantur.

126. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

127. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

128. Igitur regulae et leges circa editionem, correctionem et prohibitionem pravorum librorum omnino serventur; et omnes sacerdotes, parochi praesertim et confessarii, prae oculis habere curent decreta Sanctae Sedis, saltem recentiora, quibus prohibentur libri. Ad Ordinarios autem spectabit iudicare, an opportunum sit in Directorio vel Kalendario dioecesano cuiuslibet anni elenchum librorum per annum prohibitorum accurate describere.

129. Quia prorsus impossibile est libros omnes noxios incessanter prodeuntes in *Indicem* referre; Ordi-

narii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae profundius examen exigunt, vel in quibus, ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur [1]. Libri autem ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, etsi in aliud quodcumque vertantur idioma [2].

130. Ut autem animarum pastores, in casibus praesertim dubiis, facillime intelligant quosnam libros seu scripta e manibus fidelium evellere debeant, quamvis nominatim non fuerint prohibita, infectos reputent non solum libros et scripta omnia, quae expressis verbis haereses vel errores ac impietates vel obscenitates continent, sed etiam illa quae admittunt, defendunt vel propagant ea quae fidei vel moribus vel christianae pietati quomodolibet contradicunt. Ideoque generatim vitandos iudicent libros omnes ac scripta, etiamsi agatur de meris pagellis et parvis ephemeridibus, in quibus Ecclesiae hostes et christianae libertatis osores epithetis honorificis celebrantur; item scripta quae superstitionem et paganismum sapiunt; quae famae proximorum, praesertim ecclesiasticorum et principum, detrahunt, bonisque moribus et christianae disciplinae sunt contraria; quae sunt contra libertatem, immunitatem et iurisdictionem ecclesiasticam; quae exempla continent ac sententias, narrationes vel fictiones, quae ecclesiasticos ritus, religiosorum ordines, statum, dignitatem ac personas laedunt et violant; ac praesertim quae *Volterianismum*, uti vocant, propagant, seu despectum,

[1] S. C. Indicis 24 Aug. 1864 (Coll. n. 1889).
[2] Leo XIII. Const. *Officiorum*, 25 Ian. 1897.

irrisionem aut saltem indifferentismum, circa ea quae religionem et integritatem morum respiciunt [1].

131. Igitur confessarii et concionatores sedulo prae oculis habeant regulas a theologis traditas circa eos qui libros, diaria aliaque scripta damnata vel damnanda legunt aut retinent, easque in praxi applicare studeant. Argumenta et exempla illis non deerunt, quibus facile monstrabunt, omnes etiam optimae indolis homines, qui temere pravis lectionibus sese dederunt, infici lue exitiali, quae lumen fidei in mentibus extinguit et morum castitatem corrumpit [2].

132. Cum autem inter omnia prava scripta, periculosiora sint quae vigorem christianae virtutis enervant et impediunt, sub speciosa et curiosa forma ementitae eruditionis et fictarum narrationum (hispanice *Novelas*, lusitanice *Romances*, gallice *Romans*), vel quae in ludis scenicis recitantur, cum iniuria privatae et publicae moralitatis; omnes animarum rectores, concionatores ac confessarii, totis viribus curent, ut fideles omnino abstineant ab improba huiusmodi infectione. Pestifera autem pravarum ephemeridum diffusio totis viribus devitari debet, quia quotidiana experientia constat fidei vigorem ac christianos mores facillime labefactari in iis qui ab eorum lectione non abstinent. Illicita igitur prorsus est quaelibet cooperatio in huiusmodi ephemeridibus conscribendis, et per subnotationem seu *associationes*, ut vocant, vel aliter, propria pecunia sustinendis: neque facile admittenda est ratio passim adducta necessitatis, videlicet negotia publica diverso e fonte sciendi, et praesumptuosa affirmatio carentiae periculi, deductae ex firmitate principiorum catholico-

[1] Cfr. Instr. Clem. VIII *Ad fidei catholicae*, Regulis Indicis adiectam.
[2] Conc. Plen. Balt. III. an. 1884, art. 224.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum in lectore. Qui enim amat periculum, in illo peribit. Qua in re, Confessarii prae oculis habeant doctrinas a probatis auctoribus traditas. Et omnes, Ordinarii praesertim, animarum rectores, concionatores et confessarii, pariter prae oculis habeant decreta de censura et prohibitione librorum, edita in Constitutione SS. D. N. Leonis XIII *Officiorum*, VIII Kal. Februarii 1897 [1]. Transgressores vero illorum decretorum, pro diversa reatus gravitate, serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

133. Non sufficit scripta prava reiicere, sed necesse prorsus est scripta scriptis concursu non impari opponere. Quapropter, apte et salutariter fiet, si suae propriaeque ephemerides, veluti pro aris focisque propugnantes, unicuique sint regioni, eo modo institutae, ut nulla in re a iudicio Episcoporum abscedant, sed recte studioseque cum eorum conveniant prudentia et voluntate [2]. Ut autem fideles sciant, quales sint huiusmodi ephemerides, quae utiliter legi possunt, Episcoporum erit, pro rei opportunitate, prudentes edere normas.

CAPUT III.

De scholis acatholicis et neutris.

134. Novellam aetatem materno Ecclesia semper fovit amplexu, eius praesidio labores plurimos amantissime impendit et plurima adiumenta paravit, quibus adolescentiam erudiret in artibus et doctrinis, ac praecipue ad sapientiam aleret virtutemque christianam. Ecclesiae igitur pluribus in regionibus iusta nunc est ingemendi causa, quum videat in primis aetatulis filios suos a se divelli, atque in eos compelli litterarios ludos,

[1] V. Appen. n. XCIV.
[2] Leo XIII. Epist. *Iu ipso supremi pontificatus*, 3 Martii 1891.

ubi vel siletur omnino notitia Dei, vel mancum aliquid delibatur de ea perverseque miscetur; ubi colluvioni errorum nulla repagula, nulla fides documentis divinis, nullus veritati locus, ut se ipsa defendat [1].

135. Igitur, omnino parentes bonos curare oportet, ut sui cuiusque liberi, cum primum sapere didicerunt, praecepta religionis percipiant, et ne quid occurrat in scholis quod fidei morumve integritatem offendat. Ut haec in instituenda sobole diligentia adhibeatur, divina est naturalique lege constitutum; neque parentes per ullam causam solvi ea lege possunt. Ecclesia vero, integritatis fidei custos et vindex, quae, delata sibi a Deo conditore suo auctoritate, debet ad sapientiam christianam universas vocare gentes, itemque sedulo videre, quibus excolatur praeceptis institutisque iuventus quae in ipsius potestate sit, semper scholas quas appellant *mixtas* vel *neutras*, aperte damnavit [2].

136. Quapropter in locis in quibus, per machinationes et fallacias acatholicorum aliorumque Ecclesiae adversariorum, adamantur atque expetuntur passim scholae, quas appellant *neutras*, *mixtas*, *laicales*, eo nimirum consilio, ut alumni in summa sanctissimarum rerum ignoratione nullaque religionis cura adolescant [3], omni opere curandum est, ut omnibus patribusfamilias persuadeatur, se nihil peius de prole sua, de patria, de re catholica universa mereri posse, quam si natos suos in extremam hanc aleam immittant [4].

137. Damnamus igitur ac reiicimus educationem quam mere civicam vocant, a massonica secta in perni-

[1] Leo XIII. Epist. *Officio sanctissimo*, 22 Dec. 1887.
[2] Leo XIII. Encycl. *Nobilissima Gallorum gens*, 8 Febr. 1884.
[3] Leo XIII. Encycl. *Quod multum*, 22 Aug. 1886.
[4] Instr. S. Officii 26 Martii 1866. V. Appen. n. XXVIII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ciem animarum propagatam, de qua SS. D. N. Leo XIII sapientissime monet: « Disciplina morum, quae Massonum familiae probatur unice, et qua informari adolescentem aetatem contendunt oportere, ea est quam et *civicam* nominant, et *solutam* ac *liberam;* scilicet, in qua opinio nulla sit religionis inclusa. At vero, quam inops illa sit, quam firmitatis expers, et ad omnem auram cupiditatum mobilis, satis ostenditur ex iis, qui partim iam apparent, poenitendis fructibus, Ubi enim regnare illa liberius coepit, demota loco institutione christiana, ibi celeriter deperire probi integrique mores, opinionum tetra portenta convalescere, plenoque gradu audacia ascendere maleficiorum. Quod quidem vulgo conqueruntur et deplorant: idemque non pauci ex iis, qui minime vellent, perspicua veritate compulsi, haud raro testantur » [1].

138. Parentes strenue vindicare curent ius institutionis filiorum vere christianae. Eis necessarium est eniti et contendere, ut omnem in hoc genere propulsent iniuriam, omninoque pervincant, ut sua in potestate sit educere liberos, uti par est, more christiano, maximeque prohibere scholis iis, a quibus periculum est, ne malum venenum imbibant impietatis [2].

139. Haec autem sollicita cura, non solum primarias scholas respicere debet, sed et medias ac superiores. Etenim adolescentes grandiores natu periculum adeunt etiam maius, scilicet a vitio doctrinae: quae saepe est eiusmodi, ut non ad imbuendam cognitione veri, sed potius ad infatuandam valeat fallacia sententiarum iuventutem. Corrupto opinionibus animo, simul insidet tamquam in venis medullisque corruptela morum [3].

1 Encycl. *Humanum genus*, 20 April. 1884.
2 Leo XIII. Encycl. *Sapientiae christianae*, 10 Ian. 1890.
3 Leo XIII. Encycl. *Exeunte iam anno*, 25 Dec. 1888.

140. Audiant ergo omnes, qui in Ecclesia Dei animarum curam susceperunt, monita Pii IX ad omnes Episcopos: « Quoniam.... etiam ex laicorum ordine adolescentes ad pastoralem vestram sollicitudinem pertinere non est dubium, excubate insuper, venerabiles fratres, aliis omnibus publicis privatisque scholis, et quantum in vobis est et omni ope atque industria adnitimini, ut tota in illis studiorum ratio ad catholicae doctrinae normam exigatur.... Eo autem in genere, praecipuam vobis, planeque liberam auctoritatem et curam vindicabitis super professoribus sacrarum disciplinarum, et in reliquis omnibus quae Religionis sunt, aut Religionem proxime attingunt. Advigilate, ut in tota quidem scholarum ratione, sed in iis maxime quae religionis sunt, libri adhibeantur ab erroris cuiuscumque suspicione immunes » [1].

141. Et cum SS. D. N. Leone XIII omnibus fidelibus dicimus: « Cum de fingenda probe adolescentia agitur, nulla opera potest nec labor suscipi tantus, quin etiam sint suscipienda maiora. In quo sane digni omnium admiratione sunt catholici, ex variis gentibus complures, qui suas erudiendis pueris scholas, magno sumptu, maiore constantia paravere. Aemulari salutare exemplum, ubicumque postulare videantur tempora, decet » [2].

CAPUT IV.

De conversatione cum acatholicis.

142. Pia mater Ecclesia etiam pro haereticis, schismaticis et infidelibus preces fundi imperat, ut omnes eumdem Deum et Dominum Iesum Christum agnoscant

1 Encycl. *Nostis et Nobiscum*, 8 Dec. 1849.
2 Encycl. *Sapientiae christianae*, 10 Ian. 1890.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et colant, et in sinum matris aut ingrediantur aut revertantur; quum extra Ecclesiam nemo salutem aeternam consequi possit [1]. Quamquam, Deo adiuvante, hisce in nostris ecclesiasticis Provinciis, absurda acatholicorum dogmata certo et stabili modo figi non potuerint; disseminantur tamen doctrinae quae pedetentim religiosam populorum conscientiam corrumpunt, morumque contaminant honestatem. Ad errores autem iam diffusos expellendos, atque ad impediendum quominus ulterius divulgentur, Sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerentes [2], instituimus decernimus in unaquaque dioecesi probatorum utriusque cleri consilium, cuius sit pervigilare, si qui forte novi errores serpant et quibus artibus disseminentur, atque Episcopum de hisce docere, ut, collatis consiliis, remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio extingui possit, ne ad animarum perniciem magis magisque diffundatur.

143. Invigilent parochi, ne qui viri in suis paroeciis exsurgant, qui, in cathedra pestilentiae sedentes, loquantur perversa contra catholicam fidem, *ut abducant discipulos post se* (Acta xx. 30), et si quem ex his seductoribus deprehenderint, deferant quamprimum ad suum Episcopum, ut huic tanto scandalo totis viribus occurrat [3].

144. Si parochus noverit aliquem e suis parochianis moliri animo, ut catholicam religionem deserat, sapienter simul et peramanter de errore suo et de apostasiae scelere eum edoceat; admoneat praecipue propinquos et amicos, qui in Dei timore vitam ducunt; inquirat huius pravae defectionis causas easque amovere studeat.

[1] Conc. Prov. Venet. an. 1859, p. 1. cap. 6.
[2] Consess. Episc. Umbriae an. 1849, tit. 2.
[3] Conc. Prov. Ravennat. an. 1855, p. 1. cap. 4.

145. Quamvis certum sit disputationes publicas catholicorum cum haereticis aliquando esse licitas, cum scilicet spes habeatur maioris boni, et concurrant aliae conditiones quae a theologis recensentur; tamen sciendum est Sanctam Sedem Apostolicam et Romanos Pontifices, ad omnem imprudentiam et temeritatem in re tanti momenti impediendam, illas frequenter prohibuisse; plerumque enim, ob loquacitatem vel audaciam aut circumstantias populi acclamantis, veritas, falsitate praevalente, opprimitur [1]. Igitur nullus e clero praesumat huiusmodi publicas disputationes instituere, inconsulto Episcopo, qui iuxta normas a Sancta Sede praescriptas procedet [2].

146. Sciant fideles nostri nullo pacto ipsis licere una cum haereticis actus religiosos, quibus fidei participatio seu communio in sacris habetur, elicere; atque omnino vetari concionibus, quae in eorum coetibus haberi solent, interesse, aut eorum cultui quasi simul cum illis agendo assistere. Qui hoc faciunt, haereticis credentes, sicut et eorum receptores, fautores, et generatim quilibet eorum defensores, excommunicationi latae sententiae subiiciuntur, Romano Pontifici specialiter reservatae [3].

147. Excepto casu urgentis necessitatis, impediat parochus, ne obstetrices acatholicae catholicis feminis parientibus inserviant. Sedulo invigilet, ne privati praeceptores, absque Episcopi permissione, catholicos simul cum acatholicis pueris ad eamdem scholam, multoque

[1] Cfr. decr. S. C. de Prop. Fide 8 Martii 1625; 18 Dec. 1662, etc. (Coll. P. F. n. 294, 302, 1674); et Epist. Leonis XIII. *Testem benevolentiae* ad Card. Gibbons, 22 Ian. 1899.
[2] Cfr. decret. citat.
[3] Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis;* Conc. Prov. Vallisolet. 1887, p. 1. tit. 6. § 2. n. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

minus ad eumdem convictum admittant [1]. Curam maxime gerant patresfamilias, ne suos patiantur famulari apud talem herum, qui fidem vel mores adoritur, aut religionis cultum, vel etiam praeceptorum Ecclesiae observantiam impedit [2]. Si quando habeatur legitima causa praestandi famulatum heris haereticis vel a religione alienis, tunc expresse cautum sit oportet iuri plenaeque libertati religionem catholicam exercendi et omnia peragendi quae ab Ecclesia praecipiuntur; secus omnino dimittatur servitium, quod sine animae periculo praestari non potest [3].

148. Fugiant fideles a conversatione cum acatholicis et aliis, qui irridere solent fidem catholicam, eius ritus et sacramenta, cultum Sanctorum, suffragia pro defunctis, aliosque Ecclesiae usus [4]. Et memores sint moniti Apostoli: *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula, praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis...; per dulces* enim *sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium* [5]. Et prae oculis habeant exemplum S. Antonii Abbatis, qui, teste S. Athanasio, « nunquam schismaticorum se miscuit communioni, antiquam eorum sciens pravitatem atque transgressionem. Nunquam Manichaeis aut aliis haereticis saltem amicabilia verba largitus est, nisi tantum ea, quae eos possent ab iniquitatis errore revocare; denuntians, talium amicitias atque sermones, perditionem esse animae » [6].

149. Dum autem Ecclesia fideles avertit a periculosa conversatione et familiaritate cum acatholicis, materna tamen caritate errantium animas ad viam curat salutis reducere, omniaque caritatis officia ipsis impendere solet. Igitur omni cura providendum est, ut qui in haeresi vel in apostasia degunt, alliciantur ad veram fidem; eaque removeantur, quae pio catholicae fidei amplectendae desiderio impedimento esse possunt. Quapropter errantes, qui in sinum Ecclesiae redire volunt, sciant etiam, Ecclesiam, tamquam piissimam matrem, paratam esse indulgenter cum ipsis agere, eosque amantissime recipere.

[1] Conc. Prov. Venet. an. 1859, p. 1. cap. 6.
[2] Conc. Prov. Vallisolet. 1887, p. 1. tit. 6. § 2. n. 9.
[3] Cfr. Conc. Prov. Smyrnen. an. 1869, sect. 4. cap. 2.
[4] Cfr. Conc. Prov. Antequeren. an. 1893, p. 1, sect. 1. tit. 7.
[5] Rom. XVI. 17. 18.
[6] S. Athan. in vita S. Anton. n. 90 ap. Bolland.

CAPUT V.

De ignorantia in rebus fidei et morum.

150. Omnes fideles tenentur fidei rudimenta accurate addiscere et mente retinere. Non est sufficiens, ad coelestem beatitudinem assequendam, confusim et involute credere a Deo revelata et ab Ecclesia catholica proposita mysteria; sed haec coelestis doctrina divinitus revelata, et quae ex auditu addiscitur, Doctoris legitimi ac fidelis ministerio ita est tradenda, ut singillatim illius capita explicentur, et eorum aliqua necessitate *medii*, aliqua vero necessitate *praecepti*, fidelibus ad credendum proponantur; praeterea, licet per fidem iustificari dicamur, cum ea sit humanae salutis initium et fundamentum, ad futuram tamen quam inquirimus civitatem ut pervenire aliquando mereamur, sola fides non sufficit; sed necesse est viam nosse constanterque tenere, nempe praecepta Dei et Ecclesiae servare [1].

151. Qui autem fidei rudimenta ignorat, quae ex

[1] Bened. XIV. Const. *Etsi minime*, 7 Febr. 1742.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gravi praecepto scire tenetur, quamdiu illa non addiscit, cum potest, versatur in statu mortalis peccati: Nihil profecto lugendum magis quam tot christianos supina religionis ignorantia torpentes videre [1]. Et perspectum persuasumque habemus ex hac ignorantia populorum, quasi ex fonte impurissimo, plurimas promanare calamitates publicas [2].

152. Huiusmodi vero ignorantia, mater cunctorum errorum [3], permultos omnis aetatis fideles in viam ducit perditionis. Compertum enim est passim, non solum adolescentes et illos, qui confirmata sunt iam aetate, in divinarum rerum ignoratione versari, sed etiam viros, ipsosque senes salutaris doctrinae esse omnino expertes; vel quia nunquam illam perceperunt, vel quia iamdiu perceptam paulatim delevit oblivio: huic etiam malo provida Episcoporum occurret vigilantia, si operis sui vicarios cogent, quae parata sunt, remedia sedulo adhibere [4].

153. « Infantes et pueri bonis moribus et exercitiis educati, ait Sanctus Pius V, quasi semper vitam pudicam, honestam et exemplarem ac aliquando sanctam agunt; e converso autem, qui parentum carentia seu paupertate aut incuria vel ignavia non sic educati, persaepe ducuntur in exitium et, quod peius est, secum ducunt plures in interitum, unde, si diligenter educati et in doctrina christiana instructi fuerint, a vitiis et multis aliis erroribus retraherentur » [5].

154. Igitur omnino laudandi clerici, qui tam salutari officio incumbunt, et de Ecclesia bene merentur pii

[1] Conc. Prov. Albien. an. 1850, tit. 4. decr. 1.
[2] Conc. Prov. Avenionen. an. 1849, tit. 1. cap. 7.
[3] Cap. *Ignorantia*, 1. dist. 38.
[4] Bened. XIV. Const. *Etsi minime*, 7 Febr. 1742.
[5] S. Pius V. Const. *Ex debito pastoralis officii*, 6 Oct. 1571.

riteque instructi laici, qui, sub directione et cum approbatione proprii pastoris, sacerdotum coadiutores fiunt in re tanti momenti. Hi enim imitantur illos fideles de quibus idem S. Pius V scripsit: « Nonnulli approbatae vitae christifideles, caritate, omnium suprema virtute, circa hoc tam pium, tamque reipublicae saluberrimum opus accersiti, in singulis festivitatibus et dominicis diebus, in diversis ecclesiis et locis, hoc opus sanctissimum amplexi sunt, et ibi eosdem infantes et pueros ac alias miserabiles personas, christianae veritatis ignaras, congregari faciunt, et eos bonis moribus et sana doctrina instruunt ac diligenter in via mandatorum Domini dirigunt, ex quo salutiferi fructus hactenus provenerunt et in dies magis, auxiliante Domino, speramus » [1].

155. Ne levis sit ac periculosa institutio fidelium in rebus fidei et morum, caveant omnes animarum rectores eorumque in catechizando coadiutores, ne vento peregrinae ac novae doctrinae, veluti nubes sine aqua, circumferantur, et sedulo devitent *profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* [2]. Et Episcopi nullo pacto permittant, ut antiquae et probatae formulae rudimentorum fidei vel in minimis verbulis mutentur, praetextu elegantioris aut castigatioris dictionis: hoc enim non sine gravissimis incommodis neque sine pusillorum scandalo fieret. Nec faciles sint in permittendis vel approbandis novis Catechismis: mutationes enim in usibus populi fidelis, hac in re, vix aliquid boni, saepissime plurimum detrimenti afferre possunt.

[1] S. Pius V. Const. *Ex debito pastoralis officii*, 6 Oct. 1571.
[2] 1. Tim. VI. 20. 21.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

156. Ne autem defectu librorum, in locis praesertim ruralibus, instructio christiana fidelium deficiens sit vel minus apta, et ut errorum periculum facilius devitetur, curandum est pro viribus, ut in singulis paroeciis habeantur nonnulla Catechismi Romani seu Concilii Tridentini, vulgari sermone translati, exempla, ut sint veluti aurifodina omnium parochorum et catechistarum. Hic enim aureus liber, promovente S. Carolo Borromaeo, ex decreto eiusdem Concilii, a doctissimis viris conscriptus, et S. Pii V iussu editus, ab aliis Summis Pontificibus ac nominatim a Clemente XIII cunctis animarum pastoribus denuo commendatus fuit, tamquam *ad pravarum opinionum fraudes removendas, et veram sanamque doctrinam propagandam stabiliendamque opportunissimum subsidium* [1].

157. Levitas vero ac novitas in rebus religionis pertractandis speciatim devitanda est, quando agitur de cultu divino; ideoque Episcopi curent, ut omnino servetur gravissimum monitum Supremae Congregationis S. Officii, diei 13 Ianuarii 1875, innovatum in aliis decretis eiusdem S. Congregationis, videlicet: *Monendos esse alios etiam scriptores, qui ingenia sua acuunt super iis aliisque id generis argumentis quae novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos, etiam per ephemerides, promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum quod subest pertrahendi fideles in errorem, etiam circa fidei dogmata, et ansam praebendi Religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinae Catholicae ac verae pietati* [2].

1 Const. *In Dominico agro*, 14 Iun. 1761.
2 Coll. Miss. n. 1892, 1894, 1897, 1898.

CAPUT VI.

De superstitionibus.

158. Ad evitanda et dignoscenda superstitionis pericula, omnes sacerdotes prae oculis habeant tutissimam normam Angelici Doctoris, dicentis: « Finis divini cultus est, ut homo Deo det gloriam, et ei se subiiciat mente et corpore. Et ideo quidquid homo faciat, quod pertinet ad Dei gloriam, et ad hoc quod mens hominis Deo subiiciatur, et etiam corpus per moderatam refrenationem concupiscentiarum, secundum Dei et Ecclesiae ordinationem, et consuetudinem eorum quibus homo convivit, non est superfluum in divino cultu. Si autem aliquid sit, quod, quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentiae inordinatae refrenentur; aut etiam si sit praeter Dei et Ecclesiae institutionem, vel contra consuetudinem communem (quae secundum Augustinum pro lege habenda est), totum hoc reputandum est superfluum, et superstitiosum, quia in exterioribus solum consistens, ad interiorem Dei cultum non pertinet » [1].

159. Efficax contra superstitiones remedium est cognitio ac professio fidei catholicae, quae et ignorantiam dissolvit ac pietatem generat. Experientia enim constat eo magis homines superstitiosos et veneficos fieri, quo magis a fide catholica et Ecclesiae obedientia ac subiectione deficiunt: revelata dogmata, quorum fides mentem illustrat ac nobilitat, reiiciunt, et iusto Dei iudicio insana quaeque ac inepta admittunt. Sic

1 S. Th. 2. 2. q. 93. a. 2.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ESCUELA DE TEOLOGÍA BIBLIOTECA CENTRAL DE TEOLOGÍA

plurimi videntur impii et rationalistae, qui dum Ecclesiae doctrinae non adhaerent, fidem mortuorum spectris facile adiungunt, somniorum quaerunt interpretationem, numerorum *cabala* futura pertentant, et alia huiusmodi.

160. Inter omnes superstitiones, quae fideles a recta catholicae veritatis et morum integritatis semita removent, a patre mendacii adinventas, periculosiores nostris temporibus existunt, quae ex illicito et damnato usu *Mesmerismi* seu *Magnetismi* sive *Hypnotismi* [1] derivantur. Ex decreto S. Officii 28 Iulii 1847, « remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis ».

161. Sed quoniam experientia constat, in praxi, vix aut ne vix quidem, in hisce rebus abesse illicitam illam et haereticalem deceptionem, quam Sancta Sedes citato decreto damnavit, curent totis viribus animarum rectores, fideles sibi commissos ab omnibus huiusmodi fidei periculis avertere. Speciatim impediant quamlibet cum *somnambulismo* cooperationem, nec ullo pacto tolerent, ut etiam curiositatis causa spectaculis somnambulistarum et similium impietatum adsistant.

162. « Adeo *enim* crevit hominum malitia, ut, neglecto licito studio scientiae, potius curiosa sectantes, magna cum animarum iactura ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi divinandive principium quoddam se nactos glorientur. Hinc *somnambulismi* et *clarae intuitionis*, uti vocant, prestigiis mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa Religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturae. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita, et scandalum contra honestatem morum. Igitur ad tantum nefas et religioni et civili societati infestissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia et zelus Episcoporum omnium » [2].

[1] V. Appen. n. CXXIII.

163. Inter omnia deliramenta superstitionum, quae, invocatis progressu et civilitate aetatis nostrae, scientifico apparatu, ut incautis fucum faciant, exhibentur, magis perniciosa illa est quae *spiritismi* nomen usurpavit. Sicut enim *naturalismus* et *rationalismus* omnes aetatis nostrae errores quasi in compendio continent, ita *spiritismus* omnes modernae incredulitatis superstitiones et fallacias collegit in unum: qui, licet specie naturalismo oppositus, re tamen vera, eamdem radicem habet, eosdemque producit teterrimos effectus. *Spiritismus* enim stultarum est versuta compages doctrinarum, sannis et risu a multis exceptarum, superstitionum cumulus, multa abhinc saecula sub aliis formis variisque nominibus cognitus et debitis mulctatus poenis,

[2] Epist. Encycl. S. Officii, 4 Aug. 1856 (Coll. P. F. n. 1743; 1754). V. Appen. n. XIX.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

atque in praesentiarum cordatis mentione haud dignus, si inter ignaros suis praestigiis stragem non faceret [1].

164. Cum autem spiritismi sectatores, qui per innumeras prope fictiones et mendaces exhibitiones incautos decipiunt, passim diabolicas admittant et promoveant operationes, haeresesque plurimas, praesertim contra aeternitatem poenarum inferni, sacerdotium catholicum et iura Ecclesiae, spargere non timeant, non possunt ipsi, neque in interno foro neque in externo, tractari veluti ordinarii peccatores tantum, sed haberi debent ac iudicari veluti haeretici vel haereticorum fautores ac defensores, nec poterunt ad sacramenta admitti, nisi reparato scandalo et facta abiuratione *spiritismi* emissaque fidei professione, iuxta normas a theologis praescriptas.

165. Hortamur parochos, ut indefesso zelo laborent, in mundando agro ipsis concredito a variis aliis superstitionibus, quae velut prava germina ex ignorantia erumpentes, ac inter rudiores praesertim gliscentes, fidem saepe moresque corrumpunt. Nec parochi omittant superstitiones a se detectas Episcopo denuntiare, ut ipse provideat ac iudicet.

CAPUT VII.

De secta Massonica aliisque sodalitatibus illicitis.

166. Clandestinas sectas, ubi primum in perniciem religionis, reipublicae ac societatis eruperunt, Apostolica Romanorum Pontificum sollicitudo improbare, condemnare, atque gravissimis poenis coercere non omisit.

[1] Cfr. Conc. Prov. Valent. an. 1889, p. 1. tit. 2. cap. 1.

In quo mirabilis quidem fuit SS. D. N. Leonis XIII zelus ac sapientia, qui per Encyclicas Litteras *Humanum genus*, datas die 20 April. 1884 [1], massonicam sectam aliasque ex ea prognatas solemniter proscripsit. Quibus Litteris earumdem sectarum doctrinas, finem, consilia detegit, curas Romanorum Pontificum ad liberandam a tam nefaria peste humanam familiam enarrat, easdem sectas iterum et ipse damnationis et censurae nota inurit, simulque docet, qua ratione, quibusque remediis, illatis ab iisdem vulneribus sit medendum.

167. Cum autem Romanorum Pontificum declarationes contra societates secretas, in laudatis litteris Encyclicis *Humanum genus*, sermone gravi aeque ac diserto, collectae ac renovatae [2] inveniantur, illas ex integro in Appendice [3] inseri iussimus, ut animarum pastoribus norma sint tutissima, ad fideles sibi commissos opportune commonendos. Mandamus etiam, ut Instructiones et decreta Sanctae Sedis [4] hac in re accurate serventur et fortiter applicentur, ut morbus iste pestifer e societate religiosa simul ac civili tandem expellatur.

168. Et quoniam plurimis in regionibus nostris impiorum machinationes et fallaciae eo tendunt, ut saluberrima contra pestem societatum clandestinarum decreta et mandata Apostolica inania faciant, sub ementito praetextu, a Pio IX et Leone XIII pluries damnato, scilicet non eamdem esse naturam sectae Massonicae in omnibus nationibus, sed eam quae alibi periculosa

[1] V. Appen. n. LII.
[2] Cfr. Conc. Plen. Baltim. III. an. 1884, art. 244.
[3] V. Appen. n. LII.
[4] V. Appen. n. XV; XXXVIII; XLII; XLIX; LIII; XCVII; CVII; XIC; CXIV. Cfr. Coll. P. F. n. 1856-1865.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

atque in praesentiarum cordatis mentione haud dignus, si inter ignaros suis praestigiis stragem non faceret [1].

164. Cum autem spiritismi sectatores, qui per innumeras prope fictiones et mendaces exhibitiones incautos decipiunt, passim diabolicas admittant et promoveant operationes, haeresesque plurimas, praesertim contra aeternitatem poenarum inferni, sacerdotium catholicum et iura Ecclesiae, spargere non timeant, non possunt ipsi, neque in interno foro neque in externo, tractari veluti ordinarii peccatores tantum, sed haberi debent ac iudicari veluti haeretici vel haereticorum fautores ac defensores, nec poterunt ad sacramenta admitti, nisi reparato scandalo et facta abiuratione *spiritismi* emissaque fidei professione, iuxta normas a theologis praescriptas.

165. Hortamur parochos, ut indefesso zelo laborent, in mundando agro ipsis concredito a variis aliis superstitionibus, quae velut prava germina ex ignorantia erumpentes, ac inter rudiores praesertim gliscentes, fidem saepe moresque corrumpunt. Nec parochi omittant superstitiones a se detectas Episcopo denuntiare, ut ipse provideat ac iudicet.

CAPUT VII.

De secta Massonica aliisque sodalitatibus illicitis.

166. Clandestinas sectas, ubi primum in perniciem religionis, reipublicae ac societatis eruperunt, Apostolica Romanorum Pontificum sollicitudo improbare, condemnare, atque gravissimis poenis coercere non omisit.

[1] Cfr. Conc. Prov. Valent. an. 1889, p. 1. tit. 2. cap. 1.

In quo mirabilis quidem fuit SS. D. N. Leonis XIII zelus ac sapientia, qui per Encyclicas Litteras *Humanum genus*, datas die 20 April. 1884 [1], massonicam sectam aliasque ex ea prognatas solemniter proscripsit. Quibus Litteris earumdem sectarum doctrinas, finem, consilia detegit, curas Romanorum Pontificum ad liberandam a tam nefaria peste humanam familiam enarrat, easdem sectas iterum et ipse damnationis et censurae nota inurit, simulque docet, qua ratione, quibusque remediis, illatis ab iisdem vulneribus sit medendum.

167. Cum autem Romanorum Pontificum declarationes contra societates secretas, in laudatis litteris Encyclicis *Humanum genus*, sermone gravi aeque ac diserto, collectae ac renovatae [2] inveniantur, illas ex integro in Appendice [3] inseri iussimus, ut animarum pastoribus norma sint tutissima, ad fideles sibi commissos opportune commonendos. Mandamus etiam, ut Instructiones et decreta Sanctae Sedis [4] hac in re accurate serventur et fortiter applicentur, ut morbus iste pestifer e societate religiosa simul ac civili tandem expellatur.

168. Et quoniam plurimis in regionibus nostris impiorum machinationes et fallaciae eo tendunt, ut saluberrima contra pestem societatum clandestinarum decreta et mandata Apostolica inania faciant, sub ementito praetextu, a Pio IX et Leone XIII pluries damnato, scilicet non eamdem esse naturam sectae Massonicae in omnibus nationibus, sed eam quae alibi periculosa

[1] V. Appen. n. LII.
[2] Cfr. Conc. Plen. Baltim. III. an. 1884, art. 244.
[3] V. Appen. n. LII.
[4] V. Appen. n. XV; XXXVIII; XLII; XLIX; LIII; XCVII; CVII; XIC; CXIV. Cfr. Coll. P. F. n. 1856-1865.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est ac omnino proscribenda, alicubi innocuam esse ac honestam, quia, aiunt, diversa sunt dogmata, fines, actiones; sedulo curent animarum pastores, ut tam perniciosus error, tam audax praetensio, a patre mendacii excogitata, ut incautos decipiat, penitus eliminetur. *Ea est enim rei ipsius natura et gravitas, talisque Apostolicarum Constitutionum tenor, ut minime dubitari possit quin voluerint laudati Pontifices iisdem obligari omnes et singulos Christifideles, nullo habito locorum, temporum, nationum vel rituum discrimine* [1].

169. Sciant vero omnes fideles excommunicationi latae sententiae, Romano Pontifici reservatae, subiacere « nomen dantes sectae *Massonicae* aut *Carbonariae* aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint » [2]. Haec porro denuntiandi obligatio urget, etiamsi coryphaei sint publice noti ut *massones*, sed non sint publice noti ut coryphaei vel duces huius sectae; neque ab onere denuntiationis excusat ratio, quod in regione *massones* et ideo ipsorum coryphaei a gubernio civili tolerantur, et ab ecclesiastica potestate puniri non possunt, nec ullo modo cohiberi [3].

170. In quacumque orbis regione, hominibus liberorum massonum societati aggregatis, licet emissi iuramenti eos poeniteat, sacramentalem absolutionem neque licite neque valide confessarius impertiri potest, priusquam ipsi absolute et positive praedictam damnatam societatem in perpetuum reliquerint [1].

[1] S. C. de Prop. Fide Litt Encycl. an. 1867 ad Delegat. Apost. et Episc. Orient. (Coll. P. F. n. 1859).
[2] Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis*.
[3] Decr. S. Officii 19 April. 1893 (Mon. Eccl. tom. VIII. p. I, pag. 77).

171. Cum Apostolica Sede, ut omne erroris periculum arceatur, damnamus et proscribimus omnes societatis massonicae aliarumque ex ea prognatarum catechismos et libros, ad earum defensionem exaratos, sive typis editos sive manu scriptos, earumque omnia et singula diaria seu ephemerides [2].

172. Graviter peccant et plerumque excommunicationis poenam, Romano Pontifici reservatam, incurrunt fideles, qui choreis aliisque solatiis intersunt, quae a membris societatis massonicae, uti talibus, haberi solent [3]. Et pro certo habeant censuram semper incurri, quoties praesentia ac participatio huiusmodi conventibus reapse affert eidem sectae aut sectatoribus emolumentum aliquod [4].

173. Omnino interdicimus, ne massones notorii officium patrini in administratione Baptismi vel Confirmationis suscipiant. Illi enim, quatenus adhaereant sectae ab Ecclesia damnatae, minime idonei sunt procurandae, si opus fuerit, educationi christianae spiritualium filiorum [5]. Tantum permissum est, specialibus gravibusque suadentibus circumstantiis, eos uti meros testes admittere [6].

174. Nullo pacto permitti potest, ut massones, in forma officiali, id est a secta deputati, S. Sacrificio Missae aliisque officiis ecclesiasticis interveniant. Inter-

[1] Decr. S. Officii 5 Iulii 1837 (Coll. P. F. n. 1856).
[2] Cfr. Pii VII Const. *Ecclesiam*, 13 Septembris 1821.
[3] Cfr. Litt. S. C. de Prop. Fide 15 Iulii 1876 (Coll. P. F. n. 1862).
[4] Ibid.
[5] Instr. S. Officii 5 Iulii 1878 (Coll. P. F. n. 1863).
[6] Instr. S. Officii ad Praef. Miss. Tripol. an. 1763 (Coll. P. F. n. 606).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicendum quoque est ne clerus iussioni seu desiderio massonum pareat, pro celebrandis Missis seu officiis ecclesiasticis, uti a massonibus indictis seu postulatis, seu uti talibus in invitationibus ac in publicis ephemeridibus enuntiatis [1]. Et omnes fideles speciatim abhorreant ab illis sectae massonicae et massonum fraudibus, quibus, sub specie religiositatis, imo sub sacrilega, impia et blasphema praetensione cultus eiusdem sectae erga S. Ioannem Baptistam, pestiferam suam pravitatem cohonestare non timent, ut incautos animos decipiant, ne coram populo catholico videantur tales, quales reapse existunt.

175. Nullo modo tolerari potest, ut matrimonia, quae a massonibus contrahuntur, cum omni solemnitate ritus catholici celebrentur. Immo vero, si quis matrimonio coniungi postulat, qui noscitur sectae massonicae adscriptus esse, parochus totis viribus in id incumbere tenetur, ut is illi sectae renuntiet; quod si renuerit, sedulo curandum est, ut sponsa ac parentes eius, opportunis exhortationibus, a tali coniugio deterreantur. Quando vero parochus nullo modo potest huiusmodi matrimonium impedire, et prudenter timet, ne ex denegata matrimonio assistentia grave scandalum vel damnum oriturum sit, res deferenda est ad Ordinarium, qui, iuxta instructiones Sanctae Sedis et doctrinam S. Alphonsi, quid in singulis casibus faciendum sit, decernat: quo in casu, parochus matrimonio passive intersit, id est absque benedictione, aliove ritu ecclesiastico, tantum tamquam testis auctorizabilis, dummodo cautum sit omnino catholicae educationi universae prolis, aliisque similibus conditionibus [2].

[1] Instr. S. Officii 5 Iulii 1878 (Coll. P. F. n. 1863).
[2] Cfr. cit. decr. S. Officii 5 Iulii 1878 (Coll. P. F. n. 1863); 25 Maii 1897

176. Ecclesiastica sepultura massonibus notoriis concedi non potest, nisi, debita retractatione emissa, per absolutionem Deo et Ecclesiae fuerint reconciliati. Si quando vero morte praeventi retractationem rite emittere non potuerint, dederint nihilominus ante mortem signa poenitentiae et devotionis, tunc poterit eis concedi sepultura ecclesiastica, vitatis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exequiarum. Praeterea ecclesiastica sepultura carere debet, qui, etiam post receptionem Sacramentorum, ipsemet postulaverit sepeliri adhibitis signis sectae massonicae, nisi hanc voluntatem postea retractaverit. Si vero, perversa aliorum opera, contra vel praeter defuncti voluntatem, emblemata sectae massonicae feretro apposita fuerint, cognita eorum appositione, statim amoveantur, et omnino ante associationem cadaveris [1].

177. Praeter istas, sunt et aliae sectae prohibitae atque sub gravis culpae reatu vitandae, inter quas praecipue recensendae sunt illae omnes, quae a sectatoribus secretum nemini pandendum et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam iureiurando exigunt. Animadvertendum insuper est, adesse nonnullas societates, de quibus licet statui nequeat an pertineant ad has quas memoravimus, dubiae tamen et periculi plenae sunt, tum ob doctrinas quas profitentur, tum ob agendi rationem quam sequuntur ii, quibus ducibus ipsae coaluerunt et reguntur. Ab his etiam fideles omnes deterrendos et arcendos esse declaramus, et eo quidem diligentius, quod, ob servatam ab iisdem quamdam honestatis speciem, corruptelae periculum, quod in

(Mon. Eccl. tom. X. p. II, pag. 3); S. Poenit. 10 Dec. 1860 (Coll. P. F. n. 1528); S. Alph. de Ligor., Theol. Mor., lib. VI, tract. I, cap. 2, n. 54.
[1] Instr. S. Officii 5 Iulii 1878 (Coll. P. F. n. 1863).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ipsis latet, difficilius a simplicibus praesertim hominibus et adolescentibus persentiri et praecaveri poterit [1].

178. Ad vitandam omnem imprudentem agendi rationem in rebus tanti momenti, parochi, occurrentibus casibus difficilioribus, in quibus maiora mala vel graviora incommoda timeantur, ad Episcopum recurrant, qui, sive quoad admissionem patrinorum, sive quoad nuptias et ecclesiasticam sepulturam, ea decernere poterit quae magis in Domino expedire iudicaverit, iuxta normas traditas in Decretis S. Officii 21 Febr. 1883 [2], 25 Maii 1897 [3], 6 Iulii 1898 [4], 5 Aug. 1898 [5], et 11 Ian. 1899 [6].

[1] Instr. S. Officii 10 Maii 1884 (Coll. P. F. n. 1865).
[2] V. Appen. n. XLIX. Cfr. etiam Instr. Card. Antonelli 15 Nov. 1858. V. Appen. n. XXI.
[3] V. Appen. n. XCVII.
[4] V. Appen. n. CVII.
[5] V. Appen. n. CIX.
[6] V. Appen. n. CXIV.

TITULUS III.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS

CAPUT I.

De Episcopis.

179. Sicut Romanus Pontifex totius est Ecclesiae magister et princeps, ita Episcopi rectores et capita sunt Ecclesiarum, quas rite singuli ad regendum acceperunt. Eos, in sua quemque ditione, ius est praecesse, corrigere, generatimque de iis, quae ad rem christianam pertinent, decernere. Participes enim sunt sacrae potestatis, quam Christus Dominus, a Patre acceptam, Ecclesiae suae reliquit. Atque huiusmodi potestas Episcopis est summa cum utilitate eorum, in quos exercetur, data: spectat enim natura sua ad *aedificationem corporis Christi*, perficitque ut Episcopus quisque, cuiusdam instar vinculi, christianos, quibus praeest, et inter se et cum Pontifice Maximo, tamquam cum capite membra, fidei charitatisque communione consociet. Qua super re gravis est ea sancti Cypriani sententia: *Illi sunt Ecclesia, plebs sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens* (Epist. 69 ad Pupianum); et gravior altera: *Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo; et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse* (ibid.). Ex quibus patet adhiben-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ipsis latet, difficilius a simplicibus praesertim hominibus et adolescentibus persentiri et praecaveri poterit [1].

178. Ad vitandam omnem imprudentem agendi rationem in rebus tanti momenti, parochi, occurrentibus casibus difficilioribus, in quibus maiora mala vel graviora incommoda timeantur, ad Episcopum recurrant, qui, sive quoad admissionem patrinorum, sive quoad nuptias et ecclesiasticam sepulturam, ea decernere poterit quae magis in Domino expedire iudicaverit, iuxta normas traditas in Decretis S. Officii 21 Febr. 1883 [2], 25 Maii 1897 [3], 6 Iulii 1898 [4], 5 Aug. 1898 [5], et 11 Ian. 1899 [6].

[1] Instr. S. Officii 10 Maii 1884 (Coll. P. F. n. 1865).
[2] V. Appen. n. XLIX. Cfr. etiam Instr. Card. Antonelli 15 Nov. 1858. V. Appen. n. XXI.
[3] V. Appen. n. XCVII.
[4] V. Appen. n. CVII.
[5] V. Appen. n. CIX.
[6] V. Appen. n. CXIV.

TITULUS III.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS

CAPUT I.

De Episcopis.

179. Sicut Romanus Pontifex totius est Ecclesiae magister et princeps, ita Episcopi rectores et capita sunt Ecclesiarum, quas rite singuli ad regendum acceperunt. Eos, in sua quemque ditione, ius est praecesse, corrigere, generatimque de iis, quae ad rem christianam pertinent, decernere. Participes enim sunt sacrae potestatis, quam Christus Dominus, a Patre acceptam, Ecclesiae suae reliquit. Atque huiusmodi potestas Episcopis est summa cum utilitate eorum, in quos exercetur, data: spectat enim natura sua ad *aedificationem corporis Christi*, perficitque ut Episcopus quisque, cuiusdam instar vinculi, christianos, quibus praeest, et inter se et cum Pontifice Maximo, tamquam cum capite membra, fidei charitatisque communione consociet. Qua super re gravis est ea sancti Cypriani sententia: *Illi sunt Ecclesia, plebs sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens* (Epist. 69 ad Pupianum); et gravior altera: *Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo; et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse* (ibid.). Ex quibus patet adhiben-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dam esse erga Episcopos reverentiam praestantiae muneris consentaneam, in iisque rebus, quae ipsorum potestatis sunt, eis obtemperari oportere [1].

180. Igitur prorsus necesse est, singulos e plebe christiana pastoribus suis animo et voluntate subesse; hos autem una cum ipsis Principi ac Pastori Maximo: in eiusmodi autem obsequio obedientiaque voluntaria ordo et vita Ecclesiae consistit, itemque conditio necessaria agendi recte et ad finem accommodate. Contra, si auctoritatem sibi tribuant qui iure habent nullam, si iidem magistri et iudices esse velint, si inferiores in administranda re christiana aliam rationem, quam quae legitimae potestati probatur, probent et tueri nitantur, profecto ordo pervertitur, multorum iudicia perturbantur, a via deflectitur. Qua in re violatur officium, non solum abiiciendo palam aperteque obedientiam Episcopis summoque Ecclesiae Principi debitam, sed etiam resistendo per obliquum perque ambages tanto periculosiores, quanto magis simulatione tectas. In eodem genere peccant qui potestati iuribusque favent Pontificis Romani, Episcopos tamen cum eo coniunctos non verentur eorumque vel auctoritatem minoris faciunt, quam par est, vel acta et consilia, praeoccupato Sedis Apostolicae iudicio, in deteriorem partem interpretantur [2].

181. Neque vero continenda obtemperatio est, quasi finibus, in rebus ad fidem christianam pertinentibus, sed multo amplius proferenda, videlicet ad res omnes, quascumque episcopalis potestas complectitur. Sunt illi quidem in populo christiano fidei sanctae magistri; at praesunt etiam tamquam rectores et duces, atque ita

[1] Leo XIII. Encycl. *Cum multa*, 8 Dec. 1882.
[2] Leo XIII. Litt. *Epistola tua*, 17 Iun. 1885.

praesunt, ut de hominum salute, quos habent a Deo creditos, ipsi Deo ratio sit ab illis aliquando reddenda [1].

182. Ne autem, ob calumnias hominum, vel ob alios quoscumque inanes praetextus legitimae subiectioni contrarios, huiusmodi obedientiae debitum debilitetur, omnes fideles, sive clerici sint sive laici, prae oculis habeant gravissimum hoc monitum Pastoris pastorum ac Supremi Rectoris Episcoporum: « Si vero forte quisquam in ipso Episcoporum ordine reperiatur non suae satis memor dignitatis, qui religionem officii aliqua ex parte videatur deseruisse, nihil ipsi ob eam causam de potestate sua decederet; et quamdiu communionem cum Romano Pontifice retinuerit, profecto ex eius ditione liceret nemini observantiam in eum atque obedientiam minuere. Contra inquirere in acta Episcoporum, eaque redarguere, nullo modo attinet ad privatos: verum ad eos dumtaxat attinet, qui sacro in ordine illis potestate antecedunt, praecipue ad Pontificem Maximum, quippe cui Christus non agnos modo, sed oves, quotquot ubique sunt, ad pascendum commiserit. Ut summum, in gravi aliqua conquerendi materia, concessum est rem totam ad Pontificem Romanum deferre: id tamen caute moderateque, quemadmodum studium suadet communis boni, non clamitando aut obiurgando, quibus modis dissidia verius offensionesque gignuntur, aut certe augentur » [2].

183. Nominatim, vehementer studeant modestiam atque obedientiam tenere, qui sunt ex ordine Cleri, quorum dicta factaque utique ad exemplum in omnes partes valent plurimum. Quod in muneribus suis in-

[1] Leo XIII. Litt. *Est sane molestum*, 17 Dec. 1888.
[2] Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sumunt operae, tum sciant maxime fructuosum sibi, proximisque salubre futurum, si se ad imperium eius nutumque finxerint, qui Dioecesis gubernacula tenet [1].

184. Obedientiae exemplum fidelibus nostrae iurisdictioni commissis praebentes, nos Patres huius plenarii Concilii solemniter profitemur, fidem, subiectionem et obedientiam per omnia exhibere Romano Pontifici Iesu Christi Vicario, et in unitate eiusdem fidei, Deo operante, persistere, in qua omnis christianorum salus sine dubio esse comprobatur; profitemur etiam cuncta decreta Pontificum Apostolicae Sedis custodire; et quaecumque ipsi damnaverunt damnamus, quaecumque susceperunt suscipimus, et tota fidei integritate veneramur et semper libere, sicut praedicarunt, praedicabimus.

185. Quo plenius testatum faciamus, quali corde, mente et animo, Romano Pontifici, Pastorum Principi, omnium fidelium Patri, devoti simus, et adhaereamus, nos, Apostolicae Sedis non tantum mandata recepturos humiliter, et quam diligentissime executuros, verum etiam monitis, consiliis et votis pie obtemperaturos esse declaramus ac spondemus [2].

186. Sacrarum Congregationum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus auctoritatem adserentes, debitum earumdem, Summi Pontificis nomine editis, declarationibus et mandatis obsequium et religiosam obedientiam verbo et exemplo inculcabimus; « ipsae enim veluti traditum depositum custodiunt antiquae et praesentis Ecclesiae disciplinae, omnigenis pontificiae sapientiae thesauris, virorumque omni aevo Ecclesiasticae iurisprudentiae laude praeinsignium consultationibus locupletatum » [1].

1 Leo XIII. Encycl. *Cum multa*, 8 Dec. 1882.
2 Cfr. Conc. Prov. Burdigal. an. 1850, t. 4. cap. 1.

187. Haec autem saluberrima praxis obedientiae erga Sanctam Sedem, qua Episcopi forma gregis in ipsa obedientia fiunt, coniunctum habeat oportet assiduum propriae sanctificationis studium, ex quo uberrimos sacri ministerii fructus colligant. Igitur singuli Episcopi sanctae orationis studium summopere colant, quod veluti scutum ad decertandum assument, eodemque ecclesiasticos viros, suos in religionis et caritatis operibus adiutores, instrui contendant. Spiritum hunc ipsum in populo iugiter augere connitantur, secum animo reputantes, neminem quidquam vel minimum perficere posse, in ordine ad vitam aeternam et salutem animarum, nisi divino praesidio per orationem implorando [2].

188. Familiares diligant eosque habeant, quos decet ministros esse ministrorum Dei, ne ex alienis vitiis turpem et quasi propriam contrahant dedecoris labem. Ita, quod a caeteris civium familiis expectat atque optare debet episcopalis sollicitudo, proferat primum exemplo familiae suae, quam sacramentorum frequentia, quotidiano orationis pabulo et crebris exhortationibus excitabit [3].

189. Se pastores non percussores esse meminerint, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non eis dominentur, sed illos tamquam filios et fratres diligant; elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur. Quos tamen si quid per humanam fra-

1 Epist. Card. Cagiano S. C. C. Praefecti, 22 Maii 1858, ad Card. Gousset, Conc. Prov. Rhemensis (an. 1857) praesidem. Cfr. Conc. Prov. Neogranat. an. 1868, t. 2. cap. 1.
2 Cfr. Conc. Provinc. Urbinat. an. 1859, art. 99.
3 Ibid. art. 102.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent, in omni bonitate et patientia: cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas; plus exhortatio, quam comminatio; plus caritas, quam potestas [1].

190. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit: tunc, cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est; ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, et qui correcti fuerint, emendentur, aut, si resipiscere noluerint, caeteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur [2].

191. Quidquid puritati atque integritati fidei et morum adversetur, perenni sollicitudine inspiciant, apostolica libertate, tum ore, tum scriptis, convellant atque iuxta canonum sanctiones severe coerceant. *Praedicationis munus, quod episcoporum praecipuum est* [3], quo frequentius possint, ad fidelium salutem exerceant per se, aut, si legitime impediti fuerint, per eos quos ad praedicationis munus assument [4]. Pastorales etiam instructiones accuratissime conscribere curent, fidelium captui ac spiritualibus indigentiis omnino accommodatas et opportunis temporibus publice legendas.

192. In admissione ad sacros ordines, prae oculis habeant hoc gravissimum monitum Pii IX, in Encyclica *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846: « Vobis summopere cavendum, ne cuipiam, iuxta Apostoli praeceptum, cito manus imponatis; sed eos tantum sacris initietis ordi-

[1] Conc. Trid. sess. 13. cap. 1 de ref.
[2] Conc. Trid. ibid.
[3] Conc. Trid. sess. 24. cap. 4 de ref.
[4] Cfr. Conc. Trid. ibid.

nibus ac sanctis tractandis admoveatis mysteriis, qui accurate exquisiteque explorati ac virtutum omnium ornatu et sapientiae laude spectati, vestris dioecesibus usui et ornamento esse possint... Intelligitis nimirum, parochis officii sui ignaris vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi, et christianam laxari disciplinam, et religionis cultum exsolvi atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehi ». Igitur, de educatione clericorum solliciti, ante omnia, ecclesiastica seminaria, ut oculi pupillam, custodiant [1]. Ad quod meminerint hortationis eiusdem Pii IX, dicentis: « Pergite igitur, omnem impendere industriam atque operam, quo sacrae militiae tirones a teneris annis, quoad eius fieri poterit, in ecclesiastica seminaria recipiantur, atque inibi, tamquam novellae plantationes succrescentes in circuitu tabernaculi Domini, ad vitae innocentiam, religionem, modestiam et ecclesiasticum spiritum conformentur, simulque litteras et minores maioresque disciplinas, praesertim sacras, addiscant a selectissimis magistris, qui scilicet doctrinam sectentur ab omni cuiusque erroris periculo alienam » [2].

193. Toto etiam ex animo invigilent rectae iuventutis institutioni, ex qua Ecclesiae et societati tot bona consequuntur: ideoque zelum excitent parochorum, parentum et ludimagistrorum, quorum agendi rationem hac in re sollicite perscrutentur, ut corrigenda corrigant. Specialem curam habeant de Indorum et Nigritarum christiana institutione et de infidelium conversione: quem in finem, totis viribus linguarum indigenarum regionis studium inter clericos promoveant.

194. Ut vero omnis avaritiae et humani quaestus

[1] Cfr. Encycl. Leonis XII *Caritate Christi*, 25 Dec. 1825.
[2] Pius IX. Encycl. *Nostis*, 8 Dec. 1849.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suspicio eliminetur, et abusus, si qui sint, e medio tollantur, Episcopi sedulo invigilent, ne officiales Curiae vel parochi aliquid supra taxam legitime statutam percipiant, neve titulos perceptionum multiplicent. Proinde, ad confectionem catalogi taxarum, vulgo *Arancel*, ad normam Decreti S. Congregationis Concilii d. 10 Iunii 1896[1] absque mora procedant, et severe puniant eos, qui aliquid supra taxam sive directe sive indirecte exigant.

195. Curiae autem officiales omni caritate et benevolentia Episcopi tractent, ita tamen ne « eos inconsulto vel nimia facilitate de rebus gravioribus dioecesis participes faciant, neve eis, in consiliis capiendis, plus iusto deferant, vel quid nimis eorum studiis et operae concedant; quod et de aliis familiaribus aequa ratione dicendum » [2].

196. Alterum episcopalis studii obiectum debet esse recta bonorum ecclesiasticorum administratio, ita ut Episcopi caveant a distrahendis bonis Ecclesiae aut a reditibus erogandis in rem, quae in bonum eiusdem Ecclesiae non vergat, etiamsi non agatur de bonis stabilibus aut pretiosis. Bona enim Ecclesiae, aut in utilitatem ipsius Ecclesiae, aut in Seminarium, aut in pauperes insumi debent, nisi ex lege fundationis habeant scopum determinatum; tunc enim, sine venia apostolica, non licet eadem erogare ad alium scopum, etsi de se meliorem. Et « quoniam consanguineorum amore ipsi sapientes quandoque ad immoderata rapiuntur, expedire videtur episcopalis mensae bonorum administrationem nunquam illis, quantumvis honestis, ad cuiusque querimoniae notam effugiendam, committi, et cum his, quatenus indigeant, ad instar aliorum pauperum agi, ut monet Tridentinum » [3]. Caveant etiam ab expensis nimis profusis « usque eo, ut aere alieno se gravent; si enim ei solvendo sunt impares, vel mensa detrimentum capit, vel eorum memoriae dedecus infertur » [4]. Haec autem vigilantia in administrandis rebus temporalibus virtutem caritatis haud imminuet; imo potius augebit. Bonus enim pastor pauperes tamquam de familia habet, et omnibus omnia factus, indigentiis subditorum sive materialibus sive moralibus pro viribus subvenit.

197. Cum magnopere in rationem divini honoris cedat et ad pietatem provocet templorum nitor sacrorumque decor ac diligentia, haec quoque verbo atque exemplo zelare Episcopum decet. Frugi quoad se, in honorem domus Dei conferat liberalitatem suam. Invigilet, ut Sacramenta ubique in dioecesi recte et graviter ministrentur, maxime vero Sanctissimum Eucharistiae Sacrificium [5].

198. Quoniam Catholicae Ecclesiae hostes « acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias, quamvis de re christiana, civili ac litteraria summopere meritas, et blaterant easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt » [6]; singuli Episcopi totis viribus eas defendant, protegant et adiuvent, earumque iura ac privilegia tueantur, ut ad normam sacrorum canonum pacifice regantur. Ubi autem regulares, ob temporum calamitatem, vel dispersi vitam agere cogantur, vel reformatione indigeant, Episcopi adiutricem manum ipsis sollicite praebeant: et reiectis quibuscumque in contrarium consiliis vel prae-

[1] V. Appen. n. XC.
[2] Consess. Episc. Umbriae an. 1849, tit. 8. § 1.

[1] Consess. Episcop. Umbriae an. 1849, tit. 8. § 1.
[2] Ibid.
[3] Conc. Prov. Urbinat. an. 1859, art. 98.
[4] Pius IX. Encycl. *Quanta cura*, 8 Dec. 1864.

textibus, nullo pacto permittant, ut communitatum reliquiae dispersae pereant; ac pro viribus caveant, ne eorum conventus ita in alienis usibus sive ecclesiasticis sive profanis adhibeantur, ut restaurationes regularium moraliter impossibiles evadant, et lapsu temporis totalis fiat Religiosarum Familiarum ruina. Concordiam insuper ac benevolentiam magnam cum Moderatoribus Regularium servent, siquidem « concordiam hanc postulat paterna caritas Episcoporum in adiutores suos et mutua Cleri in Episcopos observantia; hanc concordiam flagitat finis communis qui situs est in salute animarum iunctis studiis ac viribus quaerenda; hanc eamdem exigit necessitas iis resistendi qui catholico nomini infensi sunt » [1]. Regulares autem Episcopos summopere revereantur, et semper prae oculis habeant hoc monitum Pii IX: « A vobis etiam atque etiam efflagitamus, ut arctissimo concordiae et caritatis foedere summaque animorum consensione, Venerabilibus Fratribus Episcopis et saeculari clero coniuncti, nihil antiquius habeatis, quam, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, consociatis studiis, vires omnes intendere atque aemulari semper charismata meliora » [2].

199. Ut Episcopi muneribus suis perfungi queant, omnino necesse est, ut inviolate servent *legem residentiae*, qua adstringuntur iuxta sacros canones, ac praesertim iuxta S. Tridentinam Synodum, quae, hisce verbis, « metropolitanis et cathedralibus ecclesiis quibuscumque quovis nomine ac titulo praefectos monet ac monitos esse vult, ut, attendentes sibi et universo gregi,... vigilent, sicut Apostolus praecipit, in omnibus laborent, et ministerium suum impleant: implere autem illud se

[1] Leo XIII. Const. *Romanos Pontifices*, 8 Mali 1881.
[2] Encycl. *Ubi primum*, 17 Iunii 1847.

nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant; atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a Supremo Iudice requirendus, custodiae minime incumbant; cum certissimum sit non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit et pastor nescit... Placuit sacrosanctae Synodo, antiquos canones, qui temporum atque hominum iniuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare, quemadmodum virtute praesentis decreti innovat » [1]. Neque pastorali officio satisfecisse sibi persuadeant, qui caeteris episcopalibus muneribus non studuerint pro viribus implendis; nam residentiae lex non limitatur ad alicuius loci materialem praesentiam.

200. « Episcopi propriam dioecesim per se ipsos aut, si legitime impediti fuerint, per suum vicarium aut visitatorem » [2], seu per aliquos ecclesiasticos viros, scientia, pietate, rerum gerendarum dexteritate ac maturitate commendabiles, visitare non praetermittant. Attenta autem dioecesium nostrarum extensione, et data aliunde summa utilitate visitationis personalis, seu ab ipso Episcopo faciendae, curandum est pro viribus, ut opportuno tempore Episcopus accedat etiam ad loca quae per alium a se delegatum visitata fuere; ad quod facilius assequendum, opportunum erit dioecesim visitandam in regiones dividere, ut unaquaeque regio successive visitetur; atque ita fiet, ut certo annorum numero tota dioecesis per Episcopum visitata maneat.

201. « Visitationum autem omnium istarum praecipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere; bonos mores tueri, pravos

[1] Conc. Trid. sess. 6. cap. 1 de ref.
[2] Conc. Trid. sess. 24. cap. 3 de ref.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

corrigere; populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere; caetera, prout locus, tempus, et occasio feret, ex visitantium prudentia, ad fidelium fructum constituere. Quae ut facilius feliciusque succedant, monentur praedicti omnes et singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna caritate christianoque zelo omnes amplectantur; ideoque, modesto contenti equitatu famulatuque, studeant, quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere »[1].

202. Visitationis decreta accurate serventur tum in tabulario singularum ecclesiarum et piorum locorum visitatorum, tum in Curia dioecesana. Et, infra annum a die visitationis, parochi et rectores ad quos spectat, Episcopum certiorem faciant de executione et observantia decretorum sacrae visitationis: quod si omiserint, opportune moneantur. Sciant autem parochi aliique visitationi subiecti, Episcopos in sacra visitatione, omni appellatione seu querela postposita, potestatem habere ea ordinandi, moderandi, puniendi et exequendi, quae ex prudentia sua pro subditorum emendatione, dioecesis utilitate et abusuum extirpatione, necessaria iudicaverint[2].

203. Inter praecipua officia, quae Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, iuxta SS. Patrum et canonum statuta incumbunt, illud profecto est accensendum, quo ipsi *sacra Apostolorum Limina* visitare tenentur, eaque occasione Romano Pontifici obsequium et obedientiam praestare, et rationem reddere de pastoralis muneris implemento deque omnibus, quae ad Ecclesiarum suarum statum, et cleri populique mores

[1] Conc. Trid. sess. 24. cap. 3 de ref.
[2] Cfr. Conc. Trid. sess. 24. cap. 10 de ref.

ac disciplinam, animarumque ipsis creditarum salutem pertinent. Quapropter, iuxta Constitutionem Sixti V *Romanus Pontifex*, diei 20 Decembris 1585, omnes Episcopi, qui dioecesi canonice erectae praesunt, et, *ratione officii* [1], omnes Vicarii Apostolici regionum nostrarum saltem *decimo quoque anno*, per se, vel, quatenus legitimo impedimento detenti, per procuratorem, sacra Apostolorum Limina visitare non omittant. *Decennium* autem, etiamsi agatur de sedibus recenter erectis, ita computandum est, ut, initio sumpto a die qua Constitutio Sixti V edita fuit, nimirum a die 20 Decembris 1585, perpetuo et sine alia interruptione, pro omnibus successoribus Episcopis decurrat [2]. Et cum Benedicto XIII [3] Episcopos monemus « ne ita passim personali ab hac visitatione se dispensent, monita hic multa et sane proficua, eorumdem Sanctorum Ecclesiae Principum patrocinio, e Summi Pontificis vivae vocis oraculo percepturi, quae scriptis aliquando nequeunt consignari ». Ut monet S. Congregatio de Propaganda Fide in Instructione diei 1 Iunii an. 1877, a Pio IX probata: « Facile quisque intelliget ordinarias causas, quae personalem visitationem impediant, nostra hac aetate nonnisi raro locum habere; ea enim invexit humanum ingenium adiumenta ad varias locorum distantias percurrendas, ut incredibili ferme celeritate et facilitate longissima quaeque itinera terra marique perfici valeant ». Circa modum conficiendi relationes de statu ecclesiarum, occasione Visitationis ad Limina, prae oculis habeatur et accurate servetur Instructio S. Congregationis Con-

[1] Encycl. S. C. de Prop. Fide 1 Iunii 1877 (Coll. P. F. n. 109).
[2] S. C. C. 16 Nov. 1673, et S. C. de Prop. Fide an. 1802, 1865, edita in Instr. S. C. de Prop. Fide 1 Iun. 1877 (Coll. n. 110).
[3] In Conc. Rom. an. 1725, tit. 13. cap. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cilii, iussu Benedicti XIII edita, et si de regionibus Missionum vel Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiectis agatur, serventur Litterae Encyclicae et Instructio diei 1 Iunii 1877 [1].

CAPUT II.

De Metropolitis.

204. Metropolitae magno in honore sint oportet. De quorum antiquissima et veneranda origine sapienter scripsit S. Leo Magnus: « Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut caeteris praemineret: de qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio et magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres prima haberetur sententia » [2]. Et Patres Antiocheni, dignitatem Metropolitarum adserentes, statuerunt: « Per singulas provincias Episcopos singulos scire oportet, Episcopum Metropolitanum, qui praeest, curam et sollicitudinem totius provinciae suscepisse » [3].

205. Igitur non titulo solummodo honoris Metropolitae in provincia distinguuntur, sed peculiaribus etiam praeeminent iuribus ac praerogativis. Praerogativas istas omnes ac iura, quae ipsis competunt iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, et quae per sacrosanctam Tridentinam Synodum et Apostolicas Constitutiones determinata suis limitibus fuere, agnoscimus ac veneramur.

1 V. Appen. n. XLI.
2 S. Leo Magnus, epist. 84. Cfr. Conc. Prov. Viennen. an. 1858, t. 2. cap. 3.
3 Cap. 2. caus. 9. q. 3.

206. Praecipua autem munera ac iura Metropolitarum, plenum vigorem habentia, sunt: Synodum provincialem indicere eique praeesse [1], ac sedulo invigilare, ne quis eiusdem Synodi decreta servare negligat; Suffraganeos a propriis Ecclesiis illegitime absentes Apostolicae Sedi denuntiare [2]; provinciae dioeceses, causa in Concilio provinciali probata, et dioecesi sua plene visitata, lustrare [3]; ius dicere inter eos, qui, iuxta canonicas sanctiones, a iudicio Suffraganeorum ad ipsum provocant [4].

207. Suae potestatis insignia Metropolitae habent, pallium, quo in sacris faciendis, diebus et solemnitatibus designatis, per totam provinciam utuntur, nec non crucem archiepiscopalem, quae in omnibus provinciae locis, etiam exemptis, ante ipsos defertur. Benedicendi etiam ius et pontificalibus utendi per totam provinciam ipsis tribuitur.

208. Quoniam conferre ad optimum ecclesiasticarum provinciarum regimen et ad fidelium aedificationem, sanctam Antistitum concordiam ac necessitudinem compertum est, Scriptura testante: *Frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma* (Prov. XVIII. 19), peroptamus, ut constanter servetur inter Metropolitanos eorumque Suffraganeos sanctae amicitiae et caritatis vinculum, et arctius in dies, per consuetudinem et per mutua praesertim in rebus gravioribus consilia, foveatur [5]. Quapropter Plenarium hoc Concilium singularum Provinciarum Americae Latinae Antistites, his verbis SS. D. N.

1 Conc. Trid. sess. 24. cap. 2 de ref.
2 Conc. Trid. sess. 6. cap. 1 de ref.
3 Conc. Trid. sess. 24. cap. 3 de ref.
4 Cap. *Pastoralis* de off. iudic. ord.; Cap. *Romana* 3 de appell. in 6; Ben. XIV. Const. *Ad militantis*, 30 Martii 1742.
5 Cfr. Conc. Prov. Urbinat. an. 1859, art. 96.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Leonis XIII, hortatur: « Vigeat in vobis caritas arctissima et animorum concordia, *ut idem sapiatis, unanimes idipsum sentientes* (Philip. II. 2). Cuius rei gratia summopere commendamus ut inter vos frequenter communicetis consilia, atque episcopales conventus, pro locorum intervallis sacrisque muneris officiis, saepius iteretis » [1]. Tempus autem huiusmodi episcopales conventus habendi, triennium non excedat, et in singulis Provinciis de communi Episcoporum consilio stabili modo determinetur.

CAPUT III.

De Vicario Capitulari.

209. Sede episcopali vacante, dioecesis administratio ad Capitulum Cathedralis ecclesiae devolvitur; etiamsi Capitulum redactum fuerit ad unum tantum membrum, dummodo tamen non eligat seipsum [2]. Capitulum autem, sede vacante, officialem seu Vicarium, infra octo dies post mortem Episcopi, constituere, vel existentem confirmare omnino tenetur, qui saltem in iure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus. Si negligens fuerit Capitulum, ad Metropolitanum deputatio huiusmodi devolvitur. Et si ecclesia ipsa Metropolitana fuerit aut exempta, Capitulumque, ut praefertur, negligens fuerit, tunc Episcopus antiquior ex suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta, Vicarium debet constituere [3]. Vacante autem Ecclesia suffraganea,

[1] Leo XIII. Epist. *Litteras a vobis* ad Archiep. et Episc. Brasiliae, 2 Iulii 1894.
[2] S. C. C. 12 Martii 1672 (Coll. P. F. n. 171).
[3] Conc. Trid. sess. 24. cap. 16 de ref.

quae Capitulo careat, illius administratio spectat ad Metropolitanum, et si Metropolitana Ecclesia pastore careat, ad Capitulum eiusdem Ecclesiae Metropolitanae, non vero ad antiquiorem Suffraganeum, cum onere tamen instituendi Vicarium Capitularem, ut supra [1]. Salvae nihilominus manere debent speciales praescriptiones apostolicae pro aliqua determinata regione, vel pro regionibus S. Congregationi de Propaganda Fide subiectis, seu quae ad instar locorum Missionum reguntur [2]. Unde invalida foret electio Vicarii Capitularis, si quando, vivente Episcopo, Sancta Sedes deputaverit Administratorem Apostolicum vel Vicarium Generalem; nam istorum iurisdictio non cessat post mortem Episcopi [3].

210. Sciant omnes ad quos spectat, « totam ordinariam Episcopi iurisdictionem, quae, vacua sede episcopali, ad Capitulum venerat, ad Vicarium ab ipso rite constitutum omnino transire; nec ullam huius iurisdictionis partem posse Capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus Vicarium constituere, multoque minus removere; sed eum in officio permanere, quousque novus Episcopus Litteras Apostolicas de collato sibi Episcopatu, Capitulo... vel, Capitulo deficiente, ei exhibuerit, qui ad normam sacrorum canonum, vel ex speciali Sanctae Sedis dispositione, vacantem dioecesim administrat, vel eiusdem Administratorem seu Vicarium deputat » [4].

211. Vicario Capitulari nihil in dioecesi innovare fas est, nec episcopalibus iuribus ullo modo praeiudicium

[1] S. C. C. 18 Aug. 1683, in Collect. Pallottini, v. *Vicarius Capitularis* § 1, n. 17.
[2] Cfr. Const. Bened. XIV *Quam ex sublimi*, 8 Aug. 1755.
[3] S. C. EE. et RR. saepe.
[4] Pius IX. Const. *Romanus Pontifex*, 28 Aug. 1873.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ferre illi licet; ac de administratione tenetur rationem reddere Episcopo ad sedem vacantem promoto [1].

212. Vicarius Capitularis, salvo speciali privilegio, agere non potest ea quae fuerunt Episcopo specialiter delegata. Qua in re, prae oculis habendae sunt Encyclicae litterae Sancti Officii, necnon novissimae declarationes eiusdem S. Congregationis, quas in Appendice inserendas iussimus [2], circa extensiones et communicationem facultatum Apostolicarum Episcopis seu Ordinariis concessarum, sive commissarum. Item debet se abstinere ab erigendis Confraternitatibus, a concedendis litteris testimonialibus ac consensu requisito a Clemente VIII pro aggregatione Confraternitatum, et ab approbandis statutis [3]; nec non a concedendis indulgentiis 40 dierum [4].

213. Quod ad dimissorias spectat, Vicarius Capitularis, intra annum sedis vacantis, eas concedere potest ad primam tonsuram, etiam non arctato [5]; ad Ordines vero potest eas concedere tantum arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi [6], non tamen si agatur de ordinando ad titulum pensionis ecclesiasticae, cum non sit beneficium [7]. Et quoties dimissorias concedere valet, potest et dispensare ab interstitiis [8].

214. Vicarius Capitularis non potest beneficia liberae collationis conferre, sive quae, sede viduata pastore, vacant, sive quae antea vacaverint. Neque potest dioe-

1 Conc. Prov. Vallisolet. an. 1887, p. 2ª. tit. 8. n. 18. Cfr. Conc. Trid. sess. 24. cap. 16 de ref.
2 S. Offic. 20 Februarii 1888, etc. V. Appen. n. LVIII; CII; CIII; CVI; CXVII.
3 S. C. Indulg. 15 Nov. 1878 (Decr. Auth. n. 438).
4 S. C. C. 13 Nov. 1688, ap. Ben. XIV, de Syn. l. 2. cap. 9. n. 6.
5 S. C. C. 10 Febr. 1594, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 2. n. 71.
6 Conc. Trid. sess. 7. cap. 10 de ref.
7 S. C. C. 10 Febr. 1594, ap. Lucidi, ibid.
8 S. C. C. 21 Apr. 1591, 26 Apr. 1602, ap. Lucidi, ibid.

cesim visitare, nisi post elapsum annum a die ultimae visitationis factae ab Ordinario, neque Synodum convocare, nisi post elapsum annum ab ultima Synodo [1].

215. Emolumenta tempore vacationis sedis episcopalis obvenientia ex iurisdictione et sigillo, aut alio quovis modo, neque ad Capitulum neque ad Vicarium spectant, sed omnino futuro successori reservantur, si ad Episcopum, ecclesia non vacante, pertinuissent; ex his autem deducendum est rationabile salarium Vicario constituendum et persolvendum [2]; prae oculis tamen habitis legitimis diversarum dioecesium consuetudinibus [3].

216. Vicarius Capitularis uti debet sigillo Capituli [4]. Non tenetur ad applicationem Missae pro populo [5]. In Choro, sessionibus, ceterisque ecclesiasticis functionibus digniorem locum dimittere debet primae dignitati Capitulum repraesentanti [6]. In aliis actibus et sessionibus, in quibus Vicarius Capitularis ex auctoritate adest aut agit, honorandus et praeferendus est. Ita in visitatione Ecclesiae incedit inter duos digniores capitulares.

217. Ubi peculiares inter Sanctam Sedem et Gubernium intercesserint conventiones, omnino sive a Capitulo, sive a Vicario Capitulari serventur.

218. Remotio Vicarii Capitularis Romanae Sedi reservatur, renuntiatio autem admitti potest ab ipso Capitulo; sicut et nova electio post renuntiationem acceptatam, post mortem etc., ad ipsum pertinet, semper tamen ad normam iuris.

1 S. C. C. 10 Martii 1629; 13 Sept. 1721, in Coll. Pallottini v. *Vic. Cap.* § 2. n. 26. 32. Bened. XIV, de Syn. l. 2. c. 9. n. 5.
2 S. C. C. 17 Nov. 1594, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 2. n. 243.
3 Cfr. De Angelis l. 1. t. 28. n. 22.
4 S. R. C. 23 Martii 1709 (n. 2190 ad 6).
5 S. R. C. 12 Nov. 1831 (n. 2682 ad 23).
6 S. R. C. 16 Martii 1658 (n. 1057); 23 Ian. 1683 (n. 1702).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT IV.

De Vicario Generali.

219. Quamvis ex iure communi sufficiat ut Vicarius Generalis sit clericus, volumus tamen, ut ad hoc officium non assumatur nisi presbyter [1]; non minor viginti quinque annis; in iure saltem canonico laurea insignitus, vel saltem in scientia iuris satis peritus; e clero saeculari, secluso speciali indulto; non parochus, neque Canonicus Poenitentiarius. Is eligatur, qui zelo ecclesiasticae disciplinae, iudicii maturitate, in expediendis negotiis haud morosus, prudentiae laude, puritate morum, anteactae vitae integritate, pro amplo dignitatis gradu praefulgeat; utpote qui, non ad iudicia dirimenda tantum, sed ad omnia episcopalis sollicitudinis officia praesto esse debet. Porro designatio Vicarii Generalis iure exclusivo ad Episcopum pertinet, ac proinde, cessante qualibet ex causa Episcopo a regunda dioecesi, et Vicarius absolute ab officio cessat. Data consuetudine in Hispania vigente, et ex Hispania in America Latina, nihil obstat quominus Episcopi habeant alium Vicarium cum titulo Provisoris, pro expediendis negotiis fori contentiosi.

220. Habet Vicarius Generalis rite ab Episcopo constitutus iurisdictionem, quae ad Episcopum iure ordinario pertinet, quoad omnia quae non requirunt speciale mandatum Episcopi; in iis enim quae iurisdictionis sunt, Ordinarius censetur, atque unum idemque Tribunal cum Episcopo constituit. Unde a Vicario Generali ad Episcopum non datur appellatio; et si Vicarius Generalis deliquerit ut Vicarius, iudicari non potest ab Episcopo sed a Metropolitano [1].

[1] S. C. C. 19 Iul. 1597 in una *Hispaniarum*, in Coll. Pallottini v. *Vic. Gen.* n. 8.

221. Non tamen potest Vicarius Generalis vi suae iurisdictionis dioecesim visitare, synodum dioecesanam vel Capitulum canonicorum convocare aut in eo vocem habere, dimissoriales litteras ad ordines recipiendos dare, benedictionem concionatoribus impertiri [2], indulgentias concedere, confraternitates erigere, aut alia peragere, quae Episcopus tamquam delegatus Sedis Apostolicae perficere potest.

222. Muneris quoque erit Vicarii Generalis, privilegium fori tueri ac defendere adversus usurpantes, nec umquam tolerare, ut causae ecclesiasticae, nempe matrimoniales, clericorum etc., ad forum civile deferantur tractandae: ubi autem violentiam civilis iurisdictionis vitare non possit, eius erit facere ut clerici, et ipsi saeculares, si adversus clericum procedere pertentaverint, ab Ordinario veniam obtineant. Verum, si peculiares inter Sanctam Sedem et civilia gubernia conventiones intercesserint, tunc et ipse eas observare tenetur. Nullo autem modo appellationes et recursus ad Superiorem impedire audeat.

223. Vicarius Generalis Episcopo praecipua acta Curiae, civilia et criminalia, quotannis scripto significet, atque ipsum certiorem faciat de iis, quae etiam extraiudicialiter gesta sunt, ad tuendam in clero et in populo disciplinam et observantiam eorum, quae in provincialibus et dioecesanis Synodis sunt decreta [3].

224. Quaecumque suo officio adiuncta sunt, fideli

[1] Cfr. cap. *Non putamus* de consuet. in 6; S. C. C. 15 Sept. 1821, ap. Pallottini v. *Vic. Gen.* n. 13. Cfr. Leurenium, *de Episcoporum Vicariis.*
[2] S. R. C. 11 Iul. 1699 (n. 2031).
[3] Cfr. Conc. Prov. Urbinat. an. 1859, art. 129.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

atque sollicita cura circumspiciat et praestet Vicarius Generalis. Ius integre ad sacrarum legum tramites dicat, exclusis inutilibus formalitatibus ex iure civili desumptis, praesertim illis quae et expensas multiplicant et maiores dilationes important. Et quia ex varietate et multiplicitate causarum et rerum ipsi commissarum, facillime errare posset, proprii Episcopi et virorum ecclesiasticorum scientia ac prudentia commendabilium consilium frequenter exquirat, et Sanctae Sedis resolutiones successive editas fideliter perlegere non omittat.

225. Vicario Generali commendamus plurimum, ut, antequam ad iudicium accedat, consiliis et admonitione, partes concordare curet, ut, sedatis animis, pax et unitas inter omnes habeatur. Si autem iudiciales actus et inchoare et prosequi ac finire adigatur, id faciet absque ulla personarum aut munerum acceptatione: imo ubique et in omnibus, vel ab ipsa specie avaritiae abhorreat; nec nisi quae iuxta legitimam taxam dioecesis pro stipendio accipiat.

CAPUT V.

De Canonicis.

226. « Cum dignitates in Ecclesiis, praesertim cathedralibus, ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutae, ut qui eas obtinerent, pietate praecellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opere, et officio iuvarent; merito qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint » [1]. Canonici igitur, sicut caeteris clericis ho-

[1] Conc. Trid. sess. 24. cap. 12 de ref.

noris gradu praestant, ita exemplo bonorum operum praelucere debent. Singuli autem Canonici scientia et doctrina ad proprium munus rite exequendum praediti sint oportet: et Episcopus, si velit, eos ad examen vocare potest, antequam ad beneficii possessionem admittat. Cum Tridentina Synodo peroptamus, « ut in provinciis ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis et Collegiatis insignibus, conferantur tantum magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatis in Theologia vel Iure Canonico » [1].

227. Ad Episcopum, non vero ad Capitulum, pertinet libere conferre omnia et singula beneficia et canonicatus, etiam Ecclesiae Cathedralis, quatenus canonicatus aut beneficia non sint a Sancta Sede reservata, vel indubitato et legitimo iure patronatus affecta; non obstantibus contrariis usibus, seu consuetudinibus, sive praetensis privilegiis, post constitutionem Civitatum nostrarum alicubi introductis. Qui insuper providere debet, ut huiusmodi beneficia vacantia quam citius provideantur, ne cultus divini dignitas et splendor detrimentum patiantur.

228. Canonicus aut Beneficiatus Ecclesiae Cathedralis subdiaconus saltem sit oportet [1]; et ubi viget consuetudo, ut omnes Canonici sint sacerdotes, haec retineri debet.

229. Quod attinet ad ministerium Episcopo exhibendum in dioeceseos regimine, meminerint Canonici se Episcopi senatum constituere. Officium hoc gravissimum, nullo modo rite sancteque persolvent, nisi in Episcopo suum patrem et pastorem revereantur, et cum ipso

[1] Conc. Trid. sess. 24. cap. 12 de ref.
[1] Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

unum velut corpus efficientes, Ecclesiae tantummodo bonum in omnibus sibi proponant [1].

230. Optamus ut Canonici, debitas conditiones habentes, libenter suscipiant officium docendi in seminariis, ubicumque necessarium fuerit; sedulo tamen cavendum ne Canonici indiscrete pluribus officiis addicti, proprii canonicatus munera rite adimplere non possint.

231. Singulis saltem mensibus, Capitulum convocetur, pro suae Ecclesiae et Capituli negotiis pertractandis: habendi consessus dies et hora, quae nullum officiis celebrandis afferat detrimentum, indicetur tabella in sacristia proposita, dominica praecedenti, nisi tamen alias etiam, pro re nata, convenire in Capitulum Canonicos necessitas suaserit et casibus emergentibus provide consulere. Illi autem, quorum res agitur, a Capitulo recedant, nec nisi re peracta revocentur; suffragia vero secreta ferantur; quae nisi ultra dimidium in rem propositam convenerint, nihil actum ea de re in Capitulo censeatur [2]. Et quoties de consensu aut de consilio, ad formam sacrorum Canonum, ab Episcopo rogantur, sententiam suam, ea qua par est modestia, fide ac sinceritate aperiant; sintque in omnibus pacis, caritatis ac mutuae reverentiae cultores [3].

232. Residentiae lege Canonici adstricti sunt: quae lex eos adigit ad assistentiam choralem; ad persolvendum divinum officium in choro; atque ad assistentiam missae conventuali, quae cantari quotidie debet et pro benefactoribus applicari, diebus unicuique assignatis. Qui enim iis defuerit, legem residentiae ex integro non observat. Nemini liceat ultra tres menses quolibet anno

1 Conc. Prov. Venet. an. 1859, p. 2. c. 14.
2 Cfr. Conc. Prov. Neapol. an. 1699, t. 9. cap. 2.
3 Cfr. Synod. dioec. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 4. art. 3.

ab Ecclesia abesse; non tamen tempore Adventus et Quadragesimae, quo omnes choro interesse debent, et « salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos: quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia, contra eos, iuxta sacrorum Canonum constitutiones, procedatur » [1].

233. Decretum Concilii Tridentini, sess. 24. cap. 12 de reformatione, quo statuitur, ut Canonici *Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire* debeant, locum habet etiam quando Episcopus in aliis ecclesiis sibi subiectis, in civitate existentibus, pontificalia celebrat, vel paratus assistit cum pluviali et mitra aut cappa divinis Officiis, et Missae solemnia vel alia pontificalia exercet, si numerus sufficiens Canonicorum et ministrorum in Ecclesia Cathedrali remanet [2].

234. Tempore divinorum officiorum, Canonici nec Missam celebrent, nec, excepto Poenitentiario, sacramentales excipiant confessiones: si secus fecerint, non lucrentur distributiones. Quod si peculiaria adiuncta aliter exigant, res Apostolicae Sedi proponenda est [3].

235. Omnes vero divina officia per se et non per substitutos compellantur obire. Per alium tamen et propriis expensis tenentur Canonici *ex officio* proprio muneri satisfacere, ubi ipsi impediti fuerint; sicut pa-

1 Conc. Trid. sess. 24. cap. 12 de ref.
2 S. C. C. 17 Aug. 1641, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 3. n. 87.
3 S. C. C. 1 Apr. 1876 (Mon. Eccl. I. pag. 105).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rochus tenetur bono regimini paroeciae attendere per alium, ubi ipse id praestare impediatur.

236. Tam in Cathedrali ecclesia quam in Collegiatis, quotannis celebrandum est solemne anniversarium ultimi Episcopi defuncti, ac per singulos annos alterum agendum est in perpetuum infra octavam omnium fidelium defunctorum pro omnibus propriae dioecesis Episcopis defunctis [1].

237. Cathedrali Capitulo incumbit, intra octo dies a vacatione dioecesis, Vicarium Capitularem eligere, cui integram deferat iurisdictionem ad dioecesim regendam, ad normam iuris.

238. Metropolitanum aut Episcopum antiquiorem certiorem facere debet Capitulum de morte proprii Episcopi, ac postea Vicarii Capitularis electionem eidem denuntiare. Imo volumus, ut utrumque, ex officio capitulari, tum Delegato Apostolico regionis, tum singulis provinciae Episcopis notificetur.

239. In unaquaque Cathedrali ecclesia uniformis vestis choralis est adhibenda: nullique Capitulo fas est specialibus uti insigniis, nisi obtento indulto apostolico; quo habito, nulla fieri potest immutatio, inconsulta Sancta Sede. Nec licet Canonicis extra propriam ecclesiam vel nisi collegialiter conveniant, vestibus canonicalibus uti.

240. Omnia et singula Capitula Cathedralia et Collegiata, intra sex menses a promulgatione huius Plenarii Concilii, proprias constitutiones conficiant, canonicis praescriptionibus et laudabilibus propriae ecclesiae consuetudinibus plane conformes, quae ab Episcopo intra alios sex menses examinentur, emendentur et adprobentur, servata mente Concilii Romani tit. 2. cap. 4 et 5.

[1] Cfr. Conc. Roman. an. 1725, l. 15. c. 5.

241. Quoad Canonicos *ad honorem*, prae oculis habeantur et fidelissime serventur normae a SS. D. N. Leone XIII nuper praescriptae, per Litteras Apostolicas *Illud est proprium*, diei 29 Ianuarii 1894 [1]. Qua capta occasione, vehementer hortamur omnes et singulos Episcopos, ut difficillime concedant litteras commendatitias ad obtinendos honorificos titulos praelatitios; illasque constanter denegent, si ex parte candidati postulentur: interrogati tamen ex officio, sincere ac diligenter respondeant, quae in Domino respondenda iudicent.

CAPUT VI.

De Consultoribus seu Assessoribus Episcoporum.

242. Consultores sive Assessores dicimus personas ecclesiasticas, scientia, virtute ac maturitate praecellentes, quae vices supplere debeant Capituli in adiuvando Episcopo opportunis consiliis pro gubernatione dioeceseos in rebus gravioris momenti. Ideo liquet eos locum habere tantum in dioecesibus Capitulo Canonicorum carentibus. « Antiquissimum enim in Ecclesia Catholica est, ut seniorum quorumdam adiutorium, (qui Episcopo in gerendis negotiis gravioribus assideant), ad huiusmodi rerum tractationem maturiorem ac faciliorem, praesulibus adderetur: quod sequentibus temporibus per Capitulum ecclesiarum Cathedralium effectum est » [2].

243. Quatuor, et, in dioecesibus parvum sacerdotum

[1] V. Appen. n. LXXIX.
[2] S. C. de Prop. Fide 18 Oct. 1883 (Coll. P. F. n. 239).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

numerum habentibus, saltem duo sint Consultores, ab Episcopo eligendi, inter eos quos plena sua fiducia dignos censuerit, praevio consilio nonnullorum, doctrina, maturitate et morum integritate commendabiliorum: iique in civitate episcopali vel in locis vicinioribus residentiam habeant. Antequam vero ad consilia vocentur, iuramentum emittant de secreto servando et de munere fideliter exequendo absque ulla acceptione personarum.

244. Consultores eligendi erunt ad triennium. Postquam vero electi fuerint, nullus eorum invitus removeri potest, nisi ex legitima et iusta causa et de consilio caeterorum Consultorum. Iusta autem aderit causa si ob senectutem, infirmitatem et similia, ad Consultoris partes obeundas inhabilis effectus fuerit, aut graviter delinquendo munere huiusmodi honorifico indignum sese reddiderit, vel, propria culpa, notabile passus sit famae detrimentum. In locum Consultoris recedentis, sive remotionis sive renuntiationis via, Episcopus alium sufficiet, de consilio tamen reliquorum Consultorum. Cum vero triennium expirare contigerit tempore vacationis sedis Episcopalis, Consultores in officio manebunt usque ad accessum novi Episcopi, qui, intra sex menses a capta pacifica possessione Sedis, ad Consultorum electionem peragendam tenetur [1].

245. Votum seu consilium eorum Episcopus exquirat: 1° pro convocatione Synodi dioecesanae; 2° pro divisione et dismembratione paroeciae, aut pro unione paroeciarum; 3° pro tradenda in perpetuum Regularibus aliqua paroecia, quod tamen, etiamsi probent omnes, in praxim non deducat sine venia Sedis Apostolicae;

[1] Conc Plen. Sydneiense an. 1885, art. 34.

4° pro eligendis examinatoribus synodalibus, si Synodus dioecesana non sit de facili congreganda, praehabito tamen apostolico indulto; 5° in quolibet arduo negotio gubernationis dioecesis; 6° quando agitur de alienandis bonis Ecclesiasticis, quae valorem mille scutatorum seu quinque millium francorum superant, nec non in constituendis hypothecis aliisque quae speciem alienationis prae se ferunt; praevia insuper venia Sanctae Sedis ad huiusmodi alienationes necessaria [2].

246. Votum Consultorum « est semper consultivum, et sententia definitiva Episcopo est reservata; quando enim Canones dicunt aliquid ab Episcopo de Capituli vel cleri consilio agendum esse, non propterea necessitatem ipsi Episcopo inducunt illud sequi, nisi expresse id cautum sit » [3].

CAPUT VII.

De Examinatoribus Synodalibus.

247. In unaquaque dioecesi, sex saltem Examinatores cleri constituantur, qui « sint magistri seu doctores aut licentiati in Theologia aut Iure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei: iurentque omnes ad sancta Dei Evangelia, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus exacturos » [3].

248. Caveant Examinatores, ne quidquam prorsus

[1] Cfr. Conc. Plen. Sydneiense an. 1885, art. 31, 32.
[2] Ita S. C. Prop. Fid. circa Commissionem investigationis pro Statibus Foederatis 20 Iulii 1878. V. Appen. n. XLIII.
[3] Conc. Trid. sess. 24. cap. 18 de ref.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

occasione examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin simoniae vitio infecti tam ipsi quam alii dantes habeantur [1].

249. Examinatorum Synodalium electio fieri debet in Synodo dioecesana. Aliter Episcopus Sanctam Sedem adeat pro opportunis facultatibus. Et in tota hac materia prae oculis habeantur normae a Tridentina Synodo praescriptae, et doctrina Benedicti XIV in aureo opere de Synodo Dioecesana, lib. 4. c. 7.

250. Ipsis Examinatoribus vel aliis ab Episcopo designandis subdantur qui ad sacram Ordinationem vel ad confessiones audiendas admittendi sunt, nisi quos eorum Episcopus ab examine exemptos faciat, propterea quod aptos esse aliunde sibi certo constiterit. Meminerint omnes, ad quos spectat, posse Episcopum ad examen revocare parochos et rectores semel approbatos ad curam animarum, si quando adsit vehemens suspicio de illorum imperitia; item posse ad huiusmodi examen procedere etiam extra visitationem: ad quod haud necessarium est ut iudiciales probationes imperitiae praecedant [2].

CAPUT VIII.
De Vicariis Foraneis.

251. Cum Episcopus ubique dioeceseos adesse non possit, nec omnia propriis oculis ipse inspicere, pluribus abhinc saeculis invecta est consuetudo, ut per Vicarios Foraneos partem suae potestatis exerceat [3]. Igitur Vi-

1 Cfr. Conc. Trid. sess. 24, cap. 18 de ref.
2 S. C. C. 15 Ian. 1667, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 3. n. 277.
3 Conc. Prov. Venet. an. 1859, p. 2. c. 11.

carios Foraneos « in oppidis insignibus, vel ubi Episcopi necesse iudicaverint, ad sui beneplacitum ipsi constituant »; qui sint « doctrina, pietate et prudentia praediti, qui pro Deo et propter Deum Evangelium non erubescant, sed de Clericorum et Laicorum vita ac moribus, et quomodo parochi aliique animarum rectores in pastorali officio se gerant, diligenter inquirant, et in laternis scrutentur; ad Episcopos fideliter delaturi, num Clerus et populus, ut decet, vivant, num proprius in Ecclesiis cultus adhibeatur, num supellex, sacra praecipue, debito nitore conservetur, et visitationum decreta suae sint executioni mandata » [1]. Clerico quopiam sui districtus graviter aegrotante, per se vel per alium, ad eum invisendum accedat, eiusque spiritualia et saecularia negotia componere curet.

252. Quamvis iura Vicarii Foranei, pro singularum dioecesium conditionibus, in Synodo dioecesana describere oporteat [2], eorumque iurium modificatio Episcoporum arbitrio relinquenda sit; curandum tamen est, ut facultatum, quae hisce Vicariis tribuuntur, limites non ita late extendantur, ut Episcopi enervetur potestas; at non ita stricte circumscribantur, ut nullius aut parvi momenti coram caeteris existimentur [3].

253. In concedendis facultatibus Vicariis Foraneis, Episcopi sciant gravium causarum cognitionem huiusmodi Vicariis committi non posse. Item Vicarios Foraneos posse quidem sumere informationes extraiudiciales pro matrimoniis contrahendis, sed non in forma iudicii: non posse sibi inobedientes coercere, nec eis poenam imponere; posse tamen amicabiliter iurgia inter

1 Conc. Roman. an. 1725, tit. 7. c. 2.
2 Cfr. Conc. Prov. Ravennat. an. 1855, p. 4. c. 9.
3 Conc. Prov. Venet. an. 1859, p. 2. c. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

sacerdotes et clericos orta in suo districtu componere, sed non per viam iuris. Denique Episcopi non possunt praecedentiam super alios sacerdotes, vel speciales honores, in ecclesiis, Vicariis Foraneis, uti talibus, concedere. Siquidem Vicario Foraneo, ratione sui Vicariatus, nulla super sacerdotes ipso antiquiores et digniores praeeminentia in choro aut in publicis processionibus competit, nec ullum ius ecclesiasticas functiones obeundi ratione Vicariatus: sed ipsi tamquam simplici sacerdoti locus inter alios, iuxta receptionis suae tempus, est assignandus [1], non obstante quacumque Episcopi in contrarium provisione, vel quibuscumque decretis synodalibus, neque obstante consuetudine contraria, etiam immemorabili [2]: et eiusmodi praescriptiones habent locum, tam in actibus sacerdotalibus, quam in aliis actibus, in quibus iidem Vicarii Foranei assistunt uti Vicarii. Praecedentia tamen ipsis debetur, si quando aliquibus clericorum congregationibus intersunt tamquam *delegati Episcopi*.

254. Parochi tamen aliique sacerdotes Vicarium Foraneum reverenter excipiant, eumque monentem ac fraterna caritate corrigentem audiant eique pareant, ne ad Episcopum recurrere cogatur, ut ipse corrigenda corrigat, et legibus dioecesanis aliisque ecclesiasticis praescriptionibus inobedientes coerceat.

255. Vicarii Foranei tenentur secretum servare circa monitiones errantibus datas et circa informationes de vita et moribus sacerdotum proprii Vicariatus ad Episcopum transmissas, ne inefficax evadat eorum zelus, aut contra leges prudentiae et iustitiae peccent. Et

[1] S. R. C. 14 Dec. 1593 (n. 43).
[2] S. R. C. 16 Iunii 1663 (n. 1261).

singulis annis, mense Ianuario, proprii vicariatus rationem, scripto exaratam, ad Episcopum transmittant, in qua adnotentur non solum quae intra annum bene gesta sint, sed etiam quae mala obrepserint, quae scandala exorta, quae remedia ad ea reparanda adhibita, quidve adhuc agendum existiment ad ea e radice extirpanda [1].

CAPUT IX.

De Parochis et de regestis parochialibus.

256. Magni profecto facienda est Parochorum institutio, qui cum immediati coadiutores Episcoporum censeantur, ut christianae plebi continuo consulant, ab ipsis pendere patet sanos populorum mores, si muneri proprio cum vero animarum zelo satis studuerint facere. « Neque vero ignoratis, ait Pius IX, maiori diligentia vobis in illorum praecipue mores et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur, ut ipsi, tamquam fideles multiformis gratiae Dei dispensatores, plebem sibi concreditam, Sacramentorum administratione, divini verbi praedicatione ac bonorum operum exemplo, continenter pascere, iuvare, eamque ad omnia religionis instituta ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant » [2].

257. Parochorum institutionem unice Episcopis competere res est in Iure manifesta, qui sunt omnium dioecesis propriae beneficiorum collatores.

[1] Synod. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 4. art. 4.
[2] Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembr. 1846.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sacerdotes et clericos orta in suo districtu componere, sed non per viam iuris. Denique Episcopi non possunt praecedentiam super alios sacerdotes, vel speciales honores, in ecclesiis, Vicariis Foraneis, uti talibus, concedere. Siquidem Vicario Foraneo, ratione sui Vicariatus, nulla super sacerdotes ipso antiquiores et digniores praeeminentia in choro aut in publicis processionibus competit, nec ullum ius ecclesiasticas functiones obeundi ratione Vicariatus: sed ipsi tamquam simplici sacerdoti locus inter alios, iuxta receptionis suae tempus, est assignandus [1], non obstante quacumque Episcopi in contrarium provisione, vel quibuscumque decretis synodalibus, neque obstante consuetudine contraria, etiam immemorabili [2]: et eiusmodi praescriptiones habent locum, tam in actibus sacerdotalibus, quam in aliis actibus, in quibus iidem Vicarii Foranei assistunt uti Vicarii. Praecedentia tamen ipsis debetur, si quando aliquibus clericorum congregationibus intersunt tamquam *delegati Episcopi*.

254. Parochi tamen aliique sacerdotes Vicarium Foraneum reverenter excipiant, eumque monentem ac fraterna caritate corrigentem audiant eique pareant, ne ad Episcopum recurrere cogatur, ut ipse corrigenda corrigat, et legibus dioecesanis aliisque ecclesiasticis praescriptionibus inobedientes coerceat.

255. Vicarii Foranei tenentur secretum servare circa monitiones errantibus datas et circa informationes de vita et moribus sacerdotum proprii Vicariatus ad Episcopum transmissas, ne inefficax evadat eorum zelus, aut contra leges prudentiae et iustitiae peccent. Et

[1] S. R. C. 14 Dec. 1593 (n. 43).
[2] S. R. C. 16 Iunii 1663 (n. 1261).

singulis annis, mense Ianuario, proprii vicariatus rationem, scripto exaratam, ad Episcopum transmittant, in qua adnotentur non solum quae intra annum bene gesta sint, sed etiam quae mala obrepserint, quae scandala exorta, quae remedia ad ea reparanda adhibita, quidve adhuc agendum existiment ad ea e radice extirpanda [1].

CAPUT IX.

De Parochis et de regestis parochialibus.

256. Magni profecto facienda est Parochorum institutio, qui cum immediati coadiutores Episcoporum censeantur, ut christianae plebi continuo consulant, ab ipsis pendere patet sanos populorum mores, si muneri proprio cum vero animarum zelo satis studuerint facere. « Neque vero ignoratis, ait Pius IX, maiori diligentia vobis in illorum praecipue mores et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur, ut ipsi, tamquam fideles multiformis gratiae Dei dispensatores, plebem sibi concreditam, Sacramentorum administratione, divini verbi praedicatione ac bonorum operum exemplo, continenter pascere, iuvare, eamque ad omnia religionis instituta ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant » [2].

257. Parochorum institutionem unice Episcopis competere res est in Iure manifesta, qui sunt omnium dioecesis propriae beneficiorum collatores.

[1] Synod. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 4. art. 4.
[2] Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembr. 1846.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

258. Quoniam ars artium regimen animarum, Parochi serio perpendant haec verba Concilii Tridentini: « Praecepto divino mandatum *est* omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in caetera munia pastoralia incumbere; quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt » [1].

259. Igitur Parochi et omnes animarum curatores in propria paroecia, intima officii ratione, resideant, sub mortalis culpae reatu, et sub poenis a iure praescriptis [2]. Absque Episcopi sive eius Vicarii vel saltem Vicarii foranei licentia, idoneo tamen et probato Sacerdoti paroecia commissa, minime discedant. Et singulorum Episcoporum erit, hac in re, opportunas normas praescribere. Discedendi autem per bimestre facultatem, quam sacri Canones indulgent, non nisi aequa de causa ab Episcopo obtineant [3], et nunquam sacris Adventus vel Quadragesimae diebus ac festis solemnioribus, quibus refici maxime et in Domino gaudere pastoris praesentia oves debent.

260. Omnes Parochi fidei puritatem et morum integritatem in populo sibi commisso sartam tectam servare studeant: ac sedulo inspiciant num adsint qui errores pravasque doctrinas disseminent aut insinuent, moresque corrumpant atque incautos decipiant: et hos

1 Sess. 23. cap. 1 de ref.
2 Conc. Trid. ibid.
3 Cfr. Conc. Trid. ibid.

tum pro viribus insectentur, tum Episcopis denuntiare festinent, a quibus consilia opportuna et mandata humiliter et tempestive postulent. Publica scandala et serpentes abusus convellere satagant, suspecta consortia inhibeant, odia et simultates tollere et discordias componere curent, pacem in familiis fovere et inducere studeant [1].

261. Administrationi Sacramentorum sedulitate et caritate impensissima intendant. Et non solum petentibus riteque dispositis, absque ulla personarum acceptione, Sacramenta prompto hilarique corde conferre curent, sed et fideles omnes sollicitare, ut ad hos salutis fontes frequenter properent et religiose accurrant [2]. Indefessi sint in confessionibus audiendis: et quotidie, hora fidelibus etiam infimae plebis magis accommodata, ad confessionalem sedem accedant, poenitentes audituri; et ubicumque fieri poterit, aliquoties per annum, occasione praesertim maiorum solemnitatum, extraordinarium confessarium advocent.

262. Peculiari caritatis sollicitudine praesto sint aegrotis, praesertim in vitae discrimen adductis; visitent eos frequenter, etiam non accersiti, instruant, consolentur, et quod magni interest, Sacramentis communiant, cavendo quam maxime, ne eorumdem receptio eo usque differatur, ut vel morte praerepti, tanto bono penitus defraudati e vita discedant, vel mortis doloribus afflictati et oppressi, ea minus fructuose percipiant. Ne obliviscantur tandem animarum pastores, Sacramenta, etiam cum vitae periculo, ubi extrema sa-

1 Cfr. Synod. Dioec. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 4. art. 5.
2 Cfr. Conc. Prov. Urbinat. an. 1859, art. 132, et Ultraiect. an. 1865, tit. 2. cap. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lutis necessitas intervenerit, esse parochianis dispensanda [1].

263. Institutioni fidelium in doctrina fidei et morum sedulo incumbant, iuxta praescripta Concilii Tridentini, dicentis: « Quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis, et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis, cum brevitate et facilitate sermonis, vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat » [2]. Igitur ab obligationibus praedicandi et catechizandi haud eximit contraria consuetudo, quae damnanda prorsus est dicenda corruptela [3]. Et prae oculis habeant et diligenter servent, quae de doctrina, de scholis et de Indorum spirituali cura, alibi dicuntur.

264. Templorum nitorem et omnium ad Dei cultum spectantium decentiam, quantum vires suppetunt, curent et ament: in parochiali ecclesia SS. Eucharistiae Sacramentum assidue servent. Accurate igitur ac diligenter ad praxim deducere satagant, quae in titulo de Cultu Divino praescribuntur.

265. Parochi ecclesiarum suarum bona ac iura strenue tueantur. Ne quid autem detrimenti ecclesiarum bonis et rebus sive mobilibus sive immobilibus obveniat, quilibet Parochus accuratam omnium et singulorum paroeciae et ecclesiae suae bonorum ac rerum

1 Conc. Prov. Ravennat. an. 1855, p. 4. cap. 4.
2 Conc. Trid. sess. 5. cap. 2 de ref.
3 Cfr. Const. Innoc. XIII *Apostolici ministerii*, 13 Mali 1723. V. Appen. n. VI.

descriptionem, quam dicunt inventarium, in duplici exemplari conficiat; quorum unum in curia dioecesana, alterum in propriae ecclesiae archivio servabitur. Unaquaeque igitur parochialis ecclesia proprium tabularium sive archivium habeat, ubi regesta missarum, parochiales libri, sacrae visitationis decreta, edicta et litterae pastorales Ordinarii, instrumenta quoque et inventaria et documenta omnia ad ecclesiae ipsius bona, iura ac privilegia et onera quomodocumque pertinentia fideliter custodiantur [1].

266. Quoniam ad parochos pertinet miserabilium personarum curam habere [2], sollicite de viduis, pupillis, orphanis, senio confectis inquirant, aliisque temporali aut spirituali misericordia indigentibus, quibus pro viribus opitulari studeant, aliosque hortatu ad id officii excitent.

267. Ut ministerium suum fructuose exerceant, sedulo caveant Parochi ab inordinato parentum et cognatorum amore, qui *multorum malorum in Ecclesia seminarium* extat. Absque Episcopi venia, consanguineos aut affines, praeter unum vel alterum, in suam parochialem domum habitualiter non recipiant. Nunquam autem admittant consanguineos, aut famulos cuiuscumque conditionis sint, qui vel bonis moribus haud commendentur, vel pastoralium munerum implemento bonoque parocciae regimini impedimenta inferant. Meminerint insuper iidem Parochi per ecclesiasticas praescriptiones omnino interdici studium augendi consanguineos aut familiares ex Ecclesiae reditibus [3].

268. Quoniam scriptum est: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera* (Prov. XXVII. 23),

1 Synod. dioec. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 4. art. 5.
2 Conc. Trid. sess. 23. cap. 1 de ref.
3 Cfr. Conc. Trid. sess. 25. cap. 1 de ref.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Parochus, quasi bonus pastor, oves suas agnoscat; videlicet, quatenus fieri poterit, omnes et singulos in propria paroecia degentes; eorumque conditionem, necessitates, indolem, vitam moresque cognitos et exploratos habere curet. Inquirat propterea de hisce omnibus diligentissime, probatiores eiusdem paroeciae viros, praesertim patresfamilias, interrogando. Ut vero facilius exactiusque cognitionem illam assequi possit, accuratissime conficiat *statum*, quem vocant, *animarum*, et in libris distinctis nomina tum *baptizatorum* et *confirmatorum*, tum *matrimonio iunctorum* et *defunctorum*, praescriptis verborum formulis, de vice in vicem, sine mora describat [1]. Qui libri ab Ordinario vel eius delegato recognoscantur.

269. Absente parocho, si parochia coadiutore vel alio sacerdote idoneo et approbato destituatur, parochus vicinior sacramentorum subsidia, citra proprii parochi praeiudicium, extremo morbo laborantibus ministret; quemadmodum etiam parocho aegrotante vel vita functo, et substituto eidem nondum designato [2].

CAPUT X.

De Vicariis seu Coadiutoribus parochialibus.

270. Parochus, nisi infirmitate aut senio impediatur, muneris sui partes per seipsum implere tenetur. Si autem solus non sufficiat, tot sacerdotes, quantum fieri poterit, ei adiungantur, quot pro parochianorum numero et locorum conditione ad curam animarum rite peragendam requiruntur [3].

1 Conc. Prov. Ravennat. an. 1855, p. 4. cap. 4. et alia.
2 Conc. Prov. Neapol. an. 1699, tit. 9. cap. 4.
3 Cfr. Conc. Trid. sess. 21. cap. 4 de ref.

271. Cum, ex praescripto Concilii Tridentini, « debeat Episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur » [1]; sacerdotes qui hac vel alia de causa ad plenum paroeciae regimen ab Episcopo deputantur, quocumque vocentur nomine, sive *Regentis*, sive *Oeconomi*, sive *Vicarii*, etc., iisdem obligationibus subiiciuntur, quibus parochos subiectos diximus. Quoad emolumenta autem, standum est canonicis praescriptionibus, laudabilibus consuetudinibus et legitimis statutis dioecesanis.

272. Caeteri autem Vicarii, sive Vice-Parochi, qui ad adiuvandum parochum assumuntur, meminerint ordinariam in pascendo grege iurisdictionem sibi non competere, sed ad parochos spectare, quorum tantum adiutores sunt. Proinde, nullam sibi vindicent auctoritatem disponendi de iis, quae ad parochum pertinent, nec novi quidquam alicuius momenti, sine eorum assensu, introducant. Quoniam vero adiutorium, quod parocho praestant, ad eumdem finem spectat, ad quem parochialis cura tendit; hinc, si quae necessaria vel proficua existiment proponenda, modeste et salvo meliori parochi iudicio, proferant, vel, si expedire videbitur, Episcopi examini subiiciant.

273. Peroptamus, ut, ubicumque fieri poterit, Episcopi praecipiant, ut Coadiutores parochorum apud ipsos parochos in parochiali domo habitent, et communem cum eis mensam habeant.

274. Lege residentiae Coadiutores parochorum ad-

1 Conc. Trid. sess. 24. cap. 18 de ref.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

strictos volumus; eisque prohibemus discessum a parochia, absque legitima causa, et ultra breve tempus a singulis Episcopis designandum: quo in casu sufficiat licentia parochi. Si autem ad longius tempus abesse velint, causas exponant Curiae Episcopali, et licentiam Episcopi vel eius Vicarii Generalis expectent.

275. In Synodo dioecesana, fiat accurata descriptio obligationum et iurium Coadiutorum parochorum, prae oculis habitis legitimis regionis consuetudinibus, populorum indigentiis, et omnino servatis canonicis praescriptionibus, ut in dioecesi tuta habeatur norma, ab iis, quorum intersit, retinenda, unde et facilius servetur mutua concordia, quae omnino intercedere debet inter parochum et coadiutores, et salva sit lex reverentiae et humilis dependentiae, qua inferiores erga superiores tenentur. Sciant tamen Coadiutores huiusmodi, ipsis non licere matrimoniis assistere, absque legitima delegatione.

CAPUT XI.

De caeteris Rectoribus seu Cappellanis.

276. Rectores seu Cappellani ecclesiarum non parochialium et piarum domorum, uti monasteriorum ac domorum monialium et sororum, collegiorum, hospitalium, carcerum, etc., prae oculis habeant obligationes parochorum, sive quoad regimen animarum, sive quoad cultum divinum, in ecclesiis seu oratoriis, quorum curam habent: caveant ne quidquam agant iuribus parochialibus contrarium: et cum parocho, in cuius parochia situm est ipsorum domicilium vel institutum, solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo

pacis [1]. Igitur per respectivos Ordinarios accurate describantur eorum facultates.

277. Parochi vero ab omni iurium parochialium exaggerata praetensione abstinentes, fraternam concordiam cum huiusmodi rectoribus seu cappellanis servare curent: in casibus dubiis nihil ex seipsis resolvant, sed Episcopum adeant: omnesque, quorum intersit, ad memoriam revocent canonicas praescriptiones et decreta recentiora Sacrarum Congregationum [2].

CAPUT XII.

De aliis Sacerdotibus.

278. Omnes sacerdotes et clerici servitio alicuius ecclesiae adscribantur, ad mentem Concilii Tridentini, dicentis: « Cum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis; sancta Synodus, vestigiis sexti canonis Concilii Chalcedonensis inhaerendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae, aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur » [3].

279. Ne qui eximi velint, eo quod nullum beneficium vel ecclesiasticum officium habent, peroptamus ut ad praxim deducatur ab omnibus, qui aliis ecclesiasticis ministeriis vel legitimo impedimento non excu-

[1] Cfr. Conc. Prov. Tolosan. an. 1850, art. 45.

[2] Confer praesertim declarationem S. C. C. in una *Aurien.*, 14 Aug. 1863. V. Appen. n. XXIII.

[3] Conc. Trid. sess. 23. cap. 16 de ref.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

santur, hoc gravissimum monitum Innocentii XIII: « Cum personae ecclesiasticae numquam satis in obsequiis supremo Numini exhibendis, iisque praestandis, quae eorum statui consentanea sunt, exerceri valeant, plurimum in Domino commendamus pium morem..., ut clerici, tam in minoribus quam in maioribus ordinibus constituti, atque etiam presbyteri, tametsi beneficia vel officia ecclesiastica non habentes, superpelliceo induti in ecclesiis, quibus adscripti fuerint, Missae conventuali cum cantu celebratae, nec non primis et secundis vesperis officii, diebus dominicis aliisque festis, assistant » [1].

280. Simplices sacerdotes, illud Apostoli ad Timotheum (1. IV.) memoria retinentes: *Attende tibi et doctrinae: insta in illis, hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audient*, non otio indulgere, sed potius sacris studiis seduliorem navare operam debent, quo facilius efficiantur idonei ad Sacramentorum administrationem, ad Christi documenta tradenda, et ad parochos in animarum salute procuranda libenti animo et acri studio coadiuvandos [2]. Quapropter graviter reprehendendi sunt, et, si opus fuerit, canonicis sanctionibus puniendi, presbyteri, qui sacerdotalium officiorum immemores, otiosi manent in vinea Domini; et ubi gravis populorum necessitas eorum ministerium, praesertim in confessionibus opportuno tempore audiendis, expostulat, non possunt absque reatu operam parochis denegare: imo in huiusmodi adiunctis, si qui ex defectu scientiae inhabiles existunt, debent pro viribus ita studiis vacare, ut, quovis praetextu remoto, idonei reddantur et saluti proximorum attendant.

[1] Innoc. XIII. Const. *Apostolici ministerii*, 13 Maii 1723.
[2] Consess. Episc. Umbriae an. 1849, tit. 8. § 6.

CAPUT XIII.

De Synodo Provinciali et Dioecesana.

281. « Cum ex hoc quia Episcoporum Concilia (Provincialia) minime vel raro sunt celebrata, multae sane, quae correctione opus habent, ecclesiasticae res negligantur, controversiae percrescant, fidelium mores deformentur, et Religio ipsa in dies non pauca sustineat, eisdem contra eam pugnantibus sanctae matris Ecclesiae filiis » [1]; ad normam Concilii Tridentini, mandamus, ut « Provincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex Sacris Canonibus permissis, renoventur » [2].

282. Igitur, tempore legitimo, « Metropolitani per se ipsos, seu, illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior.... post Octavam Paschae Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, seu alio commodiori tempore, pro more Provinciae, non praetermittat Synodum in Provincia sua cogere, quo Episcopi omnes, et alii qui de iure vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur » [3].

283. Leo XIII pro tota America Latina concessit, « ut Concilii provincialis celebratio ad duodecim annos differri possit, reservato Metropolitae iure illud frequentius, prout necessitas postulaverit, celebrandi, nisi aliter per Sedem Apostolicam postea ordinatum fuerit » [4].

[1] Conc. Roman. an. 1725, tit. 2. cap. 2.
[2] Conc. Trid. sess. 24. cap. 2 de ref.
[3] Ibid.
[4] Leo XIII. Litt. Apost. *Trans Oceanum*, 18 Aprilis 1897. V. Appen. n. CIV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

284. Quoties Provincialia Concilia celebranda sunt, excitetur zelus cleri et populi, ut per assiduas preces faustam Synodi celebrationem et exitum obtineant: et omnes, sive Praelati sive subditi, maximi faciant huiusmodi provinciales conventus. « Revera ab Episcopis simul convenientibus, ut ad gloriam Dei animarumque salutem procurandam salubria et opportuna ineant consilia, plurimum utilitatis Ecclesia merito praestolatur. Si enim, quod aperte docuit Christus Dominus, ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine Eius, in medio eorum Ipse est, multo magis sua gratia fulcire non dubitandum Episcopos, qui in nomine Eius congregati studiose inquirant, religiose decernant, quae ad catholicam doctrinam et unitatem latius propagandam, ad errores profligandos, ad restituendam, ubi collapsa sit, ecclesiasticam disciplinam, ad mores corrigendos, ad procurandam, ubi opus est, pacem animorumque concordiam pertinent » [1].

285. Ut autem Conciliorum Provincialium praescripta accuratius serventur, et pastoralis vigilantia efficacior evadat, legitimo tempore, Synodi quoque Dioecesanae celebrentur, « ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium aut aliarum saecularium Ecclesiarum etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse » [2].

286. Difficultates contra frequentem Synodorum celebrationem pro viribus superare procurent Episcopi;

[1] Leo XIII. Epist. ad Patriarch. Armen. Ciliciae, de Synod. Patriarch., 29 Iun. 1890.
[2] Conc. Trid. sess. 24. cap. 2 de ref.

nam « si perutile fuit semper Clerum interdum convenire ad constringenda mutuae caritatis vincula, agendumque de disciplina, ac tuendis promovendisque Ecclesiae negotiis, id multo opportunius est hodie, atque adeo necessarium, dum omnes adhibentur artes ad disgregandos animos, ad Clerum abducendum a proprio Pastore Populumque a Clero, ad subvertendas leges ipsamque constitutionem Ecclesiae, ad unitatem plane dissolvendam » [1]. Caeterum huiusmodi difficultates haud superant impedimenta in regionibus missionum existentia, pro quibus tamen Apostolica Sedes saepe urgendos duxit synodales conventus: « Operam impendant quotquot sunt Missionum Praesides, ut, quod ad fovendam fidei ac disciplinae unitatem plurimum interest, synodales saepe conventus celebrentur, unde maxime fiet, ut una eademque sit operariorum agendi atque administrandi ratio et studiosissima animorum coniunctio » [2].

287. Neque Episcopum deterrere debet necessitas fidelium insufficientem sacerdotum numerum habentium; nam, eo in casu, impetrato Apostolico Indulto, Episcopus « singulis vicibus aut dimidiam partem Rectorum..., aut illos ad Synodum vocare poterit, quos vocandos opportunius in Domino iudicabit » [3]. Si tamen ob insuperabiles difficultates formales Synodi Dioecesanae celebrari non possint, curent Episcopi, saltem singulis biennis, parochorum et sacerdotum doctrina ac prudentia praestantiorum congregationem convocare,

[1] Pius IX. Epist. ad Cler. Viglevan. 4 Sept. 1876 (Acta S. Sedis, IX, pag. 433).
[2] Instr. S. C. de Prop. Fide 24 Nov. 1845 (Coll. P. F. n. 100).
[3] S. C. de Prop. Fide ad Archiep. Milwaukien. 29 Iulii 1889 (Coll. P. F. n. 117).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in qua tractentur, et Episcopi auctoritate statuantur, quaecumque in Domino pro bono Ecclesiae et fidelis populi regimine videbuntur expedire [1].

288. Sedulo cavendum est a multiplicitate legum seu ordinationum synodalium, quarum necessitas probata non sit; ideoque in omnibus futuris Synodis, sive provincialibus, sive dioecesanis, insistendum est praesertim in observantia praescriptionum canonicarum, et decretorum huius Concilii Plenarii; deinde de singulis provinciae vel dioecesis indigenuis parce et opportune agendum erit. Haec omnia dicta sint, salva celebratione episcopalium conventuum singulis saltem trienniis, ut dictum est supra [2].

CAPUT XIV.

De Regularibus.

289. Neminem latet, « ubicumque est Ecclesiae catholicae libertas constituta, ibi religiosos Ordines sponte coalescere: ipsos enim tamquam ex stirpe quadam existere (constat) et quasi nasci ex Ecclesia; et perinde esse atque auxiliares copias, his temporibus maxime necessarias, quarum solertiam et industriam, cum in perfunctione munerum sacrorum, tum in hominibus christiana caritate adlevandis, peropportune atque utilissime Episcopi adhibeant » [3]. Quapropter dolemus « iniurias et damna illata religiosis Regularium Ordinum familiis, quae a sanctissimis institutae viris, magno usui et ornamento, tum catholicae Ecclesiae, tum civili etiam societati commodo et utilitati sunt, quaeque

[1] Cfr. Conc. Prov. Vallisol. an. 1887, p. 2ª. tit. 7.
[2] V. supra art 208.
[3] Leo XIII. Epist. *Perlectae*, 22 Oct 1880.

omni tempore de religione ac bonis artibus, deque animarum salute optime meruerunt » [1]; cuius rei, tota America nostra, per religiosas praesertim familias Christo et Ecclesiae genita et in christiana urbanitate educata, nobilissimum exemplum et mirabile argumentum existit.

290. Regularium abolitio, ab hodiernis Ecclesiae osoribus decantata, « laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum; laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam, tamquam Apostolicae doctrinae consentaneam; laedit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, qui non nisi a Deo inspirati eas instituerunt societates » [2].

291. Dum autem Regularium inclyta merita et instituti sanctitatem debitis celebramus laudibus, atque accepta ab eis in regionibus nostris beneficia gratissimo animo recolimus, illos in Domino hortamur, ut in institia et vitae perfectione alacriter pergere studeant, de coelestibus benedictionibus et Episcoporum Americae Latinae existimatione et protectione securi. Meminerint omnes regulares, praesertim eorum moderatores, huius saluberrimi praecepti Concilii Tridentini, illudque accuratissime servent: « Quoniam non ignorat Sancta Synodus, quantum ex Monasteriis pie institutis et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur, necessarium esse censuit, quo facilius ac maturius, ubi collapsa est, vetus et regularis disciplina instauretur, et constantius, ubi conservata est, perseveret, praecipere, prout hoc decreto praecipit, ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad regulae,

[1] Leo XIII. Litt. Apost. *Dolemus*, 13 Iul. 1886.
[2] Pius VI. Litt. Apost. *Quod aliquantulum*, 10 Martii 1791 (Acta Pii VI pro Gallia, I. pag. 108).

quam professi sunt, praescriptum, vitam instituant et componant; atque in primis, quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et castitatis, ac si quae alia sunt alicuius regulae et Ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam, necnon ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent: omnisque cura et diligentia a Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis Generalibus et Provincialibus, quam in eorum visitationibus, quae suis temporibus facere non praetermittant, ut ab illis non recedatur » [1].

292. Ne autem, occasione civilium suppressionum, quas non raro etiam in nostris regionibus, maximo cum animarum, immo publicae prosperitatis nocumento, factas esse dolemus, Religiosi spiritum proprii Ordinis amittant, et inanis evadat futurae restaurationis spes; omnes Episcopi et Moderatores Regularium prae oculis habeant sequentes declarationes Sanctae Sedis, scilicet:

I. Curandum est pro viribus «ut Regulares a propriis domibus expulsi, praesertim vero Clerici professi, quatenus in aliud coenobium recipi nequeant, in peculiarem aliquam domum, a Superioribus suis designandam, conveniant; ibique regulam, quam professi sunt, meliori quo fieri potest modo, observare non omittant, facta cuique, absque debita licentia, discedendi prohibitione » [2].

II. « Pariter curandum, ut etiam Regulares, qui extra claustra et praefatas domos, tamquam saecularizati ad tempus, vivere coguntur, in sua vocatione permaneant, votaque solemnia, quibus se Deo consecrarunt, meliori similiter quo fieri possit modo, persolvant.

[1] Conc. Trid. sess. 25. cap. 1 de regular.

[2] S. Poenit. 18 April. 1867 (Coll. Instruct. et Decl. Sacr. Rom. CC. pro Italiae Regul. suppressis, pag. 7).

Unde omnibus Superioribus Regularibus Sacra Poenitentiaria declarat, ipsorum iurisdictionem in proprios subditos suppressos, etiam extra claustra degentes, minime cessasse. Nam, licet quisque Regularis degens extra claustra, quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam, ab iurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, attamen quoad disciplinam regularem, et obligationes, quae ex religiosa professione promanant, et cum novo eius statu sunt compatibiles, propriis Superioribus subesse eisque obedire tenetur » [1].

III. « Decernit praefatas domos, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum convenerint Regulares, quorum unus ad minus sit Sacerdos, iurisdictioni Ministri Provincialis fore subiectas, easque regendas esse per peculiarem Superiorem ibi constituendum » [2].

IV. Si autem, vel ob exilium, vel aliis de causis, aliquis Religiosus extra regularis suae Provinciae territorium permanere debeat, non ideo a iurisdictione Ordinis solvitur, ut expresse declaravit Sancta Sedes his verbis: « Sacra Congregatio super Disciplina Regulari decrevit, ut universi omnes Religiosi, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, cuiuscumque gradus aut conditionis professi, quamdiu, propter hodiernas, ut innuimus, circumstantias, extra Regularis Provinciae fines, sive alibi, degere illos contigerit, inspectioni et iurisdictioni subiiciantur territorialis Provincialis; qui de ipsorum moribus et consuetudine, quotannis, et quandocumque rogatus, respectivo Provinciali referat; eosque delegata ac plena potestate in officio contineat » [3].

V. Tandem, sciant omnes ad quos spectat, « non

[1] S. Poenit. ibid.

[2] Ibid. pag. 8.

[3] Decret. 5 Aug. 1872 (ibid. p. 28).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

esse relinquenda monasteria, ac domos religiosas, nisi adsit coactio et proximum periculum violentiae, et a Superioribus, quatenus expedire videatur, praemittendam esse protestationem » [1].

293. Quapropter, si forte, quod Deus avertat, aliqui Religiosi civiliter suppressi, infausto libertatis et independentiae desiderio decepti, sub praetextu suppressionis, debitam suis Moderatoribus obedientiam denegaverint, aut, invocata exemptione, iugum episcopalis vigilantiae et auctoritatis excutere ausi fuerint, graviter moneantur et debitis poenis canonicis puniantur, ad normam iuris: quare, enixe commendamus tum Episcopis tum Praelatis regularibus, ut alter alterius auctoritatem et potestatem fortiter sustineat.

294. Igitur conservationi et restitutioni regularium domorum et ecclesiarum totis viribus intendere curent tum Praelati regulares, tum locorum Ordinarii. Neque negligentiam excusaret ratio deducta ex remissione religiosae observantiae in aliqua familia regulari. Cui obiectioni sapienter respondit Pius VI, dicens: « At propterea ne abolendi illi sunt Ordines? Audiatur hanc ad rem, quod in Concilio Basileensi obiecit Petro Bayne Regulares oppugnanti Ioannes de Polemar. Iste minime quidem negavit invaluisse aliqua inter Regulares reformatione digna: illud tamen adiunxit, quod *licet in Religiosis multa sint hoc tempore quae reformatione indigent, sicut et in caeteris statibus; tamen nihilominus multum illuminant Ecclesiam praedicationibus et doctrinis; et nemo prudens, in caliginoso loco existens, lucernam extinguit non bene sibi lucentem, sed habentem succum seu scoriam curat aptare, quo melius potest. Nam*

[1] S. Poenit. 28 Iunii 1866 (ibid. pag. 2).

melius est, quod aliquantulum turbide luceat, quam si penitus esset extincta » [1].

295. Exemptionem Regularium, « cuius utilitas ecclesiasticis sanctionibus, longaque saeculorum plurium experientia, et vel ipso haereticorum et incredulorum in illam odio, comprobata est » [2], canonicis limitationibus et praescriptionibus moderatam, libenter agnoscimus. Cuius causam et rationem SSmus D. N. Leo XIII adducit in Constitutione *Romanos Pontifices* [3] dicens: « Quo melius in religiosis Ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique, ut esset incremento et perfectioni religiosae conversationis consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regendos attribuere, Clerum Regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei non ea fuit causa, quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem; sed quod earum domus habitae fuerint, iuris fictione, quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa.... Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae ».

296. Ad praecipuas autem difficultates et minus rectas iuris interpretationes e medio tollendas, ad iura utriusque cleri, saecularis scilicet et regularis, melius

[1] Pius VI. Litt. *Quod aliquantulum*, 10 Martii 1791 (Acta Pii VI pro Gallia, I. pag. 107).

[2] Gregorius XVI. Cfr. epist. Archiep. Mechlinien. 15 Ian. 1836. Vid. Collect. Lacens. tom. III. p. 563.

[3] Edita VIII Idus Mali 1881. V. Appen. n. XLVI.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DERECHO CANONICO

dignoscenda, et ad tutiorem normam habendam, a SSmo D. N. Leone Papa XIII impetravimus extensionem ad totam Americam Latinam laudatae Constitutionis *Romanos Pontifices*, VIII Idus Maii 1881 ab Ipso editae pro Regularibus Angliae, et ad plurimas totius orbis regiones, etiam americanas, deinceps extensae.

297. Igitur, ad normam istius Constitutionis, retinendum est: « Regulares, qui in residentiis Missionum (ac proinde in domibus parochialibus regularibus) commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac Regulares intra claustra viventes; praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem » [1].

298. Item: « Omnes Missionum rectores (ac proinde omnes parochos) Cleri collationibus adesse ex officio debere; simulque decernimus ac praecipimus, ut iisdem intersint vicarii quoque, aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia parvasque missionum domos incolunt ». Quoad Synodos autem dioecesanas, « standum esse decretis Synodi Tridentinae ». Et circa decreta Synodorum huiusmodi, id memoria tenendum: « Fas est nimirum Regularibus appellare (ad Sanctam Sedem) *in devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum, quae de iure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum, etiam *in suspensivo* » [2].

299. Quoad dismembrationem paroeciae: « Si divisio fiat paroeciae veri nominis, sive antiquitus conditae, sive recentiore memoria iure constitutae, dubitandum

[1] Leo XIII. Const. *Romanos Pontifices*.
[2] Ibid.

non est, quin nefas sit Episcopo Canonum praescripta contemnere »; ideoque licere quidem Episcopis paroecias dividere, sed servata forma sancti Concilii Tridentini (cap. 4, sess. 21 *de ref.*). Quoad missiones vero, quae non sunt « verae proprieque dictae paroeciae », servetur forma Synodi I Provincialis Westmonasteriensis [1].

300. Coemeteria et loca pia fidelium multitudini communia « iurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo iure ab Episcopo visitantur ». Constat insuper Episcopos ius habere quoad omnia visitandi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac in saecularibus. « Alia profecto causa est caeterarum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri, secundum Ordinis sui praescripta, iuventuti catholicae instituendae operam dare solent; in hisce enim et ratio postulat, et Nos volumus, firma atque integra privilegia manere, quae illis ab Apostolica Sede collata sunt » [2].

301. Similiter tenendum est: « Sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere ». Denique quoad bona, Regularibus, *non qua regularibus*, sed intuitu Missionis (vel paroeciae) collata, standum est normis citatae Synodi Westmonasteriensis, prae oculis habitis praescriptionibus eiusdem Constitutionis, quae incipit: *Romanos Pontifices* [3].

302. Sciant regulares, se non posse, absque Apostolicae Sedis dispensatione, novas paroecias suscipere; et quoad alias legitime susceptas, serventur canonicae

[1] Leo XIII. Const. *Romanos Pontifices*.
[2] Ibid.
[3] Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

praescriptiones, et praesertim Constitutiones Benedicti XIV *Firmandis* anni 1744 [1], et Leonis XIII *Romanos Pontifices* anni 1881 [2].

303. Quoad admissionem Regularium ad Ordines, eorumque expulsionem a proprio Instituto, accurate serventur Apostolica praescripta, praesertim decretum *Auctis admodum* S. C. Episcoporum et Regularium, diei 4 Novembris 1892 [3]. Et monemus omnes Ordinarios, ut quoties aliquis Regularis ad eos accedat, intuitu saecularizationis obtinendae, illum gravibus animadversionibus a proposito deterrere curent: scientes vix, aut ne vix quidem, legitimas adduci causas: ideoque nihil omnino faciant, quin antea prudenter exquisiverint respectivi Praelati regularis votum. Saecularizatos autem, nonnisi difficile et adhibitis opportunis cautelis, auditoque antiquo eorum moderatore, ad regimen animarum et ad confessiones audiendas admittant: et, quoties fieri poterit, eos in locis in quibus Ordo regularis, ex quo exierunt, domus non habet, collocare satagant, ne forte alicuius consodalis vocationem debilitent, vel fidelium admirationem excitent.

304. Praeter supra designatos casus, Regulares Episcopis subiiciuntur quoad alia plurima, ex quibus pro praxi speciatim aliqua adnotanda censuimus, quae idcirco in Appendicem referri mandamus [4]. Ea quidem intelligenda sunt de omnibus Regularibus generatim, et iuxta instructiones, declarationes et decreta Sanctae Sedis; salvis tamen specialibus privilegiis, si quae alicui Ordini, provinciae vel monasterio certo concessa fuerint,

[1] V. Appen. n. XIII.
[2] V. Appen. n. XLVI.
[3] V. Appen. n. LXXXVI.
[4] V. Appen. n. CXXX.

quoad unum vel plures ex casibus in dicta Appendice designatis; quod quidem haud praesumendum est, sed probandum ad normam iuris.

305. Denique, si non obstantibus synodalibus hisce dispositionibus et monitionibus, aliqua gravis difficultas inter Episcopum et Regulares suscitetur, vel Superiores locales graviter negligentes existant in regulari conversatione subditorum procuranda, res per ipsum Episcopum et respectivum Superiorem Provincialem vel Generalem prudenter et ad normam iuris componatur: quod si optatus finis haud obtineri possit, omisso omni strepitu, totum negotium definiendum deferatur ad Sanctam Sedem. Demum, utrumque Clerum, saecularem scilicet et regularem, eorumque Moderatores, hortamur his verbis Concilii Viennensis, quae in corpus Iuris Canonici (Clementin. lib. 5, tit. 6) relata sunt, quaeque fere ex integro leguntur in Epistola Encyclica Pii IX *Ubi primum*, 16 Iun. 1847: « Quia una est regularium et saecularium, praelatorum et subditorum, exemptorum et non exemptorum, universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una fides et unum Baptisma, decet, ut omnes qui eiusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo caritatis sint adstricti. Decet igitur, et ut praelati et alii, tam exempti quam non exempti, suis iuribus sint contenti, et alter in alterius iniuriam non prosiliat seu iacturam ».

CAPUT XV.

De Monialibus seu Mulieribus Votorum solemnium.

306. Sacrae Virgines, quae ex doctrina S. Cypriani [1] veluti flores ecclesiastici germinis et illustrior portio

[1] Lib. de habit. virg. Cfr. Conc. Prov. Raven. an. 1855, p. 4. cap. 7

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gregis Christi merito celebrantur, peculiarem Episcoporum sollicitudinem postulant.

307. Nemo, praeter Summum Pontificem, Regulis a Sancta Sede approbatis quidquam addendi, aut detrahendi, aut aliquam quacumque ex ratione variationem afferendi, potestatem habet. Igitur, haud tolerandum est, ut huiusmodi Regulae typis edantur vel referantur quomodolibet mutatae; sed prout iacent, de verbo ad verbum, absque vel minima variatione, referri et, secluso speciali privilegio apostolico, servari debent [1].

308. Constitutiones, sive locales, sive regionales, sive generales, Monialium, sub Regula approbata, ut par est, viventium, quamvis solo iure consuetudinario seu dioecesano olim conditae fuerint, iuxta hodiernam Sanctae Sedis praxim, omnino subiiciuntur approbationi, correctioni et revisioni S. Congregationis Episcoporum et Regularium; ita ut, post revisionem, correctionem et approbationem, neque modificari neque variari possint, absque licentia eiusdem Sacrae Congregationis. A fortiori autem ad Sanctam Sedem recurrendum erit, si agatur de novis Constitutionibus edendis vel introducendis. Monemus igitur Ordinarios, ut, in re tanti momenti, nihil decernant inconsulta Sancta Sede, et nonnisi auditis omnibus Monialibus [2].

309. Si Constitutionibus Monialium adnexum est « Directorium » sive « Manuale » seu Caeremoniale monasticum et extraliturgicum, ea a Sancta Sede minime probari solent, sed propriis Monialium Praelatis subiiciuntur, a quibus cavendum omnino est, ne quid contineant a decretis et mente Sanctae Sedis alienum, ne

[1] S. C. EE. et RR. pluries, praesertim in *Mileviana* 28 Martii 1851, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 5. n. 6 seq.

[2] Cfr. Lucidi ibid.

insolita pietatis ac devotionis exercitia praescribant, et ne a spiritu proprii instituti declinent: ideoque, si necessarium fuerit, corrigantur, caute tamen ac prudenter, ne, sub specie zeli, inconstantiae ac pruritui novitatum indulgeatur [1].

310. Quoad legem clausurae, serventur leges canonicae et praesertim gravissima haec praescriptio Concilii Tridentini, dicentis: « Bonifacii VIII Constitutionem, quae incipit *Periculoso*, renovans Sancta Synodus, universis Episcopis, sub obtestatione divini iudicii, et interminatione maledictionis aeternae, praecipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subiectis, ordinaria, in aliis vero, Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes atque contradictores, per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis » [2]. - Sub lege Clausurae comprehenduntur etiam Conversae et aliae, quocumque nomine nuncupentur, in eodem Monasterio degentes [3]. - Excommunicationem Romano Pontifici reservatam incurrunt: violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constitutione *Decori* praescriptam [4].

[1] Cfr. cit. decr. S. C. EE. et RR. in *Mileviana* 28 Martii 1851, ap. Lucidi ibid. n. 17.

[2] Conc. Trid. sess. 25. cap. 5 de regul.

[3] Const. *Circa Pastoralis* S. Pii V, 29 Mali 1566.

[4] Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

311. Constitutio autem *Decori*[1], quae plenum ubique vigorem habet, non obstante quacumque contraria consuetudine [2], vetat omnino Moniales, quavis occasione et praetextu, etiam infirmitatis, seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, e proprio monasterio egredi. Excipitur casus magni incendii vel infirmitatis leprae aut epidemiae, quae tamen infirmitas ab Ordinario loci, siquidem monasterium sit ipsius iurisdictioni subiectum, ab Ordinario vero simul et a Praelato Regulari, cui monasterii cura incumbit, si sit exemptum, antea cognoscenda est, atque exeundi licentia in scriptis concedenda. Sed nec in praedictis casibus, extra claustra, nisi ad necessarium tempus, eis manere licet.

312. Fundatores monasteriorum monialium non possunt eorumdem clausuram ingredi, nec a monialibus recipi, nisi in Litteris Apostolicis erectionis id expresse caveatur [3], vel nisi obtinuerint speciale indultum Sanctae Sedis.

313. Non possunt Moniales quacumque occasione transferri de monasterio in monasterium, sine speciali licentia Sedis Apostolicae, toties quoties obtinenda, neque ratione prioratus vel alterius officii, nisi aliter in Constitutionibus a Sancta Sede approbatis cautum fuerit, neque ex causa seditionis, incorrigibilitatis, seu criminis perpetrati; neque Episcopus potest auctoritate propria permittere, ut recipi possint, in monasteriis clausurae subiectis, mulieres, quae ingredi cupiunt veluti pensionariae [4]. Confessario sacramenta infirmis minis-

[1] Edita IX Kal. Febr. 1570.
[2] S. Offic. 22 Dec. 1880 (Coll. P. F. n. 438).
[3] S. C. EE. et RR. 17 Augusti 1629, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 5. n. 89.
[4] S. C. EE. et RR. 16 Iulii 1884 (Coll. P. F. n. 440).

straturo, clausuram ingredienti, si sit saecularis, binae Moniales comites ire debent, et dum audit Monialis infirmae confessionem, cellae ianua remanere debet aperta, et ambae comitatrices ad eamdem cellae ianuam, ita ut, ibi manentes, confessarium et infirmam commode cernere possint, audire tamen non possint [1]: si vero regularis sit, nunquam ingrediatur nisi cum socio, qui sit probatae vitae et maturae aetatis, semperque maneat in ea parte monasterii, qua confessorem videre, et ab ipso videri semper possit [2].

314. Loca in quibus excipi solent confessiones Monialium claustralium, habenda sunt ut loca destinata ad audiendas confessiones, seu ut vera confessionalia. Idem dicendum est de locis, ad eorumdem formam constructis, in quibus excipiuntur confessiones mulierum degentium in domibus, quae vulgo dicuntur *Conservatorios, Retiros*. Et talia censenda sunt non solum quoad Moniales et alias degentes in praedictis domibus, sed etiam quoad mulieres extraneas [3]. Insuper confessionalia Monialium non possunt esse in Sacristiis, neque in aliis locis occultis, neque in domibus quas inhabitant confessarii; sed extare debent in exterioribus ecclesiis monasteriorum [4].

315. Haud tolerandum est quod Moniales utantur confessionario vel fenestella communionis vel eratibus, in ecclesia existentibus, pro locutorio [5].

316. Mandatum Sanctae Sedis de immutandis quo-

[1] S. C. EE. et RR. 13 Sept. 1583, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 5. n. 79.
[2] Alexander VII. Const. *Felici*, 20 Oct. 1664.
[3] S. Offic. 23 Nov. 1874 (Coll. P. F. n. 435).
[4] S. C. C. 29 Nov. 1605; 7 Martii 1617; 20 Sept. 1642, ap. Ferraris, v. *Confessarius* art. 4. n. 69.
[5] S. C. EE. et RR. 30 Oct. 1706; 22 Sept. 1651, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 5. n. 138.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

libet triennio Sanctimonialium Confessariis, pluries ab ipsa Sancta Sede innovatum, quamvis non importet invaliditatem confessionum, sedulo tamen diligenterque servandum est: ideoque confessarii Monialium, absque eiusdem Sanctae Sedis speciali indulto, non possunt in officio ultra triennium perdurare. Regulares, seclusa apostolica dispensatione, eligi non possunt uti ordinarii Monialium Episcopis immediate subiectarum confessarii; secus uti extraordinarii. Ut autem, in re tanti momenti, ad normam iuris procedatur, Ordinarii prae oculis habeant Constitutionem *Pastoralis curae* Benedicti XIV, 5 Aug. 1748, nec non Decretum *Quemadmodum* S. Congregationis Episcoporum et Regularium, editum die 17 Dec. 1890, circa manifestationem conscientiae, confessiones et communiones Monialium et Sororum, cum recentioribus eiusdem decreti declarationibus: quod quidem decretum in publica earum mensa statuto tempore legendum est [1]. Ad vitandam autem omnem indiscretam agendi rationem circa designationem confessariorum Monialium et Sororum, Ordinariorum erit ad novum examen revocare confessarios earumdem Monialium seu Sororum, quoties in Domino expedire iudicaverint.

317. Sponsae Agni immaculati, qui pascitur inter lilia, virginitatis florem omni custodia servent, cavendo diligentissime ab omni sive interno sive externo tam pretiosi thesauri insidiatore. Praefectis et praesidibus suis, quam spoponderunt obedientiam, ne retenta quidem voluntatis libertate, prompto hilarique animo constanter praestent. Religiosam vero paupertatem ita studiose sectentur, ut vere Dominum sibi in partem haereditatemque elegisse demonstrent. Haec et si quae alia sunt

[1] V. Appen. n. LXIX. Cfr. Mach, Tes. del Sac. n. 650, et Coll. P. F. n. 2156, 2157.

suae Regulae et Ordinis vota et praecepta, ad eorum respective essentiam pertinentia, exacte et fideliter virgines Deo dicatae exequantur [1].

318. In administratione bonorum temporalium Monasteriorum, exacte observandum erit id, quod est in propriis Constitutionibus a Sancta Sede approbatis praefinitum, tum circa Officiales eidem administrationi deputatas et earum dependentiam a respectivis Superiorissis, tum circa redditionem rationum proprio Ordinario, statutis temporibus et forma faciendam, iuxta Constitutiones et Decreta Apostolica [2].

319. Numerus Monialium in unoquoque monasterio debet esse saltem duodecim. Nec numerus Monialium debet esse maior numero cellarum. In praefixione autem numeri, distingui debent separatim, quot debeant esse moniales velatae, quot conversae, et quot aliae personae externae monasterii reditibus sustentandae. Et numerus conversarum ita computatur, ut una pro tribus quibuslibet monialibus praefiniatur [3].

320. Communis vitae rationem, tamquam regularis disciplinae fontem omniumque virtutum praesidium, amplectantur [4]. Quare Episcopi prae oculis habeant decretum S. C. Concilii in « Vallisoletana » anni 1601, in quo dicitur: « Regularibus, sive viris sive mulieribus, non licere quidpiam proprium possidere, sed quidquid acquisiverint, et ex donatione vel eleemosyna a parentibus vel aliunde obtinuerint, recta ad manus Superioris esse deferendum, qui prius prospicere debebit necessitatibus illius, cuius opera vel contemplatione partum fuerit, et reliquum

[1] Conc. Prov. Ravennat. an. 1855, p. 4. cap. 7.
[2] Const. Greg. XV *Inscrutabili*, 5 Febr. 1622.
[3] S. C. EE. et RR. 18 Dec. 1600; 22 Iul. 1601; 21 Febr. 1620; 30 Iul. 1627; 6 Nov. 1695, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 5. n. 175.
[4] Cfr. Conc. Ravennat. an. 1855, p. 4. cap. 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in totius monasterii usum convertere » [1]: quoad vero modum instaurandae vitae communis, attendant ad normas, quas tradit Benedictus XIV *de Syn. libro 13. c. 12.*

321. Nulla puella sive ad habitum sive ad votorum emissionem assumatur, nisi antea Episcopus per se, vel per Vicarium suum generalem, vel per alium ab eo deputatum, illius voluntatem diligenter exploraverit [2].

CAPUT XVI.

De Institutis Votorum simplicium.

322. Ne in Ecclesia Dei, sub specie maioris boni vel praesentis necessitatis, aliquid periculi vel incommodi suboriatur, iuxta mentem Concilii Tridentini, nulla nova religiosa Congregatio, sive virorum sive mulierum, in nostris Provinciis, absque Ordinarii licentia et expresso consensu, ac nisi omnibus mature perpensis, propter evidentem animarum utilitatem, instituatur. Quo in casu Ordinarius curet totis viribus, ut nova Congregatio nihil in suis legibus admittat, nihilque ad praxim deducat, quod a legibus, monitis ac mente Sanctae Sedis quomodolibet declinet. Quare prae oculis habeantur Constitutiones a Sancta Sede probatae et decreta ac animadversiones S. C. Episcoporum et Regularium, quae habentur in « Collectanea » eiusdem S. Congregationis. Meminerint tandem Ordinarii, postquam sua in Dioecesi Institutum aliquod approbaverint, illud nunquam, sive a se sive ab alio, ordinaria auctoritate posse supprimi, quatenus scilicet id speciem aliquam alienationis praeseferat, et ideo Apostolicum beneplacitum requirat [3].

[1] Lucidi, ibid. n. 125.
[2] Conc. Trident. sess. 25. cap. 17 de regular.
[3] S. C. EE. et RR. in Montis-Pessulan. Missionarior. etc.

323. Prohibemus igitur vota quae, inscio aut non approbante Episcopo, edantur a quibuscumque fidelibus, tamquam membris alicuius Congregationis votorum simplicium [1]; salvis tamen privilegiis a Sancta Sede alicui Instituto concessis. Scitum vero sit, vota « simplicia », quae in Institutis huius generis, etiam ab Apostolica Sede approbatis, sive « ad tempus » sive « in perpetuum » nuncupantur, semper fore et manere « simplicia » ac nunquam solemnia esse evasura. Attamen, cum haec vota non sint private simplicia, dispensari nequeunt ab illis, qui generalem licentiam obtinuerunt dispensandi a votis reservatis.

324. Cum in Congregationibus, in pluribus dioecesibus propagatis, quarum Constitutiones nondum subiectae fuerunt examini, correctioni et approbationi Sanctae Sedis, passim nonnulla bona fide peragantur, quae a legibus et mente ipsius Sanctae Sedis aliena existunt, volumus ut, servatis de iure servandis, Congregationes huiusmodi, quae iudicio Episcoporum in bonam spem Ecclesiae crescunt, statuta sua Sedis Apostolicae iudicio subiiciant et approbationem implorent [2]. Immutatio Constitutionum, semel approbatarum a Sancta Sede, fieri nequit, etiam quoad minimam variationem, absque licentia S. Congregationis [3]. Circa vero Instituta illa, quae dioecesis fines, in qua primitus fundata sunt, non excedunt, immutatio Constitutionum ad Ordinarium loci illius pleno iure pertinebit; quatenus autem in alias etiam Dioeceses diffusa reperiantur, tunc immutationes, vel minimae, Constitutionum, Apostolicae Sedi erunt reser-

[1] Cfr. Conc. Prov. Burdigal. an. 1850, tit. 6. cap. 6.
[2] Cfr. Conc. Prov. Avenion. an. 1849, tit. 7. cap. 2.
[3] Cfr. Bizzarri « Method. » (in Collectan.) § XVII, 19, et « Noviss. Animadv. » pro Institutis Votorum simpl.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in totius monasterii usum convertere » [1]: quoad vero modum instaurandae vitae communis, attendant ad normas, quas tradit Benedictus XIV *de Syn. libro 13. c. 12.*

321. Nulla puella sive ad habitum sive ad votorum emissionem assumatur, nisi antea Episcopus per se, vel per Vicarium suum generalem, vel per alium ab eo deputatum, illius voluntatem diligenter exploraverit [2].

CAPUT XVI.

De Institutis Votorum simplicium.

322. Ne in Ecclesia Dei, sub specie maioris boni vel praesentis necessitatis, aliquid periculi vel incommodi suboriatur, iuxta mentem Concilii Tridentini, nulla nova religiosa Congregatio, sive virorum sive mulierum, in nostris Provinciis, absque Ordinarii licentia et expresso consensu, ac nisi omnibus mature perpensis, propter evidentem animarum utilitatem, instituatur. Quo in casu Ordinarius curet totis viribus, ut nova Congregatio nihil in suis legibus admittat, nihilque ad praxim deducat, quod a legibus, monitis ac mente Sanctae Sedis quomodolibet declinet. Quare prae oculis habeantur Constitutiones a Sancta Sede probatae et decreta ac animadversiones S. C. Episcoporum et Regularium, quae habentur in « Collectanea » eiusdem S. Congregationis. Meminerint tandem Ordinarii, postquam sua in Dioecesi Institutum aliquod approbaverint, illud nunquam, sive a se sive ab alio, ordinaria auctoritate posse supprimi, quatenus scilicet id speciem aliquam alienationis praeseferat, et ideo Apostolicum beneplacitum requirat [3].

[1] Lucidi, ibid. n. 125.
[2] Conc. Trident. sess. 25. cap. 17 de regular.
[3] S. C. EE. et RR. in Montis-Pessulan. Missionarior. etc.

323. Prohibemus igitur vota quae, inscio aut non approbante Episcopo, edantur a quibuscumque fidelibus, tamquam membris alicuius Congregationis votorum simplicium [1]; salvis tamen privilegiis a Sancta Sede alicui Instituto concessis. Scitum vero sit, vota « simplicia », quae in Institutis huius generis, etiam ab Apostolica Sede approbatis, sive « ad tempus » sive « in perpetuum » nuncupantur, semper fore et manere « simplicia » ac nunquam solemnia esse evasura. Attamen, cum haec vota non sint private simplicia, dispensari nequeunt ab illis, qui generalem licentiam obtinuerunt dispensandi a votis reservatis.

324. Cum in Congregationibus, in pluribus dioecesibus propagatis, quarum Constitutiones nondum subiectae fuerunt examini, correctioni et approbationi Sanctae Sedis, passim nonnulla bona fide peragantur, quae a legibus et mente ipsius Sanctae Sedis aliena existunt, volumus ut, servatis de iure servandis, Congregationes huiusmodi, quae iudicio Episcoporum in bonam spem Ecclesiae crescunt, statuta sua Sedis Apostolicae iudicio subiiciant et approbationem implorent [2]. Immutatio Constitutionum, semel approbatarum a Sancta Sede, fieri nequit, etiam quoad minimam variationem, absque licentia S. Congregationis [3]. Circa vero Instituta illa, quae dioecesis fines, in qua primitus fundata sunt, non excedunt, immutatio Constitutionum ad Ordinarium loci illius pleno iure pertinebit; quatenus autem in alias etiam Dioeceses diffusa reperiantur, tunc immutationes, vel minimae, Constitutionum, Apostolicae Sedi erunt reser-

[1] Cfr. Conc. Prov. Burdigal. an. 1850, tit. 6. cap. 6.
[2] Cfr. Conc. Prov. Avenion. an. 1849, tit. 7. cap. 2.
[3] Cfr. Bizzarri « Method. » (in Collectan.) § XVII, 19, et « Noviss. Animadv. » pro Institutis Votorum simpl.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vatae. Quoad « Directoria » autem, prae oculis habeantur quae supra, articulo 309, dicta sunt; et in casibus difficilioribus exquiratur mens Sacrae Congregationis.

325. Pro translatione domus principis, in qua residere debent habitualiter tum Superiorissa Generalis, tum caetera alia membra Consilii generalis, pro erectione et divisione Provinciarum, pro erigendis domibus Novitiatus, recurrendum erit ad Sacram Congregationem. Absque autem expresso consensu Ordinarii loci, nulla domus erigi poterit [1].

326. Iurisdictionem Ordinariorum, super omnes et singulas domus Institutorum votorum simplicium, religiose ac fideliter agnoscant Superiores et inferiores eorumdem Institutorum, eisque subiaceant, intra limites statutos a Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis et Instituti, omnimoda reverentia ac filiali dilectione. Ordinarii autem meminerint huiusmodi auctoritatem ita intelligendam esse, ut iis, quae generale totius Instituti regimen respiciunt, sese nequeant immiscere, etiamsi primaria Instituti domus, vulgo *Casa madre*, in sua dioecesi reperiatur [2].

327. Non solet generatim Apostolica Sedes approbare, ut quis Episcopus, sive per se, sive per Delegatum, munus gerat Superioris Generalis alicuius Instituti votorum simplicium, ne iurisdictio aliorum Episcoporum, in quorum dioecesibus eiusmodi Instituti domus existunt, laedatur, quae iurisdictio atque auctoritas Ordinariorum semper salva remanere debet, ad normam sacrorum Canonum et Constitutionum Apostolicarum et Instituti; et hac de causa ex Constitutionibus, quae eius

[1] Cf. Bizzarri op. et loc. cit. VIII. 9; § IX. 7.

[2] Cf. Declar. Gregorii XVI ad Card. Pedicini in causa Parisiensi, 16 Iun. 1842, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 5. n. 436.

examini subiiciuntur, expungenda praecipit quae huiusmodi Superioritatem respiciunt. Pertinet vero ad Ordinarios, tamquam Sedis Apostolicae delegatos, praesidere Capitulis Generalibus pro electione Moderatricis Generalis huius generis Sororum, quae suis in Dioecesibus celebrabuntur; subscribere Relationes earumdem status, ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium quoque triennio mittendas; et omnes eos actus iure ordinario peragere, qui forum externum respiciunt, e. g. delinquentes extra domum religiosam punire ad tramites iuris; visitationem pastoralem domorum explere, in iis quae spectant catholicam fidem, divinum cultum, sacrorum Canonum et Decretorum sacrarum Congregationum observantiam.

328. Postulantes exhibere debent testimonium Baptismi, Confirmationis et bonorum morum. Episcopus seu Ordinarius loci, in quo habetur Novitiatus, explorare debet voluntatem novitiarum, ante ingressum et ante professionem, iuxta praescriptionem Concilii Tridentini [1]. Dos proportionata ad gradum Choristarum et ad illum Conversarum aequalis esse debet pro omnibus postulantibus eiusdem Instituti, et quidem moderata, ad vitandas frequentes dispensationes; eaque condonari non potest, sive ex toto sive ex parte, absque licentia Sanctae Sedis [2]. Quae dos honesto, tuto ac frugifero investimento stabiliatur, quin alium in quemcumque usum impendi liceat, absque Apostolicae Sedis beneplacito; haec vero ex integro restituenda erit, tam iis, quae sponte ab Instituto recesserint, quam his, quae ab eodem dimittentur, salvis fructibus etiam

[1] Sess. 25. cap. 17 de regular.

[2] Cfr. Decret. et Animadv. passim.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum decursis, qui in favorem Instituti cedere debebunt [1].

329. Quoad locum Novitiatus, serventur praescriptiones Clementis VIII, ideoque locus huiusmodi ab ea parte domus, seu Collegii, in qua degunt professae, segregatus sit atque distinctus: hortus sit pariter segregatus, quantum fieri poterit. Loci autem novitiatus aditus nemini sive alienae sive propriae domus pateat, praeterquam Magistrae eiusque sociae, ac Superiorissae, quae tamen non sola, sed cum socia, ingredi debet. Clavis autem Novitiatus apud Magistram semper servetur, illique soli liceat, ex gravi tantum causa ingressum illuc alienis permittere [2]. Novitiae, durante toto tempore Novitiatus, non possunt in alias domus, extra domum Novitiatus, mitti; neque occupari possunt in variis Instituti officiis et piis operibus, sed unice in rebus ad Novitiatum pertinentibus, sub directione Magistrae Novitiarum eiusque sociae, se exercere debent [3]. Magistra Novitiarum ab iis omnibus officiis oneribusque vacationem habeat, quae Novitiarum curam et regimen impedire valeant [4].

330. Dispensatio super votis, sive perpetuis, sive ad tempus, ad Apostolicam Sedem spectat [5], si agatur de Congregationibus ab eadem Sancta Sede approbatis; secus, standum est decreto S. Officii diei 2 Aug. 1876 [6]. Pro dimittenda ab Instituto Sorore professa votorum perpetuorum, praeter gravia crimina et incorrigibilitatem, requiritur licentia Sanctae Sedis, salvis tamen specialibus

[1] Decret. et Animadv. passim.
[2] Cfr. « Noviss. Animadv. » pro Inst. Vot. simpl.
[3] Decret. et Animadv. passim.
[4] Ibid.
[5] Const. *Convocatis* Benedicti XIV, 25 Novemb. 1749.
[6] V. Appen. n. XXXIX.

indultis; idque dicendum erit etiam de professis ad tempus, si ad exitum tempus emissae professionis non pervenerint, scilicet si dimissio locum habeat durante professione temporanea. Antequam obtineatur licentia Sanctae Sedis, nulla Superiorissa audeat Sororem indignam de facto dimittere; quod si casus urgeat, ob periculum magni scandali etc., nihil faciat absque expressa licentia Ordinarii [1].

331. Votum obedientiae per se primo et principaliter fit Romano Pontifici, a quo pendet omnis potestas Religiosarum Familiarum et Institutorum seu Congregationum ecclesiasticarum. Item ex vi voti obedientiae tenentur Superiores et subditi eorumdem Institutorum obedire S. C. Episcoporum et Regularium, quae instituta fuit a Sixto V in supremum tribunal omnium Regularium; et idipsum respective dicendum est de aliis sacris Congregationibus, praesertim de Propaganda Fide et pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis, quando aliquid alumnis Institutorum Regularium praecipiunt. Tenentur insuper, ex vi eiusdem voti obedientiae, obedire Moderatoribus seu Moderatricibus Generalibus, Provincialibus et localibus propriae Congregationis, intra limites statutos a sacris Canonibus et Constitutionibus proprii Instituti. Teneantur tandem obedire, in vim ecclesiasticae iurisdictionis, Ordinariis locorum, tenore sacrorum Canonum et Constitutionum Apostolicarum.

332. Votum igitur et virtus obedientiae fideliter ab omnibus sodalibus servetur, et deficientes ex hoc capite fortiter et suaviter corrigantur et opportune puniantur; qui vero graviter et incorrigibiliter contra obedientiam peccare non timent, praesertim cum scandalo

[1] Cfr. « Animadv. Noviss. » pro Inst. Vot. simpl.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

consodalium, dimittantur ab Instituto, servatis servandis. Nam omnes memores sint oportet antemurale castitatis et paupertatis, magna ex parte, consistere in fideli redditione voti obedientiae, facta Deo in persona Superiorum. Unde in voto obedientiae nobilissimum et primarium votorum emissorum indesinenter considerent, iuxta illud Ioannis XXII: « Magna quidem paupertas, sed maior integritas; bonum est obedientia maximum, si custodiatur illaesa » [1].

333. Professae in Institutis votorum simplicium dominium radicale, ut aiunt, suorum bonorum retinere poterunt; sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et redituum erogatio atque usus, donec in Instituto permanserint. Debent propterea ante professionem cedere, vel etiam private, administrationem et usum, quibus eis placuerit, ac etiam proprio Instituto, si ita pro suo libito existimaverint. Haec vero cessio vim amplius non habebit in casu egressus ab Instituto, quia immo apponi poterit conditio, ut sit quandocumque revocabilis, etiamsi in Instituto permanserint; sed professae, durantibus votis, hoc iure revocandi in conscientia minime uti poterunt, nisi accedente Apostolicae Sedis placito. Quod etiam dicendum est de bonis, quae post professionem titulo haereditario eis obvenerint. Poterunt tamen de dominio, sive per testamentum, sive, de licentia tamen Moderatricis Generalis, per actus inter vivos, disponere; nec eis vetitum est ea proprietatis acta peragere, de licentia eiusdem Moderatricis generalis, quae a legibus praescribuntur [2].

334. Ut Sorores, quae Deo sunt mancipatae, ab omni, in quantum fieri possit, mundano consortio vivant

[1] Ioann. XXII. Extrav. tit. 14. cap. 1. *Quorumdam exigit.*
[2] S. C. EE. et RR. « Animadv. » passim.

separatae, proprius Episcopus iure meritoque poterit eisdem Clausurae legem iniungere. Ad eliminandos porro et praecavendos omnes abusus, iubemus eas, tum Clausuram « passivam » exacte custodire, ita ut, viris in institutionem educandarum penitus interdictis, neminem, citra praescriptionem, Constitutionem vel Ordinarii licentiam, Claustrum suae domus ingredi, vel in ea immorari permittant; cum Clausuram « activam » observare, strictim legem Socii custodiendo: et proinde nunquam alicui Sorori liceat solam, seu absque Socia, e domo exire, solam itinera conficere, solam in residentia permanere, solam regere scholam separatam. Satagant igitur locorum Ordinarii, ne, sive intra Dioecesim in qua ipsae resident, sive extra, sine eorum licentia, sub datis conditionibus, ac gratis et in scriptis tradenda, eleemosynas quaeritent. Numquam vero id permittatur iunioribus; et caveatur, ne post solis occasum extra domum maneant: et, ubi fieri poterit, apud Sorores suae vel alterius Congregationis pernoctent [1].

335. Sedulo studeant Sorores, ad Constitutionum suarum tramites, rerum temporalium administrationem, ea, quae decet Paupertatis votum, observantia, in proprii Instituti bonum procurare. Et meminerint circa hoc, obligationem esse Moderatricis Generalis relationem transmittendi, quolibet triennio, ab Ordinario domus principis subscriptam, ad Sacram Congregationem, a qua pendent, super statu temporalis administrationis Instituti, personarum, domorum, observantiae et Novitiatus. Quo autem diligentius omnis abusus et arbitrii occasio removeatur, constituenda erit arca, tribus diversis clavibus munita, quarum prima penes Moderatricem Gene-

[1] Concil. Baltimoren. III. an. 1884, n. 94, 95; S. C. EE. et RR. decr. *Singulari.* 27 Martii 1896. V. Appen. n. LXXXIX.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ralem, altera penes Oeconomam Generalem, tertia penes primam inter Consiliarias Generales, continuo asserventur. In hac vero, pecunia communis universo Instituto, a Moderatrice Generali cum suis Consiliariis administranda, ac tituli omnes frugiferi, ad eamdem administrationem pertinentes, custodiantur; quae singula, distinctis capitibus adnotentur per manus ipsius Oeconomae, in libro, ad hunc effectum in eadem arca asservato, cum die, mense et anno; nec quidquam, pari methodo servata, inde extrahere liceat, nisi tribus praefatis Officialibus una simul adstantibus ac adnotationem subscribentibus.

336. Meminerint Moderatores seu Moderatrices Sororum, ad alienationem immobilium rerumque pretiosarum non exigui valoris, locationes et conductiones ultra triennium ineundas, hypothecas imponendas, emphytheuses paciscendas, requiri apostolicum beneplacitum [1].

337. Quoad alia, quae vitam ac regimen tum Monialium tum huiusmodi Institutorum respiciunt, Ordinarii sedulo attendant ad leges seu Constitutiones singularum Congregationum ac praesertim ad normas generales Sanctae Sedis, quae facile dignosci possunt per *Collectaneam S. C. Episcoporum et Regularium* et *Collectaneam S. C. de Propaganda Fide* [2]. Denique plurima quae de Monialibus dicta sunt, applicari possunt et debent Sororibus votorum simplicium, praesertim quae leguntur in art. 309, 316, 317, 320, 321.

[1] Extravag. Com. cap. unic. *de rebus Eccl. non alienandis.*

[2] Utilissimum insuper erit opus cl. Lucidi *de Visit. SS. Liminum*, et Bucceroni tom. IX, *Suppl. ad op. Ferraris*, ed. 1899.

TITULUS IV.

DE CULTU DIVINO

CAPUT I.

De sacrosancto Missae sacrificio.

338. « Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in Sacris Litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam, et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur » [1].

339. Igitur « qui Christo ministrat, S. Ambrosii monitis edoctus, ... oportet primo carere variarum illecebris voluptatum, vitare internum corporis animique languorem, ut corpus et sanguinem Christi ministret. Neque enim potest quisquam peccatis suis aeger, minimeque sanus, immortalium sanitatum remedia mini-

[1] Conc. Trid. sess. 22. decr. de observ. et evit. in celebrat. Missae.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ralem, altera penes Oeconomam Generalem, tertia penes primam inter Consiliarias Generales, continuo asserventur. In hac vero, pecunia communis universo Instituto, a Moderatrice Generali cum suis Consiliariis administranda, ac tituli omnes frugiferi, ad eamdem administrationem pertinentes, custodiantur; quae singula, distinctis capitibus adnotentur per manus ipsius Oeconomae, in libro, ad hunc effectum in eadem arca asservato, cum die, mense et anno; nec quidquam, pari methodo servata, inde extrahere liceat, nisi tribus praefatis Officialibus una simul adstantibus ac adnotationem subscribentibus.

336. Meminerint Moderatores seu Moderatrices Sororum, ad alienationem immobilium rerumque pretiosarum non exigui valoris, locationes et conductiones ultra triennium ineundas, hypothecas imponendas, emphytheuses paciscendas, requiri apostolicum beneplacitum [1].

337. Quoad alia, quae vitam ac regimen tum Monialium tum huiusmodi Institutorum respiciunt, Ordinarii sedulo attendant ad leges seu Constitutiones singularum Congregationum ac praesertim ad normas generales Sanctae Sedis, quae facile dignosci possunt per *Collectaneam S. C. Episcoporum et Regularium* et *Collectaneam S. C. de Propaganda Fide* [2]. Denique plurima quae de Monialibus dicta sunt, applicari possunt et debent Sororibus votorum simplicium, praesertim quae leguntur in art. 309, 316, 317, 320, 321.

[1] Extravag. Com. cap. unic. *de rebus Eccl. non alienandis.*

[2] Utilissimum insuper erit opus cl. Lucidi *de Visit. SS. Liminum*, et Bucceroni tom. IX, *Suppl. ad op. Ferraris*, ed. 1899.

TITULUS IV.

DE CULTU DIVINO

CAPUT I.

De sacrosancto Missae sacrificio.

338. « Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in Sacris Litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam, et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur » [1].

339. Igitur « qui Christo ministrat, S. Ambrosii monitis edoctus, ... oportet primo carere variarum illecebris voluptatum, vitare internum corporis animique languorem, ut corpus et sanguinem Christi ministret. Neque enim potest quisquam peccatis suis aeger, minimeque sanus, immortalium sanitatum remedia mini-

[1] Conc. Trid. sess. 22. decr. de observ. et evit. in celebrat. Missae.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

strare. Vide quid agas, sacerdos! nec febrienti manu corpus Christi adtingas. Prius curare, ut ministrare possis. Si mundos eos, qui ante fuerant leprosi, Christus iubet occurrere sacerdotibus, quanto magis mundum ipsum convenit esse sacerdotem! » [1].

340. Quapropter, cum illa plena formidinis verba apud Apostolum (1. Cor. XI, 29) legamus: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini*, singuli sacerdotes, memores divini praecepti, probent seipsos. « Ecclesiastica autem consuetudo declarat, ait Concilium Tridentinum, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit; modo non desit illis copia confessoris. Quod si, necessitate urgente, sacerdos *(praevio actu perfectae contritionis summa diligentia procurandae)* absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur » [2]. Haec autem obligatio confitendi *quam primum* continet verum praeceptum, non autem consilium tantum, et contraria sententia damnata fuit ab Alexandro VII [3].

341. Parato igitur commendatoque per poenitentiam animo, ad Sacrum faciendum singuli sacerdotes accedant; quae legenda sunt iuxta rubricas clara voce exprimantur, omnis linguae festinatio prorsus vitetur; quidquid vel agendum, vel ore proferendum est, cum seria mentis consideratione, et quadam totius corporis

[1] S. Ambros. de Vid. cap. 10. n. 65.
[2] Conc. Trid. sess. 13. cap. 7 de Euch.
[3] Prop. 38 damn. die 18 Martii 1666.

ad gravitatem et dignitatem compositione, iungatur: ad minus tertiae partis horae spatium in tam augusto mysterio celebrando impendatur: et generatim dimidiam horae partem nullus pro viribus excedat, si celebret coram populo. Qui minus quam tertiam horae partem impendant, opportune moneantur, corrigantur [1].

342. Ut sacerdotes hostiam sanctam ac tremendum sacrificium immolaturi, facilius praeparent animam suam, in omnibus sacristiis vel alibi, locus idoneus, sacra aliqua imagine et consuetarum precum tabella instructus, habeatur, ubi sacerdos, alienis curis sepositis, secum reputet peragendi mysterii dignitatem, sacrisque peractis, gratias agat Deo suo [2]. Et quoniam, quod maxime dolendum est, non desunt sacerdotes qui non exiguam temporis partem mane conterunt in foro, vel inanibus colloquiis, vel etiam negotiis ipsorum dignitati parum accommodatis, donec celebrandi tempus accesserit: tum ad sacrarium properant, et sacris vestibus induti, vix limen altaris contigerunt, fere intra momentum, Missa iam absoluta, sacrarium repetunt, depositisque sacris ornamentis, ad forum publicasque officinas revertuntur [3]; volumus, ut presbyteri certo, notorie et notabiliter negligentes in praeparatione ad Missam, et praesertim in gratiarum actione post Missam, per respectivos Ordinarios serio moneantur.

343. Omnes sacerdotes Missam iuxta ritum, modum ac normam, quae per Missale Romanum traduntur, decantent ac legant [4]. Igitur omnes Ordinarii, dum sollicite curant ut sacris Ecclesiae ritibus debita ab omnibus

[1] Cfr. Bened. XIV. Inst. 34. n. 32.
[2] Conc. Prov. Neapol. an. 1699, tit. 2. cap. 2.
[3] Bened. XIV. Inst. 34. n. 28.
[4] S. Pius V. Const. *Quo primum*, Missalibus praeposita.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

hora tribuatur, caveant ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent; neve ritus alios aut alias caeremonias et preces in Missarum celebratione adhibeant, praeter eas quae ab Ecclesia probatae fuerint [1]; et praescriptiones Sacrae Rituum Congregationis servent.

344. Locus celebrandi Missam est Ecclesia consecrata vel saltem benedicta, necnon Oratorium publicum vel semipublicum, legitime erectum. In oratoriis autem mere privatis celebrare non licet, nisi habeatur indultum apostolicum. In magno populi concursu, cum expressa, et in casu urgentis necessitatis, cum praesumpta Episcopi licentia, celebrare licet ante fores Ecclesiae, modo absit omne periculum irreverentiae.

345. Altare, sive fixum, sive portatile, quod pro Missae sacrificio inservit, necessariis sacris reliquiis Sanctorum ditatum sit et immune ab omni execratione. Eius planities operiatur tribus mappis lineis, mundis et benedictis, quarum superior eius longitudinis sit, ut ex utroque latere quasi ad terram pertingat [2]. Idcirco Ordinarii curent ut tollantur abusus, si qui sint, circa numerum mapparum, et adhibeatur unicum tantum corporale. In medio autem altaris, inter candelabra, Crux collocetur cum imagine Crucifixi, quae quidem talis sit, ut facile videri possit a populo, adeoque alta, ut candelabris superemineat [3].

346. Singula sacra paramenta sint unius tantum coloris; quod si alii colores, per modum ornamenti, ut flores, etc. admisceantur, unus praedominetur, et ut talis declaretur et adhibeatur. Igitur reprobanda sunt illa paramenta, in quibus omnes aut saltem diversi

[1] Conc. Trid. sess. 22. Decr. de observ. et evit. in celebr. Missae.
[2] S. R. C. 9 Iun. 1899, ad 1 (n. 4029).
[3] S. R. C. passim.

colores ita commiscentur, ut nullus praedominans dignosci possit. Tamen paramentum ex aurea textura confectum, pro albo, rubro viridique colore adhiberi potest, non tamen pro violaceo et nigro [1].

347. Hostiae consecrandae sint recentes, ita ut, iuxta S. Carolum Borromaeum, nunquam plus quam viginti dies a sua confectione habeant [2]. Vinum consecrandum debet esse de vite, fermentatum, non mustum, limpidum, non corruptum nec acidum. Ne autem sacrificium nullitati exponatur, singulorum Episcoporum erit opportunas normas et instructiones propriis sacerdotibus transmittere, ut facilior evadat et omnino tuta procuratio legitimae materiae consecrandae, praesertim in regionibus, ubi desideratur cultura tritici et vineae, et hac de causa frequentiores esse solent deceptiones atque adulterationes, tum circa farinam triticeam, tum circa qualitatem vini.

348. Quoniam, ex decreto Innocentii III, *excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare* [3]: sciant omnes sacerdotes, ipsis, in die tantum Nativitatis Domini, et in omnibus et singulis ditionibus Americae Latinae, nulla excepta, in die commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, licere tres Missas celebrare; in aliis vero diebus, unicam. Facultas autem bis in die celebrandi, pro solis casibus necessitatis concedi solet. Porro huiusmodi necessitas non facile praesumenda est; et adesse censetur sive pro sacerdote, « qui duas parochias obtinet, vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos

[1] S. R. C. 28 April. 1866 (n. 3145); 5 Dec. 1868 (n. 3191 ad 4).
[2] Cfr. Mach, Tes. del Sac. n. 445.
[3] Cap. *Consuluisti*, de celebr. Miss.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

adesse nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam », sive « quando una tantum sit ecclesia in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest » [1]. Pro casibus et necessitatibus in iure non expressis, standum est tenori facultatum a Sancta Sede Episcopis Americanis concedi solitarum, quibus nullus sacerdos uti potest, nisi ex legitima subdelegatione et « dependenter ab Ordinario, ad quem pertinet, tum de vera necessitate, tum de possibilitate canonica remedia applicandi, ferre sententiam » [2].

349. Missae iteratio illicita est diebus festis suppressis, in quibus populus Missam audire non tenetur. Pariter interdicta est in eorum commodum, qui velint praecepto audiendi Missam satisfacere in suis privatis oratoriis, etiamsi agatur de domibus magnatorum. Et consuetudines contrariae non constituunt titulum sufficientem, ut idem sacerdos offerre bis possit uno eodemque die Sanctum Sacrificium. Nec valet ratio paupertatis sacerdotum; *abusus* enim esset *intolerabilis*, ait Benedictus XIV, facultas alicui sacerdoti facta iterandi Missam *eum in finem, ut duplici eleemosyna decentius se sustentaret*. Denique interdicta est sacerdoti Missae iteratio, quoties alius haberi possit sacerdos, qui populi necessitati valeat satisfacere, ceu expresse docet idem Benedictus XIV, in Constitutione *Declarasti Nobis* [3].

350. In casu unius parochi cum duabus parochiis, pro certo habendum est *parochum nedum posse, sed plane teneri bis eodem die celebrare*. Quod si, ob praesentiam alterius sacerdotis habilis, binandi facultate

[1] Bened. XIV. Const. *Declarasti Nobis*, 16 Martii 1746; Leo XIII. Litt. Ap. *Trans Oceanum*, 18 April. 1897.
[2] Cfr. Instr. S. C. de Prop. Fide 24 Maii 1870. V. Appen. n. XXXIV.
[3] Ibid.

aliquibus in casibus uti non possit, tenetur ipse parochus stipendium alteri sacerdoti suppeditare; posita autem eius impotentia, tenetur populus; denique, si neque populus ob paupertatem ad id compelli posset, Ordinarius supplere teneretur [1].

351. Ordinarii sedulo curent, ut, in usu indultorum circa binationem Missae, omnino serventur normae a S. C. de Propaganda Fide praescriptae, in Instructione de Missa bis in die celebranda, edita die 24 Maii 1870, quae, una cum Instructione S. Rituum Congregationis diei 11 Martii 1858, et supplemento addito ab eadem S. C. de Propag. Fide circa modum purificandi calicem qui pro prima Missa inservierit, in Appendice inseritur [2].

352. Licet cuilibet sacerdoti Missam celebrare, orta iam die [3], atque etiam in aurora, dummodo non ante mediam horam ante lucem [4]. Quoad regiones carentes aurora, idem intelligitur moraliter de tempore, quod aequivalet et correspondet aurorae, hoc est de exordio diei civilis, moralis et usualis, in quo homines diluculo surgere solent ad opera, iuxta receptas et approbatas consuetudines [5].

353. Nemini liceat, etiamsi agatur de praelatis, Episcopo inferioribus, in Missa duos ministros seu inservientes habere, vel quatuor candelas accensas adhibere, sed unum tantum ministrum et duos cereos [6]. Quod de Missis stricte privatis intelligendum est; sed quoad Missas parochiales vel similes, diebus solemnioribus, et quoad Missas quae celebrantur loco solemnis atque

[1] Cfr. Instr. S. C. de Prop. Fide 24 Maii 1870. V. Appen. n. XXXIV.
[2] Ibid.
[3] S. R. C. 10 Ian. 1597 (n. 62).
[4] S. C. C. Ian. 1608, ap. Adone, Syn. Can. III. 1014.
[5] S. R. C. 18 Sept. et 2 Nov. 1634 (n. 614).
[6] S. R. C. 7 Sept. 1850 (n. 2984).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cantatae, occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis, tolerari potest usus duorum ministrorum et accendendi plusquam duos cereos [1]. In Missis privatis permitti nequit, ut minister aperiat Missale ad designandam Missam [2]. Mulieres servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino [3]. Urgente autem necessitate, potest sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis, quae ad Sacrificium occurrere possunt, ne mulier inserviat altari, eius ministerio uti tantum pro responsis [4]; proinde tolerari non potest, ut ipsa ad altare accedat; sed a loco separato extra presbyterium respondeat.

354. Secluso speciali apostolico indulto, in Missa, quae celebratur cum cantu, sed sine adsistentia sacrorum ministrorum, non licet thurificationes peragere. Si autem, dum Missa sine sacris ministris cantatur, SS. Sacramentum super altare est expositum, incensationes in Missa pariter omittendae sunt, et SS. Sacramentum incensatur tantum postquam in throno fuit collocatum, et antequam deponatur [5].

355. Omnes et singuli, qui actu curam animarum exercent, etiam amovibiles ad nutum, sive sacculares sint sive regulares, tenentur Missam parochialem applicare pro populo ipsorum curae commisso: quae obligatio declinari non potest vi contrariae consuetudinis [6]. Porro haec applicatio fieri debet, tum omnibus diebus Dominicis, aliisque diebus festis de praecepto, tum diebus festis ex indulto Sanctae Sedis abrogatis; idque

[1] S. R. C. 12 Sept. 1857, ad 7, 8, 9 (n. 3059).
[2] S. R. C. 7 Sept. 1816, ad 5 (n. 2572).
[3] Bened. XIV. Const. *Etsi pastoralis*, 26 Maii 1742.
[4] S. R. C. 27 Aug. 1836, ad 8 (n. 2745); 18 Martii 1899, ad 6 (n. 4015).
[5] S. R. C. 18 Martii 1874, ad 1 (n. 3328).
[6] Bened. XIV. Const. *Cum semper oblatas*, 19 Aug. 1744.

sive parochi habeant congruam, sive non; nec possunt iisdem diebus aliam eleemosynam recipere [1]; et quidem, excepto casu verae necessitatis et concurrente causa canonica, parochi ipsi, etiam privatim celebrantes, Missam pro populo applicare debent, non autem per alium sacerdotem [2].

356. Si vero, praeter suam parochiam, aliquis parochus aliam obtinuerit, debet, in unaquaque ecclesia, sive per se sive per alium, applicare pro populo; exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva. Parochus enim tenetur, sive per se, sive per alium, ad tot Missas pro populo celebrandas, quot parochias regit. Parochus, duas habens parochias, qui, ob rationabilem causam, non potuit die Dominico vel festo secundam Missam celebrare, tenetur infra hebdomadam applicare Missam pro sua secunda parochia. Idemque dicendum de diebus festis suppressis, in quibus binare non licet [3].

357. Missa pro populo, excepto casu necessitatis, non solum ab ipso parocho, sed etiam in propria Ecclesia, et non in alia, celebrari debet. Parochus, die festo a sua parochia legitime absens, satisfacit applicando Missam pro populo suo, in loco ubi degit. Parochus vero, utcumque legitime impeditus ne Missam celebret, tenetur eam die festo per alium celebrare et applicare facere pro populo, in Ecclesia parochiali: quod si ita factum non fuerit, quam primum poterit, Missam pro populo applicare debebit [4].

[1] Pius IX. Encycl. *Amantissimi*, 3 Maii 1858 (V. Appen. n. XX); S. R. C. 14 Iunii 1845, ad 2 (n. 2892).
[2] S. C. C. 25 Sept. 1847, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 3, n. 371, 373.
[3] S. C. C. 3 Febr. 1884 (Coll. P. F. n. 214).
[4] S. C. C. 14 Dec. 1872 (Coll. P. F. n. 207).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

358. Ex solemni declaratione SS. D. N. Leonis XIII constat: « Omnes et singulos Episcopos, quacumque dignitate, etiam Cardinalitia, auctos, item Abbates iurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum cum territorio separato habentes, in Dominicis aliisque festis diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, et qui ex dierum de praecepto festorum numero sublati sunt, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, ad Missam pro populo sibi commisso celebrandam et applicandam teneri... Huic officio satis facturos per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso, etiamsi duas vel plures diocceses et Abbatias aeque principaliter unitas regant » [1].

359. Parochos praesertim aliosque divini Verbi praecones, et eos, quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monemus et hortamur, ut fidelibus populis tam sancti tamque admirabilis Sacrificii necessitatem, praestantiam, magnitudinem, finem, fructus, studiosissime et accuratissime exponant, explicent, ac simul fideles ipsos verbo et exemplo excitent, inflamment, quo eidem Sacrificio, ea, qua par est, fide, religione ac pietate, frequentissime intersint, ut divinam misericordiam, et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant [2].

360. Quoniam Concilium Tridentinum [3] praescripsit, ut nullus clericus peregrinus, sine commendatitiis sui Ordinarii litteris, ab ullo Episcopo ad Divina celebranda et Sacramenta ministranda admittatur; praecipimus universis, ad quos spectat, ut documenta, quae a Sacerdotibus exteris proferentur, diligenter expendant; seduloque invigilent, ne quis ignotus et advena Sacrum facere audeat, qui necessarias litteras, ac testimonia ab omni suspicione penitus aliena, antea non produxerit; ne forte, quod Deus avertat, aliquis sacerdotii Ordine minime insignitus, vel irregularis, aut suspensus, ad celebrandum Missae sacrificium accedat.

1 Leo XIII. Const. *In suprema*, 10 Iun. 1882.
2 Pius IX. Encycl. *Amantissimi*, 3 Maii 1858.
3 Conc. Trid. sess. 23. cap. 16 de ref.

361. Fiducia, qua fideles retinent, celebrationem triginta Missarum, quae vulgo Gregorianae dicuntur, uti specialiter efficacem, ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae, ad animae a Purgatorii poenis liberationem, pia est et rationabilis; atque praxis easdem Missas celebrandi est in Ecclesia probata. Missae autem Gregorianae applicari nequeunt pro vivis [1].

CAPUT II.

De cultu Sanctissimi Sacramenti et Sacratissimi Cordis Iesu.

362. Quoniam, ex ineffabili benignitate Dei nostri, in augustissimo Eucharistiae sacramento, « hoc nobis cum Coelitibus commune est, ut utrique Christum Deum et hominem praesentem habeamus; sed, quo uno gradu ab iis distamus, illi praesentes beata visione perfruuntur, nos praesentem, et tamen ab oculorum sensu remotum, sacrorum mysteriorum admirabili integumento se occultantem, firma et constanti fide veneramur » [2]; tantum Sacramentum totis viribus et privata ac publica adoratione prosequamur, eiusque saluberrimum cultum, quantum possumus, propagemus.

1 S. C. Indulg. 11 Mart. 1884, 24 Aug. 1888. V. Appen. n. LI, LX.
2 Cat. Rom. de Euch. n. 32.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

363. Igitur omnes animarum pastores, omnesque Sacerdotes, in publicis concionibus, in catechetica institutione, in sacramenti Poenitentiae administratione, in privatis quoque colloquiis, fideles ardenti zelo hortentur, atque commoneant, ut, quam frequentissime possint, ad visitandum et adorandum amantissimum Dominum ac Salvatorem nostrum concurrant.

364. Sacerdotes autem operibus confirmare non cessent, quod de hoc augustissimo Sacramento faciendum praedicant. Ideoque videantur a fidelibus prope tabernaculum in adoratione humiliter consistentes, summa reverentia ad tabernaculum accedentes, devotissima veneratione genuflexiones peragentes, et decorem domus Dei indefessa sollicitudine promoventes.

365. Sodalitates SS. Sacramenti in omnibus parochiis instituantur vel instaurentur, et, opportunis regulis, ad hodiernam civitatum christianarum conditionem pro viribus accommodentur, ne in solo solemni apparatu consistant, sed efficaciter adaptentur ad veram praxim vitae christianae. In praecipuis oppidis, curandum est, ut introducatur et vigeat usus perpetuae adorationis, saltem diurnae, SS. Sacramenti.

366. Sub anathematis censura, proscripta fuit a Concilio Tridentino impietas illorum, qui dicunt SS. Sacramentum cultu latriae, etiam externo, non esse adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum; aut non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, vel illam ad infirmos honorifice deferri [1].

[1] Conc. Trid. sess. 13. can. 6. 7. de Euch.

367. Privata SS. Sacramenti expositio, seu sacrae pyxidis intra tabernaculum, eius ostiolo tantum aperto, licite fieri potest, ex iusta et rationabili causa, absque necessitate Ordinarii veniam obtinendi [1]. Publica autem, seu sacrae Hostiae in ostensorio insertae, et in throno solemni ritu exhibitae, fieri non potest, etiamsi agatur de ecclesiis Regularium, absque Episcopi licentia, gratis concedenda. Singulorum igitur Episcoporum erit id hac in re statuere, quod magis in Domino expedire iudicaverint [2], ac providere de opportunis remediis contra abusus alicubi existentes.

368. Oratio Quadraginta Horarum, in omnibus saltem ecclesiis parochialibus et regularibus, de licentia Ordinarii, statutis diebus, summa devotione et cultus splendore peragatur. Optamus etiam, ut tam salutare exercitium, in omnibus aliis ecclesiis, in quibus legitimo iure asservatur SS. Sacramentum, praevia Episcopi venia, pro viribus perficiatur. Ubi autem, ob speciales locorum et ecclesiarum circumstantias, solemnis haec Oratio fieri non possit, curent Episcopi, ut saltem per aliquas horas continuas, statutis diebus, solemniori cultu exponatur SS. Sacramentum. Cavendum tamen omnino est ne Eucharistiae expositio fiat in Missis solemnibus defunctorum.

369. Processiones Sanctissimi Sacramenti, in festo SS. Corporis Christi, seu rite statuto tempore, servatisque adamussim apostolicis praescriptionibus, per vias et loca publica decenter ornata, maiori qua fieri poterit solemnitate, peragantur, prudenter remotis omnibus usibus sincerae populorum pietati et tantae solemnitatis religiosae gravitati contrariis. In iis autem locis,

[1] Bened. XIV. Ep. ad Card. Urb. Vic., 27 Iulii 1755.
[2] Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ubi extra tempus statutum, ob defectum parochi, permittuntur processiones ad similitudinem processionis Corporis Christi, Episcopi sedulo curent, ut abusus coerceantur et praesertim ut tempus statutum nemini praetergredi liceat.

370. SS. Sacramentum asservandum est in omnibus ecclesiis parochialibus et quasi-parochialibus, etiam ruralibus, et in ecclesiis Regularium, tam virorum quam monialium; in aliis autem ecclesiis, sacellis et oratoriis, non licet, absque speciali indulto Sedis Apostolicae [1]. In uno tantum ecclesiae altari servari debet: neque ferri potest consuetudo ipsum asservandi in duobus altaribus, et nonnunquam, occasione novendialis aut alicuius festivitatis, transferendi etiam ad aliud altare, diversum ab illo in quo ordinarie asservatur [2]. In locis, ubi, ex deploranda fidelium negligentia, circa frequentiam S. Communionis Eucharisticae, vel alia de causa, paucae tantum hostiae necessariae sunt, quinque saltem Particulae consecratae assidue serventur in tabernaculo, quae, octavo quoque die, vel, si loci humiditas id requirat, etiam saepius renoventur [3].

371. Tabernaculum, in quo SS. Sacramentum asservatur, debet esse quam nitidum, affabre elaboratum, ornatum, et conopeo ad instar tentorii decenter opertum, non obstante contraria consuetudine; insuper benedictum [4] « benedictione tabernaculi », ut in Rituali, bene tutoque clausum, atque ita quoque aptatum, ut inde SS. Sacramentum commode depromi possit.

372. Tabernaculum vacuum sit a Reliquiis, vasculo

1 S. R. C. 14 Iunii 1646 (n. 895).
2 S. R. C. 14 Martii 1861, ad 13 (n. 3104).
3 S. R. C. 12 Sept. 1884, ad 2 (n. 3621).
4 S. R. C. 20 Iun. 1899, ad 4 (n. 4035).

Olei infirmorum, atque alio quocumque vase [1]. Igitur nihil omnino in tabernaculo, praeter vasa SS. Eucharistiam actu continentia, vel nondum purificata, servari potest. Ante illius ostiolum retineri nequit vas florum vel quid simile, quod praedictum occupet ostiolum, potest tamen in humiliori loco [2]; imo nec reliquiae illius Sancti, cuius festum celebratur, non obstante contraria consuetudine [3]; neque superimponi imagines aut reliquiae Sanctorum, nec quidem SS. Crucis, ita ut idem tabernaculum pro basi inserviat [4]. Ante SS. Sacramentum, lampades plures, vel saltem una, diu noctuque, perpetuo colluceant, et quidem non e longinquo vel in choro, sed intra; et ante altare SS. Sacramenti [5]. Generatim, utendum est oleo olivarum: ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae Episcopi, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit, vegetalibus [6]. Luce electrica uti non licet ad cultum, sed tantum ad depellendas tenebras Ecclesiasque illuminandas, cauto tamen, ne modus speciem prae se ferat theatralem [7].

373. Non decet sacram Hostiam, in ostensorio exponendam, inter vitreas laminas includere, quarum superficies illam immediate tangat [8]. Neque licet lumen aliquod eo artificio collocare, e parte postica Osten-

1 Acta Eccles. Mediolan. I. pag. 110.
2 S. R. C. 22 Ian. 1701, ad 10 (n. 2067).
3 S. R. C. 6 Sept. 1845 (n. 2906).
4 S. R. C. 31 Martii 1821, ad 6 (n. 2623); 12 Martii 1836, ad 1 (n. 2740).
5 S. R. C. 22 Aug. 1699 (n. 2033).
6 S. R. C. 9 Iulii 1864 (n. 3121).
7 S. R. C. 4 Iunii 1895 (3859).
8 S. R. C. 4 Febr. 1871, ad 4 (n. 3234); 4 Sept. 1880, ad 6 (n. 3524); 14 Ian. 1898 (n. 3974).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sorii, ut directe illuceat in ipsam Sacratissimam Hostiam, quae exinde lucida appareat [1].

374. Hortamur omnes sacerdotes, ut frequenter legant, in probatis auctoribus, quae respiciunt cultum SS. Sacramenti, et praesertim decreta Sanctae Sedis, in quibus abusus non pauci hinc inde introducti proscribuntur.

375. Studeant quoque omnes christiani, iuxta votum SS. D. N. Leonis PP. XIII, amantissimum Cor Iesu, quantum possunt, redamare; studeant idem, in tanta temporum iniquitate, non modo neglectu, sed iniuriis etiam et nequioribus quotidie ausibus lacessitum, supplici atque humili obsecratione lenire; studeant scelera pietate, maledicta piis laudibus, contemptum amore rependere [2].

376. Volumus igitur, ut festum Sacratissimi Cordis Iesu, quam solemniter in singulis ecclesiis, praesertim parochialibus, recolatur: et peroptamus, ut in omnibus ecclesiis parochialibus et aliis, in quibus commode fieri possit, singulis feriis sextis, quae primae unoquoque mense occurrunt, peculiares pietatis exercitationes in honorem Divini Cordis, de licentia Ordinarii, saltem mane peragantur; item, huiusmodi piis exercitationibus addere licitum erit Missam votivam Sacri Cordis Iesu, dummodo in illam diem non incidat festum aliquod Domini, aut duplex primae classis, vel feria, vigilia, octava ex privilegiatis, vel commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum [3]. Sciant praeterea omnes fideles, in iis

[1] S. R. C. 5 Apr. 1821, ad 5 (n. 2613).

[2] Leo XIII. Litt. *Benigno*, 28 Iunii 1889. Cfr. Litt. S. R. C. *De cultu SS. Cordis Iesu amplificando*, edit. die 21 Iulii 1899. V. Appen. n. CXXII.

[3] S. R. C. 19 Febr. 1892, ad 3 (n. 3769); 20 Maii 1892 (n. 3773); 30 Aug. 1892, ad 1 (n. 3792); 10 Maii 1895, ad 2 (n. 3855).

ecclesiis vel oratoriis, ubi, die festo sive proprio sive translato ipsius Sacri Cordis Iesu, coram SS. Eucharistia, divina officia persolventur, Clerum et populum, qui hisce officiis intererit, easdem lucrari posse indulgentias, quas fidelibus, per octiduum Corporis Christi, divinis officiis adsistentibus, Summi Pontifices largiti sunt [1]. Hortamur etiam omnes parochos et ecclesiarum rectores, ut totis viribus pium mensis SS. Cordis Iesu exercitium promovere curent.

377. Imagines SS. Cordis Iesu, publicae venerationi exponendae, personam Christi Domini, cum Corde exterius patente, non autem solum Cor repraesentare debent. Imagines autem solum Cor Iesu exhibentes, privatae devotioni permittuntur, dummodo in altaribus publicae venerationi colendae non exponantur [2].

378. In saluberrimo cultu SS. Cordis Iesu, sedulo vitetur, sive in invocationibus sive in emblematibus, quidquid novitatem sapit, vel insolitum videtur: et hac in re Ordinarii vigilantissimi sint et prudenti severitate procedant. Sciant quoque fideles, cultum erga SS. Cor Iesu in Eucharistia, non esse perfectiorem cultu erga ipsam Eucharistiam, neque alium a cultu erga SS. Cor Iesu [3].

379. Hortamur concionatores et sacerdotes omnes, parochos praesertim, ut totis viribus commendare curent devotionem erga SS. Cor Iesu, fideles omnes in Domino excitantes, ut nomen dent piis sodalitatibus eiusdem SS. Cordis, vel piae precantium foederationi, quae *Apostolatus orationis* dicitur.

[1] Leo XIII. Litt. *Benigno*, 28 Iunii 1889.

[2] S. Off. 26 Aug. 1891 (Coll. P. F. n. 1976).

[3] S. Off. 3 Iun. 1891 (Mon. Eccl. VII. p. 1. pag. 101. Cfr. Raccolta, n. 121).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT III.

De cultu Beatae Mariae Virginis.

380. Quaerentes gratiam, per Mariam quaeramus. Igitur hortamur omnes fideles, ut, Immaculatam Virginem Mariam, peramantissimam Matrem nostram, « in primo instanti suae Conceptionis, singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem »[1], firma fide et laetanti corde confitentes, Ipsius Immaculatae Conceptionis festum quam solemnissime recolant, et probatas erga tantum mysterium pietatis exercitationes peragant.

381. Sacrorum ministri, in catechesibus, in concionibus et quavis alia opportunitate, pietatem et devotionem erga sanctissimam Dei Matrem omni studio et industria foveant; eius dotes ac privilegia, misericordiam et supplicem potentiam pro viribus extollere curent; eius festa, triduanas, novendiales et mensis mariani supplicationes, ardentissimo zelo promoveant; mariana sodalitia in universa Ecclesia vigentia instaurent, confirment vel erigant, servatis de iure servandis.

382. Inter omnia pietatis exercitia erga SS. Deiparam, commendetur praecipue pius ac frequens accessus ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, in omnibus solemnitatibus marianis. Ex iisdem probatis pietatis exercitiis, promoveantur imprimis quotidiana recitatio Sanctissimi Rosarii, non privata tantum, sed quae iuxta avitam populi latino-americani pietatem, in singulis familiis communiter peragitur, nec non usus

[1] Pius IX. Bulla dogm. *Ineffabilis*, 8 Dec. 1854.

scapularis Beatae Mariae Virginis de Carmelo, atque aliorum ab Apostolica Sede approbatorum.

383. Cum autem, ex instauratione antiquissimae et saluberrimae praxis recitationis privatae et domesticae nec non publicae Sanctissimi Rosarii Mariani, innumerabilia prope beneficia, tum singulis fidelibus, tum particularibus familiis, tum toti civitati, teste plurimorum saeculorum experientia, promanare constet, iterum atque iterum omnes et singulos fideles hortamur, ut quotidie tertiam saltem Rosarii partem recitare curent. Omnes vero animarum pastores, omnes patresfamilias et domini, per assiduam et indefessam propagationem huiusmodi devotionis, Illam elucidare satagant, quae, potentissimis precibus suis, ad vitam aeternam aditum tutissimum praeparat iis, qui, verbo et exemplo, illius cultum et fiducialem populorum affectum promovere solent. Mense autem Octobri, haec publica Rosarii recitatio solemniter fiat, iuxta iteratas exhortationes et praescriptiones SS. D. N. Leonis XIII. in devotissimis et sapientissimis Litteris Encyclicis de Rosario Mariano.

CAPUT IV.

De cultu Sanctorum et de Indulgentiis.

384. Quoniam *filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo* (Tob. II. 18); ut, multiplicatis intercessoribus, facilius gratiam nobis largiatur Deus et veniam ac aeterna praemia, omniaque nobis necessaria, Sanctos cum Christo regnantes humiliter ac fidenter invocare assuescant omnes fideles; eorum virtutes recolere et pro viribus imitari studeant; et religiosa

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

laetitia eorum praesertim solemnia celebrare curent, quorum nomine et tutela unusquisque gloriatur, et quos patronos ac speciales protectores designatos habent tum singulae parochiae, tum propria dioecesis, provincia vel natio.

385. Beatissimi Iosephi, Sponsi B. Mariae Virginis, cultum summa pietate promovere studeant animarum rectores et verbi Dei dispensatores. « Habent *enim* in Iosepho patresfamilias vigilantiae providentiaeque paternae praestantissimam formam: habent coniuges amoris, unanimitatis, fidei coniugalis perfectum specimen: habent virgines integritatis virginalis exemplar eumdem ac tutorem. Nobili genere nati, proposita sibi Iosephi imagine, discant retinere, etiam in afflicta fortuna, dignitatem: locupletes intelligant, quae maxime appetere totisque viribus colligere bona necesse sit. Sed proletarii, opifices, quotquot sunt inferiore fortuna, debent suo quodam proprio iure ad Iosephum confugere » [1].

386. Igitur, praeter quotidiana devotionis exercitia in honorem S. Iosephi, quae summopere commendamus, volumus, ut, quantum fieri poterit, in praecipuis saltem ecclesiis, earum rectores mensem Martium honori sancti Patriarchae, peculiari pietatis exercitatione, consecrare curent: quod sane pietatis opus *salutare maximeque laudabile* merito vocatur a SS. D. N. Leone XIII. Ubi vero id institui non facile queat, optandum saltem ut, ante diem eius festum, in templo cuiusque oppidi principe, supplicatio in triduum fiat. Mense autem Octobri, in recitatione Rosarii, oratio ad S. Iosephum, quae incipit: *Ad te, beate Ioseph*, adiungatur [2].

387. Ut nos et populos nostros defendat in praelio,

[1] Leo XIII. Encycl. *Quamquam pluries*, 15 Aug. 1889.
[2] Ibid.

sitque contra nequitiam et insidias diaboli praesidium, S. Michaëlem Archangelum singulari pietate recolamus; eumque assidue invocemus, ut Satanam aliosque spiritus malignos, qui ad perditionem animarum pervagantur in mundo, divina virtute, in infernum detrudat, et machinationes mancipiorum Satanae dissolvat.

388. Cavendum est omnino, ne Sanctorum solemnia comessationibus, choreis, ebrietatibus et irreligiosis vel inhonestis aut immoderatis spectaculis profanentur: ideo parochi, ante dies festos praecipuos, fideles commoneant, ut, per veram pietatem, Sacramentorum frequentiam et religiosam assistentiam divinis officiis, protectionem Sanctorum mereantur.

389. Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus, illa usa fuerit, et anathemate damnati fuerint a Concilio Tridentino [1], qui indulgentias aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant; hortamur omnes fideles, ut sacras indulgentias maximi facere et totis viribus lucrari contendant, tam pro se, quam pro defunctis, servatis conditionibus praescriptis.

390. In concedendis Indulgentiis suis dioecesanis, moderationem, iuxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhibere curent Episcopi, ne, nimia facilitate, ecclesiastica disciplina enervetur [2].

391. Ordinarii, non modo sollicite invigilent ut indulgentiae falsae et apocryphae, quantum fieri potest, minime circumferantur, easque e fidelium manibus removeant, verum etiam satagant ut decreta a S. C. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum edita, praesertim su-

[1] Sess. 25. decr. de indulgent.
[2] Conc. Trid. ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

per earumdem Indulgentiarum publicatione et impressione, accurate observentur [1].

392. Quando Summus Pontifex Indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi, ut fideles eam in variis dioecesibus lucrari possint, non requiritur, ut ab Ordinariis locorum promulgetur. Possunt tamen Episcopi indulgentias in suis dioecesibus promulgare, modo certi sint de earumdem genuinitate, ut si eas reperiant relatas apud auctores fide dignos [2].

393. Non potest Episcopus eidem actui pietatis, vel eidem pio Sodalitio, cui a Romano Pontifice iam indulgentiae, sive plenariae, sive partiales, concessae sunt, alias indulgentias adiungere; neque potest crucibus, coronis, sacris imaginibus a Papa, vel a sacerdote legitima facultate munito, benedictis, novas adnectere indulgentias. Neque potest eidem rei vel eidem actui pietatis, cui iam Antecessor indulgentias annexuit, novas indulgentias applicare. Insuper, nequit Episcopus fidelibus Dioecesis non suae indulgentias concedere, etiamsi Ordinarius loci consentiat: ideoque invalida est hac in re *cumulatio* indulgentiarum pro uno eodemque actu a plurimis Episcopis concessarum. Item nequit Episcopus, ad augendas indulgentias, eumdem actum pietatis in partes dividere [3].

394. Omnes quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur [4] latae sententiae, Romano Pontifici simpli-

[1] S. C. Indulg. 14 April. 1856 (Decr. Auth. n. 370, 371, 372, 373, 376).
[2] S. C. Indulg. 1 Iul. 1839, 31 Aug. 1844 (Decr. Auth. n. 273, et Moccheggiani, Coll. Indulg. n. 95).
[3] S. C. Indulg. 12 Ian. 1878 (Decr. Auth. n. 435); 26 Maii 1898 (Mon. Eccl. X. p. 2. pag. 106).
[4] S. Pius V. Const. *Quam plenum*, 2 Ian. 1569.

citer reservatae [1]. Et omnes meminerint indulgentias crucibus, coronis etc. adnexas amitti, si aliquid, quocumque titulo, sive pretii, sive permutationis, sive muneris, sive eleemosynae, requiratur vel accipiatur [2].

395. Per profanationem Ecclesiae, non amittuntur indulgentiae iam antea eidem concessae: imo non cessant, si, eadem Ecclesia diruta, nova, dummodo in eodem loco et sub eodem titulo, aedificetur [3].

396. Sacerdos, qui Missam celebrat ex. gr. pro defuncto, eidemque applicat Indulgentiam plenariam Altaris privilegiati, potest eodem die, vi S. Communionis in Missae sacrificio peractae, lucrari aliam indulgentiam plenariam, vel sibi vel defunctis applicabilem, ad quam lucrandam praescribitur S. Communio [4]. Quoad infirmos et surdos mutos, standum est decretis S. C. Indulgentiarum 18 Sept. 1862 et 15 Martii 1852 [5].

397. Nisi habeatur speciale indultum Sanctae Sedis, ecclesia, iam Ordinis Minorum, postea, ob publicas perturbationes, devoluta Ordinario, et in qua Sacra faciunt Sacerdotes saeculares, indulgentiis generaliter vel specialiter omnibus fidelibus ecclesias Ordinis Minorum visitantibus concessis, ideoque Indulgentia Portiunculae, non amplius gaudet, etiamsi Regulares suis iuribus nullo modo renuntiaverint [6]. Quod et de aliis ecclesiis Regularium civiliter suppressorum intelligendum est.

398. Moneantur fideles materiam scapularium esse texturam laneam proprie talem, vulgo *tejido*, non autem laneam texturam reticulatam, vulgo *de punto*, neque

[1] Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis*.
[2] S. C. Indulg. 16 Iul. 1887; 9 Iulii 1896 (Moccheggiani, pag. 1076).
[3] S. C. Indulg. 9 Aug. 1843; 18 Sept. 1862 (Decr. Auth. n. 323, 396).
[4] S. C. Indulg. 10 Maii 1844 (Decr. Auth. n. 327).
[5] V. Raccolta, pag. XIII, et Appen. n. XVIII.
[6] S. C. Indulg. 10 Febr. 1818; 29 Maii 1841 (Decr. Auth. n. 243, 290).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

merum opus laneum acu pictum, vulgo *bordado;* item scapularia non esse necessario immediate super corpus deferenda, sed super vestes retineri posse; ad lucrandas autem indulgentias, sacris scapularibus adnexas, necesse esse, ut una pars ab humeris, altera a pectore descendat [1].

CAPUT V.

De sacris Imaginibus et Reliquiis.

399. Diligenter doceantur fideles per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, eruditi, et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per Sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem, vitam moresque suos componant, atque excitentur ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam [2].

400. Si aliquando historias et narrationes sacrae Scripturae, cum id indoctae plebi expediet, exprimi et figurari contigerit; doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione,

[1] S. C. Indulg. 12 Febr. 1840; 12 Martii 1855; 18 Aug. 1868 (Decr. Auth. n. 277, 279, 367, 423).

[2] Conc. Trid. sess. 25 de invoc. vener. et reliq. Sanctorum, et sacr. imag.

et imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quaestus eliminetur; omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur. Tanta, circa haec, diligentia et cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat; cum domum Dei deceat sanctitudo. Haec ut fidelius observentur, statuit sancta Tridentina Synodus, nemini licere ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit [1].

401. Non exponantur in ecclesiis quibuslibet et quomodolibet qualificatis, nec eorum frontispiciis et atriis, imagines profanae, vel alias indecentiam et inhonestatem prae se ferentes [2].

402. Votorum tabulae, donaria, imagines et eiusmodi alia, quae ad memoriam vel recuperatae valetudinis, vel periculi depulsi, vel beneficii divinitus mirabiliterque accepti, in ecclesiis ex antiquo more institutoque suspendi solent, nihil falso, indecore, turpiter superstitioseque prae se ferant; secus, omnino tollantur [3]. Similiter tollantur tabellae votivae partem corporis minus honestam referentes.

403. Prohibendum est sacrosanctae Crucis effigiem, aliasque imagines ac Sanctorum historias, sacrorumque mysteriorum figuras et significationes, in ullo quovis humi strato, pavimento, aut loco sordido, etiam extra ecclesiam insculpi, pingi effingive [4].

[1] Conc. Trid. ibid.

[2] Urbani VIII Const. *Sacrosancta Tridentina*, 15 Mar. 1642.

[3] Acta Eccles. Mediolan. I. pag. 479.

[4] Ibid. pag. 94.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

404. In sacris autem imaginibus, sicut Sancti, cuius imago exprimenda est, similitudo, quoad eius fieri potest, referenda est; ita cautum sit, ut ne alterius hominis viventis vel mortui effigies de industria repraesentetur [1].

405. Cultus Cordis S. Iosephi iam a Gregorio XVI reprobatus fuit, et idcirco prohibita numismata, quae una cum SS. Cordibus Iesu et Mariae, illud S. Iosephi exhibebant. Hinc parochi curent, ne talis cultus introducatur: et si forte introductus fuerit, removeatur [2].

406. Imagines devotae, in aliqua ecclesia speciali fidelium venerationi expositae, non possunt in aliam ecclesiam transferri sine beneplacito Apostolico; et si absque tali beneplacito sit iam facta translatio, non sustinetur, nec est approbanda. Episcopus tamen potest, ex iusta causa decentioris cultus, pias imagines transferre, invitis etiam patronis [3]: id tamen prudentissime peragendum, et raro absque gravissimis incommodis fiet.

407. Quum in aliquibus altaribus, Deo, Beatae Mariae Virgini, aut alicui Sancto dicatis, apponi soleant, vel stabiliter vel occasione festorum imagines alterius Sancti; visitantes huiusmodi Altaria lucrari nequeunt indulgentias concessas visitantibus Altaria postremi huius Sancti, si altaria sint consecrata; si autem altaria de quibus agitur, seu quibus apponitur imago Sancti non proprii, consecrata non sunt, indulgentiae lucrari possunt, dummodo talis appositio fiat de licentia Ordinarii.

408. Permitti non potest, ut, ante imagines, in medio altaris positas, apponantur lumina ex oleo, quae immineant mensae, et ardeant etiam tempore Missae.

[1] Acta Eccl. Mediolan. I. pag. 478.
[2] S. R. C. 14 Iunii 1873 (n. 3304). S. C. Indulg. 19 Febr. 1879. Bucceroni, Appen. Ferraris, tom. IX, pag. 535.
[3] S. C. C. 31 Iul. 1706, ap. Ferraris, v. *Imagines*, n. 37.

409. Cultus sacrarum Reliquiarum, per quas multa beneficia a Deo hominibus praestantur, una est ex pastoralibus curis, quas Sancta Tridentina Synodus Episcoporum solertiae commendavit [1].

410. Novae Reliquiae recipiendae non sunt, nisi recognoscente et approbante Episcopo [2]. Litterae authenticae Reliquiarum subscribi non possunt a Vicariis Generalibus [3]. De earum identitate, per probationes firmas et saltem morali evidentia certas, constare debet [4]. Tamen si desint authenticae litterae, possessio ab immemorabili et non interrupta, et etiam publicus cultus, id est certitudo moralis, sufficiunt, ut, in veneratione alicuius Reliquiae, fideles non sint inquietandi [5]. Episcopi vero est definire, an permittenda sit sanctarum Reliquiarum publica expositio, de quibus nullum authenticum documentum ostenditur [6]. Qua in re, prae oculis habendum est decretum S. C. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum diei 20 Ianuarii 1896 [7], videlicet: « Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi, in casu particulari, certa adsint argumenta eas falsas vel suppositicias esse ».

411. Reliquiae Sanctorum non asserventur in Monasteriis Monialium, sed in exteriori ecclesia [8]. Neque asserventur in privatis aedibus, neque apud laicos homines, sed in ecclesia, loco conspicuo, bene septo atque undique ornato, collocentur et asserventur. Liceat tamen

[1] Bened. XIV. Const. *Saror Imelda*. 20 Mali 1755.
[2] Conc. Trid. sess. 25 de invoc. etc. Sanctorum.
[3] S. C. Indulg. 23 Sept. 1780 (Decr. Auth. n. 240).
[4] S. C. Indulg. 19 Maii 1841 (Decr. Auth. n. 289).
[5] S. C. Indulg. 29 Febr. 1864 (Decr. Auth. n. 400).
[6] S. R. C. 21 Iul. 1696, ad 4 (n. 1946).
[7] Mon. Eccl. IX. p. 2. pag. 50.
[8] S. C. EE. et RR. 7 Martii 1617, ap. Ferraris, v. *Cultus Sanctorum*, n. 82.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aliquando, quibus Episcopus rationabili et pia causa id concedendum censuerit, eas asservare in privato Oratorio ac decenti, eiusdem Episcopi iudicio [1]. Haec de insignibus Reliquiis dicta sint. Parva enim reliquiaria cum particulis ex insignibus Reliquiis, ex communi Ecclesiae usu, devote retineri possunt etiam a personis privatis, dummodo Reliquiae authenticae sint, absit profanationis periculum et decenter serventur [2].

412. Reliquia, quae, ob temporum vicissitudines, deposita fuit in altera ecclesia, restituenda est ecclesiae, quae eam possidebat [3].

413. Reliquia SS. Crucis retinenda est separatim a Reliquiis Sanctorum [4].

CAPUT VI.

De Festis de praecepto.

414. « *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die, sabbatum Domini Dei tui est* » (Exod. xx. 8 seq.). Placuit autem Ecclesiae Dei, ut diei Sabbati cultus et celebritas in Dominicum diem trasferrentur, quoniam, eo die, et Christus Dominus, a mortuis resurgens, ad vitam aeternam nobis aditum patefecit, et Spiritus Sanctus Apostolis datus est. Porro, cum hoc praeceptum de festorum sanctificatione eiusmodi sit, ut fructum utilitatemque admirabilem afferat, maxime interesse debet parochi, concionatoris et catechistae, summam in eo explicando diligentiam adhibere. Quantum vero fidelium referat hoc praeceptum colere, ex eo perspicitur, quod, illud diligenter colendo, ad reliqua legis iussa servanda facilius adducentur. Quum enim inter caetera, quae diebus festis praestare debent, necesse habeant, verbi Dei audiendi causa, ad ecclesiam convenire; quum edocti fuerint divinas iustificationes, illud etiam consequentur, ut ex toto corde custodiant legem Domini [1].

1 Acta Eccl. Mediolan. I. pag. 92.
2 Cfr. Bened. XIV. *De Beat. et Canon. SS.* l. 2. c. 13.
3 S. R. C. 11 Martii 1837 (n. 2760).
4 Cfr. S. R. C. 27 Maii 1826 (n. 2647).

415. Et quoniam in praecepto sanctificationis festorum, speciali ratione, continetur praeceptum religiosi cultus publici, monendi et hortandi sunt supremi civilis societatis moderatores et magistratus, ut, in iis maxime, quae ad hunc Dei cultum retinendum atque augendum pertinent, Ecclesiae praesides auctoritate sua iuvent, iubeantque populum sacerdotum praeceptis obtemperare [2]. Sciant praeterea omnes fideles sub utroque sanctificationis praecepto remanere dies Ecclesiae lege sancitos, etsi a potestate civili haud recognitos.

416. Praeter diem Dominicum, alios dies festos, ab Ecclesiae initio et consequentibus deinde temporibus, Apostoli et sancti patres nostri instituerunt, ut pie et sancte Dei beneficiorum memoriam coleremus. Inter eos autem celeberrimi habentur illi dies, qui ob redemptionis nostrae mysteria religioni consecrati sunt; deinde, qui sanctissimae Virgini Mariae, et Sanctis cum Christo regnantibus dicantur; in quorum victoria, Dei bonitas et potentia laudatur, ipsis debiti honores tribuuntur, atque ad eorum imitationem fidelis populus incitatur [3].

417. Diebus festis, opera servilia ideo potissimum prohibentur, quia mentem nostram a divino cultu, qui

1 Cfr. Cat. Rom. de III Praecept. n. 2.
2 Ibid. n. 3.
3 Ibid. n. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

finis praecipuus praecepti est, abstrahunt. Igitur multo magis peccata a fidelibus vitanda sunt, quae non solum animum a divinarum rerum studio avocant, sed nos a Dei amore prorsus seiungunt [1]. Quapropter, desidiam eorum reprobamus, qui ad otium et delicias dies dominicos et festivos sibi praesto esse reputant; ac proinde non spiritualibus lucris conquirendis, sed profanis tantum spectaculis, ludis aleatoriis, tauromachiis, tripudiis, crapulis, ebrietatibus vacare solent, quae omnia dum a christianis officiis retrahunt, animam inquinant et iram Dei provocant [2].

418. Frequenter igitur excitentur fideles, ut, diebus festis, ad Dei templum accedant, eoque loco, pia sinceraque animi attentione, sacrosancto Missae sacrificio intersint; divina Ecclesiae sacramenta, quae ad salutem nostram instituta sunt, ad animae vulnerum curationem crebro adhibeant. Attente praeterea diligenterque sacra concio a fidelibus audienda est. Nihil enim minus ferendum est, neque tam profecto indignum, quam Christi verba contemnere, aut negligenter audire. Exercitatio item atque studium fidelium in precibus divinisque laudibus frequens esse debet, ac praecipua eorumdem cura, ut, quae ad christianae vitae institutionem pertinent, ea diligenter addiscant, seduloque se exerceant in iis officiis, quae pietatem continent, pauperibus et egenis eleemosynam tribuendo, aegros homines visitando, moerentes, quique dolore afflicti iacent, pie consolando [3]. Igitur parochi moneant fideles, ne, festis diebus, omnis eorum pietas in hoc tantum sistat, ut Missam audiant et a servili quocumque labore

[1] Cat. Rom. de III Praecept. n. 7.
[2] Cfr. Conc. Neogran. an. 1868, t. 5. cap. 7.
[3] Cat. Rom. de III Praec. n. 15.

cessent; sed, divini praecepti finem prae oculis habentes, piis operibus vacent [1].

419. Qui vero hanc legem omnino negligunt, ii, quum Deo et Ecclesiae non obediant, neque eius praeceptum audiant, et Dei, et sanctarum legum hostes sunt. Quod animadverti potest ex eo, quod praeceptum hoc eiusmodi est, ut nullo labore servari queat. Quum enim Deus non labores nobis imponat, quos vel difficillimos eius causa suscipere deberemus, sed quietos, illis diebus festis, a terrenis curis liberos esse iubeat; magnae temeritatis indicium est, huius praecepti legem recusare. Exemplo nobis esse debent supplicia, quae de illis Deus sumpsit, qui illud violarunt, ut ex libro Numerorum licet intelligere [2].

420. Quamvis uniformitas perfecta, in festis sub utroque praecepto observandis, difficillime haberi possit in omnibus regionibus latino-americanis: tamen curandum est pro viribus, ut, saltem pro unaquaque regione, auctoritate Sanctae Sedis, constituatur uniformis descriptio festorum de praecepto.

421. Omnibus diebus Dominicis, parochi, in Missa parochiali, fidelibus annuntient festa recolenda, dies ieiunii de praecepto, vigilias et rogationum dies, quae in sequentem hebdomadam inciderint; illosque moneant de indulgentiis, quas lucrari possunt.

422. Ubi, ex defectu Sacerdotum, impossibilis sit auditio Sacri diebus festis, curandum est pro viribus, ut omnes christiani, in ecclesia, sacello, vel aliquo honesto loco, singulis diebus festis, semel saltem et hora magis convenienti, convocentur, ut simul formulas rudimentorum fidei, Rosarium B. M. V., vel alias preces

[1] Conc. Urbin. an. 1859, art. 184.
[2] Cat. Rom. de III Praec. n. 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

devote recitent: et peroptamus, ut, ubicumque iudicio Ordinariorum prudenter fieri potest, per aliquem fidelem catechistam, vel alium virum pietate et morum integritate, quantum fieri poterit, commendabiliorem, fiat brevis aliqua lectio ad communem instructionem et aedificationem. Qua in re, singuli Episcopi, auditis aliquibus parochis et Missionariis experientia et zelo animarum praestantioribus, opportunam instructionem conficiant. Ne autem christiani ex erronea conscientia peccent, sciant omnes sacerdotes et catechistae « monendos esse fideles, qui in proposito casu Missam audire non possunt, non ideo solutos esse obligatione sanctificandi festum per precationes aliave pia opera; ideoque magnopere hortandos, nec tamen sub reatu peccati (tamquam praecepto Ecclesiae inobedientes) obligandos, ut satagant piis illis conventibus interesse, in quibus pabulo verbi Dei, aliisque religiosis exercitationibus, instrui et enutriri valeant, et, coniunctis precibus in spiritu caritatis, divinam opem efficacius implorare valeant » [1].

CAPUT VII.

De Abstinentia et Ieiunio.

423. Lex abstinentiae, in regionibus nostris, ex benignitate Sanctae Matris Ecclesiae, pervalde mitigata, sedulo ab animarum pastoribus, una cum lege ieiunii, opportunis temporibus, ad omnium fidelium memoriam revocetur. « In omni enim tempore, ait S. Leo Magnus, omnibusque vitae istius saeculi diebus ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores, ieiunia concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant,

[1] S. C. de Prop. Fide 4 Ian. 1798 (Coll. P. F. n. 2199).

et omnes bonae voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt » [1].

424. « Quadragesimale praesertim ieiunium, quod inter praecipua orthodoxae disciplinae capita, semper et ubique, ab ipso Ecclesiae exordio, numeratum esse nemo ex catholicis inficiatur » [2], vindicare debent parochi et confessarii, et in observantiam pro viribus perfectam revocare.

425. Moneantur fideles, infirmitatem, de utriusque medici consilio, aut aliud grave et rationabile impedimentum, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praecepto abstinentiae, diebus esurialibus [3].

426. Quoad fideles, qui, ratione famulatus, vivunt in domibus dominorum haereticorum vel pravorum catholicorum, et hac de causa exponuntur periculo violandi legem abstinentiae, applicari poterit haec norma, data a S. Congregatione S. Officii: « Si domini seu heri cibos illos parant servis catholicis, eosque adigunt ad illos comedendos, in contemptum catholicismi, neque cum protestatione est licitum de illis comedere. Si vero non in contemptum catholicismi, sed ratione oeconomiae domini id faciant, et alii cibi non suppetant, in ea necessitate possunt servi de vetitis cum protestatione comedere; et hoc, dummodo non inveniant alios dominos, qui sinant illos servare Ecclesiae praecepta » [4].

427. Lex de non permiscendis licitis et interdictis epulis eos etiam respicit, qui ad unicam comestionem non tenentur, uti iuvenes, antequam tertium expleverint septennium, aliique rationabiliter ab eadem excusati ob

[1] S. Leo Magn. Serm. 15. De ieiun. decimi mensis IV.
[2] Bened. XIV. Const. *In suprema*, 22 Augusti 1741.
[3] S. Poenit. 10 Ian. 1834 (Coll. P. F. n. 2067).
[4] S. Off. 27 Maii 1671 (Coll. P. F. n. 2049).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

impotentiam vel laborem [1]. Verum tuta conscientia sequi potest sententia auctorum excusantium a prohibitione permiscendi carnes cum piscibus eos qui edunt carnes non vi indulti, sed ob male affectam valetudinem [2]. Insuper fideles, qui, ratione affectae valetudinis, a lege ieiunii seu unicae comestionis eximuntur, licite possunt in Quadragesimae diebus, quibus esus carnium per indultum permissus est, toties carnibus vesci quoties per diem edunt [3]. Idem dicendum est de fidelibus, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur: qui scilicet praefatis diebus, toties quoties per diem edunt, carnibus vesci possunt [4]: nisi contrarium ex indulto pateat [5].

428. Quoniam uniformitas in abstinentiis et ieiuniis pro tota America Latina utilissima est, summopere convenit, ut, ad minus in singulis regionibus latino-americanis, aut saltem in singulis ecclesiasticis Provinciis, aequalis omnino sit norma ieiunii et abstinentiae, servatis de iure servandis quoad indulta apostolica iam obtenta vel opportune postulanda [6].

429. Ad vitandas autem difficultates in observantia abstinentiae et ieiunii, et ad praecavenda peccata ex erronea conscientia, parochi et confessarii, prae oculis habitis normis a probatis auctoribus traditis, fidelibus accurate doctrinam Ecclesiae exponant, circa liceitatem, qualitatem et quantitatem ciborum diebus ieiunii, praesertim in collatione serotina, quaenam praecipue sint et magis obviae causae excusantes; eisque insuper suadeant, ut, in casibus dubiis circa legem ieiunii, stent iudicio Confessarii.

1 S. Off. 24 Martii 1841 et 23 Iunii 1875 (Coll. P. F. n. 2076).
2 S. Poenit. 9 Ian. 1899 (Anal. Eccl. VII. pag. 500).
3 S. Poenit. 16 Martii 1882 (Coll. P. F. n. 2078).
4 S. Poenit. 24 Febr. 1819 (Coll. P. F. n. 2063).
5 S. Poenit. 27 Maii 1863, ap. Gury, edit. XIII, Palmieri, I. n. 514.
6 V. Appen. n. CXXI.

CAPUT VIII.

De sacris Ritibus et de Rituali.

430. Cum cultus Deo debitus, non in interna solum animi adoratione repositus sit, sed, natura ipsa impellente, exterius etiam et publice manifestari debeat, propterea pia mater Ecclesia curam maximam semper adhibuit in sacris determinandis moderandisque ritibus, quibus sanctae nostrae religionis cultus continetur. Itaque, quaecumque ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri aequum est. Episcopi igitur caveant, ne Sacerdotes ritus alios aut alias caeremonias et preces adhibeant, praeter eas, quae ab Ecclesia probatae, ac frequenti et laudabili usu receptae fuerint [1].

431. Missali et Caeremoniali nihil addi, minui vel immutari potest; sed omnia, in eodem Missali et Caeremoniali praescripta, servanda sunt [2]. Idem dicendum de Pontificali Romano. Partem aliquam demere ex aliquo ritu, salvis reliquis eiusdem ritus partibus, non est privati viri; sed auctoritas intercedat necesse est Romani Pontificis [3]. Neque fas est privata auctoritate, vel ex verae etiam devotionis zelique affectu, novum ritum inducere [4]; nec sunt alterandae rubricae ob devotionem populi.

432. Decreta a S. Rituum Congregatione emanata, et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formaliter editae, eamdem habent auctoritatem,

1 Conc. Trid. sess. 22, c. 5; sess. 22 de obs. et evit. in celebr. Miss.
2 Clem. VIII. Const. *Cum novissime*, 14 Iun. 1600.
3 Bened. XIV. Const. *Allatae*, 26 Iul. 1755.
4 Bened. XIV. Const. *Cum ul recte*, 27 Iul. 1755.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

impotentiam vel laborem [1]. Verum tuta conscientia sequi potest sententia auctorum excusantium a prohibitione permiscendi carnes cum piscibus eos qui edunt carnes non vi indulti, sed ob male affectam valetudinem [2]. Insuper fideles, qui, ratione affectae valetudinis, a lege ieiunii seu unicae comestionis eximuntur, licite possunt in Quadragesimae diebus, quibus esus carnium per indultum permissus est, toties carnibus vesci quoties per diem edunt [3]. Idem dicendum est de fidelibus, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur: qui scilicet praefatis diebus, toties quoties per diem edunt, carnibus vesci possunt [4]: nisi contrarium ex indulto pateat [5].

428. Quoniam uniformitas in abstinentiis et ieiuniis pro tota America Latina utilissima est, summopere convenit, ut, ad minus in singulis regionibus latino-americanis, aut saltem in singulis ecclesiasticis Provinciis, aequalis omnino sit norma ieiunii et abstinentiae, servatis de iure servandis quoad indulta apostolica iam obtenta vel opportune postulanda [6].

429. Ad vitandas autem difficultates in observantia abstinentiae et ieiunii, et ad praecavenda peccata ex erronea conscientia, parochi et confessarii, prae oculis habitis normis a probatis auctoribus traditis, fidelibus accurate doctrinam Ecclesiae exponant, circa liceitatem, qualitatem et quantitatem ciborum diebus ieiunii, praesertim in collatione serotina, quaenam praecipue sint et magis obviae causae excusantes; eisque insuper suadeant, ut, in casibus dubiis circa legem ieiunii, stent iudicio Confessarii.

1 S. Off. 24 Martii 1841 et 23 Iunii 1875 (Coll. P. F. n. 2076).
2 S. Poenit. 9 Ian. 1899 (Anal. Eccl. VII. pag. 500).
3 S. Poenit. 16 Martii 1882 (Coll. P. F. n. 2078).
4 S. Poenit. 24 Febr. 1819 (Coll. P. F. n. 2063).
5 S. Poenit. 27 Maii 1863, ap. Gury, edit. XIII, Palmieri, I. n. 514.
6 V. Appen. n. CXXI.

CAPUT VIII.

De sacris Ritibus et de Rituali.

430. Cum cultus Deo debitus, non in interna solum animi adoratione repositus sit, sed, natura ipsa impellente, exterius etiam et publice manifestari debeat, propterea pia mater Ecclesia curam maximam semper adhibuit in sacris determinandis moderandisque ritibus, quibus sanctae nostrae religionis cultus continetur. Itaque, quaecumque ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri aequum est. Episcopi igitur caveant, ne Sacerdotes ritus alios aut alias caeremonias et preces adhibeant, praeter eas, quae ab Ecclesia probatae, ac frequenti et laudabili usu receptae fuerint [1].

431. Missali et Caeremoniali nihil addi, minui vel immutari potest; sed omnia, in eodem Missali et Caeremoniali praescripta, servanda sunt [2]. Idem dicendum de Pontificali Romano. Partem aliquam demere ex aliquo ritu, salvis reliquis eiusdem ritus partibus, non est privati viri; sed auctoritas intercedat necesse est Romani Pontificis [3]. Neque fas est privata auctoritate, vel ex verae etiam devotionis zelique affectu, novum ritum inducere [4]; nec sunt alterandae rubricae ob devotionem populi.

432. Decreta a S. Rituum Congregatione emanata, et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formaliter editae, eamdem habent auctoritatem,

1 Conc. Trid. sess. 22, c. 5; sess. 22 de obs. et evit. in celebr. Miss.
2 Clem. VIII. Const. *Cum novissime*, 14 Iun. 1600.
3 Bened. XIV. Const. *Allatae*, 26 Iul. 1755.
4 Bened. XIV. Const. *Cum ul recte*, 27 Iul. 1755.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanaverint, quamvis nulla facta fuerit de eisdem relatio Sanctitati Suae [1]: et derogant cuicumque contrariae invectae consuetudini, etiam immemorabili, et obligant quoad conscientiam; tamen, quoties ex prohibitione alicuius inveteratae consuetudinis in aliqua ecclesia vigentis, timetur grave aliquod incommodum, seu admiratio populi et scandalum, Episcopi prudentissime agant, et, si opus sit, recurrant ad Sanctam Sedem [2].

433. Ordinarius stricte tenetur opportunis remediis providere, ut rubricae et S. Rituum Congregationis decreta rite serventur. Si autem aliquod dubium occurrat, recurrat ad eamdem S. R. Congregationem pro declaratione; nequit enim Episcopus tamquam iudex definire dubia liturgica aut ritus immutare [3].

434. Magistri caeremoniarum, aliique, qui vident in ecclesiis functiones non peragi iuxta rubricas, nec observari decreta et resolutiones S. Rituum Congregationis, adeant loci Ordinarium, qui opportunis remediis providebit [4].

435. Parochi, concionatores et catechistae, opportune sacrorum rituum et caeremoniarum significationem populo exponere curent, ut fideles, maiori cum reverentia et animi devotione, sacris intersint.

436. *Memoriale Rituum*, a Benedicto XIII pro parvis ecclesiis editum, servetur in omnibus ecclesiis parochialibus ruralibus [5], et praevia licentia S. Sedis [6] etiam

[1] S. R. C. 23 Maii 1846 (n. 2916).
[2] S. R. C. 3 Aug. 1839, ad 1 (n. 2792); 11 Sept. 1847, ad 13 (n. 2951).
[3] S. R. C. 17 Sept. 1822, ad 1 (n. 2621); 11 Iun. 1605, ad 1 (n. 179); 21 Martii 1671, ad 2 (n. 1420).
[4] S. R. C. 17 Sept. 1822, ad 1 (n. 2621).
[5] S. R. C. 23 Maii 1846, ad 1 (n. 2915); 22 Iul. 1848, ad 5 (n. 2970).
[6] S. R. C. 23 Martii 1876 n. 3590).

a rectoribus aliarum ecclesiarum, in quibus verificentur conditiones *parvarum ecclesiarum*. Igitur, circa usum huius *Memorialis Rituum*, parochi et capellani hanc normam a Sancta Sede praescriptam sequantur: *Si Ecclesiae sufficiens Clerus suppetat, peragant functiones iuxta Missale Romanum: si tres aut quatuor Clericos tantum habeant, utantur Memoriali Rituum Benedicti XIII* [1].

437. In obeundis functionibus parochialibus, servari debent caeremoniae Ritualis Romani: cuius observatio, si alicubi non sit introducta, debet introduci [2]. Et quoniam prodierunt nonnullae formulae benedictionum a Sancta Sede haud approbatae, monemus omnes sacerdotes, illis tantum benedictionibus uti licere, quae Rituali Romano sunt conformes [3].

438. Ut necessaria uniformitas in rebus liturgicis facilius observetur, decernimus, ut fiat, pro nostris ecclesiis, specialis Appendix ad Rituale Romanum, in qua habeantur ea, quae ad aedificationem fidelium, nec non ad sacerdotum instructionem conducere visa fuerint: eaque Appendix, priusquam publicetur, Sanctae Sedis approbationi subiiciatur [4].

CAPUT IX.
De Musica sacra.

439. Hymnorum et psalmorum cantus ad Christi Crucifixi gloriam spectat et honorem, ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Unde, qui cantum ecclesiasticum de medio

[1] S. R. C. 7 Dec. 1888, ad 17 (n. 3697).
[2] S. R. C. 24 Febr. 1680, ad 7 (n. 1643).
[3] S. R. C. 7 April. 1832, ad 4 (n. 2689).
[4] Cfr. Conc. Prov. Quebecen. I. an. 1851, art. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tollunt, Christi magnificam gloriam obscurant, dulce curarum levamen evertunt, ordinis ecclesiastici hierarchiam confundunt, pulchritudinem ornatumque admirabilem Christi Sponsae foedant [1].

440. Cantus et soni graves sint, pii ac distincti, et domui Dei ac divinis laudibus accommodati, ut simul et verba intelligantur, et ad pietatem auditores excitentur [2]. Cantilenae omnes, quae risum vel scandalum pariunt, quin potius devotionem foveant, utpote repugnantes rubricis, tolli omnino debent [3].

441. Cantores, ubi fieri potest, clerici sint: omnino autem in choro clericalibus vestibus et superpelliceo utantur [4]. In processionibus autem cantores sive musici nequeant incedere commixti cum Clero, in habitu laicali. Laici cantores religiosi sint et integritate morum commendabiles: irreligiosi autem et scandalosi minime admittantur.

442. Symphoniae tolerari poterunt, ubi earum usus iam receptus est, dummodo graves sint, et earum prolixitudine aut diuturnitate taedium et fastidium non afferant iis, qui adsunt in choro, vel altari, in Vesperis aut in Missa, inserviunt [5].

443. Damnamus abusum, quo in musica mutatur notabiliter textus Sacrarum Scripturarum, mutilando, anteponendo, postponendo et alterando verba et sensum illarum, et adaptando eas modulationi, ita ut non musica Scripturae, sed haec illi inservire videatur [6].

[1] Cfr. S. August. in Ps. 148. S. Ioan. Chrysost. in Ps. 41. n. 1. Conc. Baltim. III. an. 1884, art. 114.

[2] Acta Eccl. Mediolan. I. pag. 28.

[3] S. R. C. 16 Ian. 1677, ad 7 (n. 1588).

[4] Acta Eccl. Mediolan. I. pag. 28.

[5] Bened. XIV. Const. *Annus qui hunc*, 19 Febr. 1749.

[6] S. R. C. 21 Febr. 1643, ad 1 (n. 823).

444. Musica instrumenta adhiberi possunt, dummodo tamen cantantium vocem corroborent et sustineant, minime vero ut opprimant et sepeliant, et solummodo ad vim verborum cantui adiiciendam, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur, commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem, et erga Deum divinarumque rerum amorem incitentur [1]. Qua in re, prae oculis habeatur Instructio S. Rituum Congregationis diei 7 iul. 1894, de musica sacra, et accurate serventur similia decreta eiusdem Congregationis [2].

445. Non attendere in Missae celebratione ad cantum in Missali impressum, sed quamdam cantilenam traditionalem sequi, nullibi adnotatam, ideoque ad arbitrium variabilem, non est uti consuetudo legitima retinenda, sed uti corruptela extirpanda. Adhiberi autem debent in cantu gregoriano editiones a S. Rituum Congregatione adprobatae, vel exemplaria, quae authentico testimonio Ordinariorum cum illis cohaerent [3].

446. Editio Gradualis a S. Rituum Congregatione accuratissime revisa, approbata atque authentica declarata, magnopere locorum Ordinariis, iisque omnibus, quibus musices sacrae cura est, commendatur, ut, cum in caeteris, quae ad sacram liturgiam pertinent, tum

[1] Bened. XIV. Const. *Annus qui hunc*, 19 Febr. 1749.

[2] V. Appen. n. LXXXII.

[3] S. R. C. 14 Martii 1896, ad dubium: « Utrum intonationes Hymni angelici ac Symboli, nec non singulae modulationes a Celebrante in Missa cantata exequendae, videlicet Orationum, Praefationis, Orationis Dominicae etc. cum relativis responsionibus ad chorum pertinentibus, ex praecepto servari debeant prout iacent in Missali; an mutari potius valeant, iuxta consuetudinem quarumdam Ecclesiarum? » respondit: « Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam; et quamcumque contrariam consuetudinem esse eliminandam, iuxta decretum in una de Guadalaxara diei 21 Apr. 1873 » (n. 3891).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

etiam in cantu, una cunctis in locis ac Dioecesibus eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia.

447. In omnibus Seminariis instituatur et foveatur schola cantus liturgici et religiosi.

448. Cantica religiosa popularia nulla permittantur, nisi de licentia Ordinarii, qui omnino curet, ut diligenter examinentur, tum ex parte doctrinali et litteraria, tum ex capite artis musicae; et nihil permittant a gravitate et sanctitate divini cultus quomodolibet alienum.

449. In missa solemni, cantiones omnes in lingua vulgari prohibitae sunt; et nihil intra Missarum solemnia cani debet, nisi ex Missali et ex Missa propria diei desumptum. Cantus *Tantum ergo* vel alicuius antiphonae de SS. Sacramento, in Missis solemnibus post elevationem et *Benedictus*, permittitur [1].

450. Mulieres in canentium choro, nisi habeatur legitima licentia, non admittantur. Monialibus tamen, et aliis piis feminis in communitate viventibus, licitum est sacras functiones cantu liturgico prosequi.

CAPUT X.

De praecipuis devotionis exercitiis.

451. Inter saluberrima devotionis exercitia, summopere commendamus frequentem sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae receptionem, quotidianam pro viribus Sacrosancti Missae Sacrificii auditionem, SS. Rosarii recitationem, et propriae conscientiae discussionem, cum actu contritionis.

452. Exercitium Viae Crucis, ut quam frequentius,

[1] S. R. C. 14 Apr. 1753, ad 6 (n. 2424); 22 Maii 1894 (n. 3827).

praesertim in ecclesiis parochialibus, fiat, enixe commendamus. Et quoniam, ex defectu observantiae conditionum in erectione Viae Crucis, fideles non raro privantur indulgentiis huic piae exercitationi concessis, parochi et rectores ecclesiarum prae oculis habeant decreta Sanctae Sedis, illaque diligenter observent.

453. Religiosa consuetudo B. Mariam Virginem ter in die salutandi, ad certum campanae signum, vulgo *Angelus Domini*, antiqua est, salutaris et indulgentiis cumulata: ideoque curandum est, ut ab omnibus fidelibus diligenter servetur.

454. Consociationi familiae christianae, sub protectione Sacrae Familiae, Iesu, Mariae, Ioseph, cuius cultus magno semper in honore habitus fuit, piorum virorum studio excitatae, a Pio IX olim recognitae et suprema nuper auctoritate ad novam formam redactae, illud est salutare propositum, nimirum familias christianas arctiori pietatis vinculo Sacrae Familiae devincire; quare consociationem hanc omni sollicitudine constituere ac promovere debent omnes parochi, ut Iesus, Maria, Ioseph, familias sibi deditas, tamquam rem propriam, apprime tueantur et foveant, iuxta Apostolicas Litteras Leonis XIII *Neminem fugit*, diei 14 Iunii 1892, et *Quum nuper*, diei 20 Iunii 1892 [1].

455. Orationes ante et post prandium, apud familias vere christianas fieri solitas, omnino laudamus et commendamus; et volumus, ut parochi et alii sacerdotes hanc christianam praxim verbo et exemplo instaurare curent.

456. Parochi sedulo adlaborent, ut publica devotionis exercitia, christianis moribus et religiosis ac probatis traditionibus regionis magis adaptata, ad antiquum

[1] V. Appen. n. LXXIV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pietatis et verae religiositatis splendorem et vigorem instaurentur: et frequenter commoneant fideles sibi commissos, ut, in spiritu et veritate, non autem in sola externa ostentatione, Deum ac Sanctos eius colere studeant.

457. Devotae peregrinationes ad sanctuaria in regione celebriora, et processiones extraordinariae summa religione fiant. Idcirco, volumus ut, praevia licentia Ordinarii, per opportunas et pias hortationes, tempestive a parochis ita praeparentur, ut occasiones evadant spiritualis populorum renovationis in fide et pietate, praesertim per accessum ad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae.

458. Et quoniam, in exercitiis devotionis, quaelibet immutatio haud necessaria, et quilibet praesertim novitatis pruritus persaepe causa efficitur languoris spiritus christiani in parochia, ubi stabilitas publicae devotionis et pietatis quasi traditionalis relaxatur; prohibemus omnibus parochis et sacerdotibus, ne sive insolita pietatis exercitia, sive novas sodalitates introducant, absque expressa Ordinarii licentia [1].

CAPUT XI.

De devotionis exercitiis non approbatis.

459. Ne in ecclesiis, praesertim occasione Quadraginta Horarum, libelli adhibeantur, in quibus, vel in Sanctorum Litaniis peculiarium Sanctorum nomina addita conspiciuntur, vel unus aut alter versiculus in precibus desideratur, prohibemus ne adhibeantur libelli, nisi editionibus authenticis sint plene conformes.

[1] Cfr. Conc. Prov. Colocen. an. 1863, tit. 6. cap. 12.

460. Praeter Litanias SS. Nominis et SS. Cordis Iesu, B. Mariae Virginis *Lauretanas* nuncupatas, et Sanctorum, quae in libris liturgicis habentur, nullae aliae a Sancta Sede approbatae censeantur, nisi omnino constet de speciali aliquo indulto apostolico. Prohibetur etiam quaevis additio vel immutatio in Litaniis approbatis [1]. Hinc Ordinarii non sinant alias litanias publice recitari, nisi praedictas, vel alias, si quae a Sancta Sede approbentur: possunt tamen, immo tenentur, alias seu novas litanias examinare, et, quatenus expedire putent, approbare; at nonnisi pro mere privata atque extraliturgica recitatione [2].

461. Orationes et exercitia devotionis, quae aliquid insolitum continent, vel quae spiritum novitatis fovere videntur, etiamsi habeant *imprimatur* alicuius Curiae Dioecesanae (quod *imprimatur* non raro suspectum seu opus falsarii esse potest), nullo pacto adhibeantur in ecclesiis vel oratoriis, absque expressa licentia Ordinarii loci; qui, praevia accurata revisione per seipsum vel per censores scientia et maturitate commendabiles, quid in Domino expedire iudicaverit, respondebit, exquisito etiam, si opus fuerit, voto Metropolitani. Quod si casus difficilis et gravis videatur, ab omni definitivo iudicio abstineat, et rem totam Sanctae Sedi subiiciat. In re tanti momenti, non faciles sint Ordinarii et censores dioecesani librorum, et prae oculis habeant gravissimum monitum Supremae Congregationis S. Officii, diei 13 Ianuarii 1875 [3].

462. Quoad cultum Vultus SS. Redemptoris, vulgo *la Santa Faz*, aut *el Santo Rostro*, omnino servetur decre-

[1] S. R. C. 14 Aug. 1858, ad 3 (n. 3074).
[2] S. R. C. 20 Iun. 1896 (n. 3916).
[3] Vide supra, art. 157.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum eiusdem Supremae Congregationis diei 4 Maii 1892; ideoque sciendum est, quod Sancta Sedes « favere minime intellexit, multoque minus, sive directe sive indirecte, approbationem dare speciali distinctoque cultui, adorabili Vultui Redemptoris tribuendo »: sed « unice venerationi favere intellexit, iam ab antiquis temporibus, erga imaginem Vultus Divini Redemptoris, aut eiusdem imaginis exemplaria, habitae, ut in fidelium mentibus ex veneratione contemplationeque praedictae imaginis, passionum Christi magis in dies memoria succrescat, eorumque in cordibus dolor culparum, ardensque desiderium iniuriis Divinae Maiestati illatis reparandi, augeatur » [1].

463. Parochi totis viribus fideles sibi commissos avertant a profanationibus sincerae devotionis, quae non raro, cum gravissima irreverentia erga Deum et Sanctos eius, fiunt in nonnullis sanctuariis suburbanis, quibusdam anni diebus. Compertum igitur habentes, in praefatis sacellis, quae maiorum pietas, vel in suburbiis vel in campis, Deo dicaverat, festa concelebrari, ubi evidenti scandalo ac animarum detrimento flagitia a perditis hominibus et multae patrantur actiones peccaminosae, mandamus, ne, absque Curiae episcopalis venia et sub poenis arbitrio Ordinarii infligendis, sacris officiis inserviendi causa, sacerdotes illuc se conferant [2].

CAPUT XII.
De Exequiis et suffragiis pro Defunctis.

464. Sanctum est et salubre catholicae Ecclesiae institutum, ut mortuorum funera et exequiae piis pre-

[1] Coll. P. F. n. 2205.
[2] Conc. Prov. Neogranat. an. 1868, tit. 5. cap. 7.

cibus et officiis celebrentur, tum ad publice testandam fidem, qua credimus illorum corpora *resurrectura et in aeternitate mansura* [1], tum ad eorum animas, si forte purgatorii poenis detineantur, sublevandas et expiandas.

465. In exequiis et suffragiis, accurate serventur praescriptiones Ritualis Romani et decreta Sanctae Sedis: atque omnino devitetur quidquid superstitionem et mundanam vanitatem aut levitatem sapiat.

466. Igitur, in exequiis solemnioribus, eliminetur omnis vana pompa et apparatus, qui templi Dei sanctitati et maiestati cognoscatur non congruere; potissimum autem arceantur inscriptiones, figurae sive effigies defuncti, emblemata et symbola, quae aliquid indecorum innuant vel christiano homini non conveniens.

467. Ecclesiae ritus iubet fidelium cadavera, utcumque, sive ad ecclesiam, sive ad coemeterium deferantur, semper a sacerdote esse associanda. Si autem, iniuria legum civilium, alicubi prohibetur quominus cadavera ad ecclesiam deferantur, Parochus saltem in domo ipsius defuncti officium defunctorum persolvere curet. Abusus igitur sepeliendi defunctos privatim, sine lumine, Cruce et parocho, tolerari non debet [2]. Tolerari tamen potest usus currus, super quo imponatur feretrum, equis vehendum ad ecclesiam vel coemeterium: quo casu parochus et clerus funus ducere possunt, sacris vestibus induti, erectaque Cruce [3].

468. Sepulturam pauperum, quibus nihil superest vel ita parum, ut propriis impensis humari non possint, sedulo commendamus caritati parochorum, qui

[1] S. Aug. de cura pro mort. c. 18.
[2] S. C. EE. et RR. 28 Ian. 1650, ap. Adone, Syn. Can. III, n. 2135.
[3] S. R. C. 5 Martii 1870 (n. 3212).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

de eorum ecclesiastico funere curam habeant, ita ut, iuxta normas canonicas, gratis omnino sepeliantur; item, debita lumina, suis impensis, si opus fuerit, adhibeant sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas, si adsit, iuxta loci consuetudinem: denique curet parochus, per se vel per alium, Missam, praesente cadavere, pro singulis defunctis pauperibus celebrare [1], ad normam decreti S. R. C. 12 Iunii 1899 [2].

469. Oratio funebris, si quae habenda sit, non domi aut alio eiusmodi loco, sed in ecclesia, a sacerdotibus tantum et nullo pacto a laicis, habeatur [3]. « *Nemini quemquam in funere laudare liceat, nisi et eum, quem laudare velit, Episcopus dignum censuerit, et laudationem scriptam ante probaverit. Liceat tamen in funere concionem habere, quae tota referatur ad humanam miseriam fidelium oculis proponendam, omnesque ad vigilandum cohortandos, ne, cum venerit Dominus, hora qua non putarint, inveniat eos dormientes* » [4].

470. Curent Episcopi, ut Missae, orationes, aliaque pietatis opera, quae pro fidelibus defunctis persolvi debent, non perfunctorie, sed diligenter a sacerdotibus peragantur. Parochi vero et concionatores non omittant hortari populum, ut frequenter in precibus suis defunctorum meminerint, et pro animabus ipsorum divinam implorent misericordiam, eumque edoceant quaenam sit catholica doctrina de vita futura, de suffragiis pro defunctis, et de iure Ecclesiae quoad funera filiorum suorum.

471. Laudamus quidem devotionem fidelium nostrarum regionum, quoad responsoria, quae pro suis defunctis recitanda vel cantanda curant, mense praesertim Novembris; sed volumus, ut Episcopi hac in re sedulo invigilent, et, si quos abusus deprehenderint, tum circa modum seu ritum huiusmodi responsoriorum, tum circa eleemosynas pro unoquoque responsorio accipiendas, tum circa personas pro quibus suffragia postulantur, illos prudenter ac efficaciter e medio tollere satagant, collatis, si natura abusus id expostulet, omnium Episcoporum provinciae consiliis [1].

[1] Rit. Rom. de exeq. Cfr. Mach, Tes. del Sac. n. 389.
[2] Decr. Auth. n. 4024.
[3] Cfr. Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 3. art. 2.
[4] Acta Eccl. Mediolan. I. pag. 32.

472. Feretrum, in quo reconditur corpus puellae aut pueri innuptorum, panno ex lana vel ex serico albo, in signum virginitatis, cooperiendum non est. Ubi autem huiusmodi consuetudo invaluerit, ita ut facile nequeat immutari, tolerari potest, ut fascia nigri coloris, non tamen in modum crucis, superponatur panno albo; ita tamen, ut in quatuor lateribus appareat, quo fideles agnoscant defunctum egere suffragiis, et Ecclesiae precibus etiam proprias adiungant [2].

473. Quoad ecclesiasticam sepulturam, accurate serventur canonicae praescriptiones, et decreta huius Concilii Plenarii, tit. XIV, cap. III.

[1] Cfr. decr. S. R. C. 16 Iunii 1893, ad 6 (n. 3804); 22 Maii 1896 (n. 3909).
[2] S. R. C. 31 Aug. 1872 (n. 3263). Cfr. Mach, Tes. del Sac. n. 390.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TITULUS V.

DE SACRAMENTIS

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

474. Sacramenta novae Legis, per quae omnis vera iustitia incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur, et sine quibus ad vitam, quae vere vita est, non intratur, eo maiore animi pietate et veneratione tractanda et percipienda sunt, quo illorum dignitas est maior et fructus uberior. Scimus autem septem esse Sacramenta a Christo Domino instituta, nec plura nec pauciora, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, quae multum a Sacramentis differunt antiquae Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse significabant; haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt; ideoque merito dicuntur « res sensibus subiectae, quae, ex Dei institutione, sanctitatis « et iustitiae tum significandae tum efficiendae vim « habent ». Horum quinque prima ad spiritualem uniuscuiusque hominis in se ipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiae regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renasci-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mur; per Confirmationem, augemur in gratia et roboramur in fide; renati autem et roborati, nutrimur divina Eucharistiae alimonia; quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per Poenitentiam spiritualiter sanamur; et per Sacramentum Extremae Unctionis a peccati reliquiis extersi, parati reddimur ad ingressum in aeternam gloriam. Duo autem Sacramenta Ordinis et Matrimonii, unum ad regendam sanctificandamque societatem fidelium, alterum ad ipsam humanae familiae propagationem sanctificandam referuntur [1].

475. Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet: rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum. Inter haec Sacramenta tria sunt: Baptismus, Confirmatio et Ordo, quae characterem, id est signum quoddam spirituale et indelebile, in anima imprimunt. Unde in eadem persona non reiterantur. Quamvis autem omnia Sacramenta divinam et admirabilem virtutem in se contineant, tamen non omnia aut aequalem necessitatem aut parem dignitatem habent [2].

476. Quoniam ministri Sacramentorum in sacro ritu peragendo non suam sed Christi personam gerunt, sive ipsi boni fuerint, sive mali, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverint, vere Sacramenta conficiunt et conferunt. Et licet bonitas et fides ministri ad Sacramentorum valorem minime requiratur, graviter tamen

[1] Cfr. Conc. Trid. sess. 7 de Sacr.; Const. Eugenii IV *Exultate Deo*, de concord. Armen. in Conc. Florent. 22 Nov. 1439; Cat. Rom. de Sacr. in genere.

[2] Cfr. Eugen. IV. ibid.; Cat. Rom. ibid.

delinquunt, qui ratione muneris sibi commissi Sacramenta administrant in statu peccati [3].

477. Parochi praesertim et alii sacerdotes, ad quos Sacramentorum administratio pertinet, lubenti promptoque semper animo, hoc saluberrimo fungantur munere; et, si necessitas urgeat, quacumque diei ac noctis hora ad illa administranda vocentur, nullam officio suo praestando moram interponant.

478. Sacerdos, dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quae ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte, et pie, atque clara voce pronuntiabit. Similiter et alias orationes et preces devote ac religiose dicet; nec memoriae, quae plerumque labitur, facile confidet, sed omnia recitabit ex libro, ubi commode legi poterit. Reliquas praeterea caeremonias ac ritus ita decenter gravique actione peraget, ut adstantes ad coelestium rerum cogitationem erigat et attentos reddat. Antequam vero ad huiusmodi administrationem accedat, paululum, si opportunitas dabitur, orationi, et sacrae rei, quam acturus est, meditationi vacabit: si vero tempus urgeat, mentem ad Deum elevet et gratiae divinae auxilia reposcat [1].

479. Omnes qui Sacramenta suscipiunt, loco et tempore opportuno moneantur, per parochos praesertim aliosque sacerdotes, ut, remoto inani colloquio, et habitu actuque indecenti, pie ac devote Sacramentis intersint et ea, qua par est, reverentia suscipiant [2].

480. In administratione Sacramentorum, praescriptiones Ritualis Romani et recepti et approbati catho-

[1] Cat. Rom. de Sacr. in genere, nn. 25, 26.

[2] Cfr. Rit. Rom. *de iis quae in admin. Sacr. generat. serv. sunt*; Conc. Prov. Neogranat. an. 1868, t. 4. c. 1.

[3] Cfr. Rit. Rom. ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

licae Ecclesiae ritus, qui ne in minimis quidem omitti vel mutari possunt, peculiari studio ac diligentia serventur. Quoniam autem, ad augendam Sacramentorum suscipiendorum reverentiam, summopere confert nosse eorum institutionem, fructus et praecipuas rituum significationes, parochi, concionatores et catechistae ea populo opportune explanare curent.

481. Sacramenta, quorum administratio de iure competit parochis, absque ipsorum parochorum licentia expressa, aut vere et rationabiliter praesumpta, vel absque gravis necessitatis causa, administrari nequeunt ab aliis sacerdotibus; praesumptio tamen non valet ad valide assistendum Sacramento Matrimonii, sed expressa Episcopi, Vicarii Generalis, vel parochi venia requiritur [1].

482. Cum gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur (can. 105, causa I, q. I), cumque nullum, in sacris praesertim ministeriis, tetrius vitium esse possit, quam avaritia; parochi aliique sacerdotes nihil propria auctoritate, praeter taxam ab Episcopo statutam, pro Sacramentorum administratione, directe vel indirecte exigant. Igitur in Baptismi et Matrimonii celebratione, illae tantum oblationes ipsis debentur, quae ab ipso Episcopo in tabella taxarum [2] rite designantur; servato tamen decreto S. Congregationis Concilii, diei 10 Iunii 1896 [3], et dummodo non agatur de pauperibus, seu de iis, qui vel nullatenus, vel nonnisi cum notabili incommodo oblationes praebere possunt.

483. Circa Sacramenta indignis deneganda, prudentissime agatur, prae oculis habitis canonicis praescriptionibus ac normis a probatis auctoribus propositis; et in casibus difficilioribus et publicis, exquiratur iudicium proprii Episcopi: urgente vero necessitate, simul cum dubio perdurante, a publica denegatione abstinendum erit. Parochi autem aliique Sacerdotes, ad quos spectat, huiusmodi indigne accedentes ad Sacramenta, in caritate Christi, summaque patientia, hortentur, ut necessarias dispositiones habere curent et impedimenta removere.

484. Canonici Cathedralis Ecclesiae, in administratione Sacramentorum, tam intra quam extra Cathedralem Ecclesiam, tenentur deponere cappam, atque uti superpelliceo seu cotta et stola, iuxta Rituale Romanum; potest tamen superpelliceum superimponi rocheto.

[1] Cfr. Conc. Prov. Vallisolet. an. 1887, p. 3. tit. 1, et Neogranat. an. 1868, ibid., tit. 4. cap. 11.

[2] Vulgo hispanice *Arancel*, lusitanice *Tabella*.

[3] V. Appen. n. XC.

CAPUT II.

De Baptismo.

485. Baptisma est Sacramentum a Christo Domino institutum ad spiritualem hominis regenerationem, per exteriorem corporis ablutionem, factam aqua, sub praescripta verborum forma, videlicet: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Hoc Sacramentum omnium Sacramentorum ianua est, per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae; omnibusque hominibus necessarium est ad salutem, necessitate medii; in casu tamen necessitatis, baptismi votum et martyrium pro Christo perpessum vices baptismi supplere potest. Legitimus baptismi minister est parochus vel alius sacerdos a parocho aut ab Ordinario loci delegatus; necessitate tamen cogente, non modo sacerdos vel quilibet clericus, sed etiam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

laicus, sive vir sive femina, sive fidelis sive infidelis sit, baptizare potest; dummodo legitima materia et forma utatur et intendat facere quod facit Ecclesia [1].

486. Aqua, quae in solemni baptismi administratione adhibetur, sit eodem anno benedicta in Sabbato Sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, quae in fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur; et haec, quando nova benedicenda est, in Ecclesiae, vel potius Baptisterii sacrarium effundatur. Si autem aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate. Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum et nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula quae in Rituali Romano praescribitur [2].

487. Sacrum Chrisma, et sanctum Oleum, quod et Catechumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo solemni, eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta, feria V in Coena Domini. Veteribus autem Oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum parochus non utatur; ac si deficere videantur, et Chrisma aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud Oleum de olivis non benedictum adiiciatur, sed in minore quantitate [3].

488. Cum autem in regionibus nostris, ratione magnae distantiae vel ob aliud grave impedimentum, nonnunquam perdifficile sit parochis vel missionariis ad Baptismum conferendum aquam Sabbato Sancto vel Sabbato Pentecostes benedictam ex fontibus baptismalibus desumere et secum circumferre; Ordinarii, ad normam Litterarum Apostolicarum SS. D. N. Leonis XIII *Trans*

[1] Eugen. IV. Const. *Exultate Deo.*
[2] Rit. Rom., de mater. Bapt.
[3] Rit. Rom., de sacris Oleis etc.

Oceanum [1], nomine Sanctae Sedis, concedere poterunt parochis et missionariis supra dictis facultatem benedicendi aquam baptismalem, ea breviori formula, qua missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit, quaeque in Appendice ad Rituale Romanum habetur. Imo, si adsit gravis necessitas, et si nequeat conservari aqua baptismalis, et si Olei sancti defectus habeatur, potest conferri Baptisma licite, etiam cum sola aqua benedicta: caveant tamen parochi et missionarii, ne id peragant, nisi existente vera et gravi causa, dignoscenda, ut par omnino est, ab Ordinario loci [2].

489. Quamvis quicumque, vir vel femina, baptizare valide possit, tamen ex praescripto Ecclesiae, etiam in casu necessitatis, procedi sic debet: si adsit Sacerdos Diacono praeferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciat formam et modum baptizandi.

490. Pro regionibus illis ubi parochiae vel missiones talem extensionem habent, ut nonnulli loci seu pagi a parochis vel missionariis ne diebus quidem festis visitari possint, et incolae illorum locorum, ratione distantiae, difficillime et raro ad parochum vel missionarium accedere valeant, conficiatur ab Ordinario specialis Instructio, prae oculis habitis instructionibus Sanctae Sedis, quas in Appendice inserendas iussimus [3]. Et si casus difficiliores occurrant, qui communibus normis solvi non possint, Ordinarius recurrat ad Sanctam Sedem.

491. Curandum est ut infantes quam citius baptizen-

[1] V. Appen. n. XCVI.
[2] S. Off. 11 Dec. 1850 (Coll. P. F. n. 511).
[3] Vid. Appen. n. CXXVIII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tur; unde improbamus incuriam parentum, qui, absque gravi causa, ultra triduum et praesertim ultra octiduum, filiorum, quamvis minime infirmorum, Baptismum differunt: et volumus, ut de hac re parochi et concionatores frequenter commoneant fideles [1].

492. Adveniente morte mulieris praegnantis, provideatur aeternae saluti prolis in utero clausae, iuxta praescripta Ritualis Romani. Igitur prudenter moneantur medici, obstetrices, aliique ad quos spectat, de lege christianae caritatis et ecclesiasticae sollicitudinis, qua tenentur huiusmodi miserrimis parvulis in tanta necessitate pro viribus subvenire, et praeiudicia, obstacula et repugnantias in contrarium, opportunis rationibus, quantum possint, removere. Ad quod facilius suadendum, simulque ad omnem imprudentem agendi rationem devitandam, parochi et missionarii prae oculis habeant hoc monitum S. Officii, diei 15 Febr. 1780, scilicet: « Neque improbum videri debere.... ullis fidelibus secare matrem mortuam, cum et Dominicum latus dissectum sit pro nostra redemptione. Illud potius rationi absonum atque ab omni pietate remotum, pro inani quadam integritate pudoreque servando defunctae genitrici, viventem natum aeternae morti addicere. Certe non modestia, non virtus, unde tantum profluit malum. Haec autem foetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris, quamvis patefacienda, ut dicimus, ac persuadenda sit, expresse tamen cavet, prohibetque Sanctitas Sua, ne Missionarii, in casibus particularibus, se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda. Sat proinde Missionariis fuerit illius notitiam edidisse, curasseque, ut eius perficiendae rationem perdiscant, qui chirurgicis intendunt, laici homines, tum vero, cum casus tulerit, eiusdem praxim ipsorum oneri ac muneri reliquisse » [2].

493. Quoniam, in nonnullis regionibus nostris, plurimi adhuc inveniuntur infideles, ne, ex indiscreto sacerdotum zelo, infantes infidelium filii contra praescripta Ecclesiae baptizentur, monemus omnes parochos et missionarios non licere nisi in articulo, seu moraliter certo imminentis mortis periculo, infantes infidelium filios, invitis seu insciis parentibus, baptizare; neque licere extra idem periculum seu articulum, infantes a parentibus infidelibus ultro etiam oblatos baptizare, si post Baptismum in parentum infidelium potestate relinquendi sunt. Cum autem non paucos abusus in hoc genere, huc illuc, etiam a longo tempore introductos esse constet, parochi ac missionarii omnino obtemperent praesenti praescriptioni. Qua in re, prae oculis habeantur decreta et monita, quae leguntur in Instructionibus Benedicti XIV *Postremo mense*, diei 28 Februarii 1747 [3], et S. Congregationis de Propaganda Fide, diei 17 Augusti 1777 [4]. Sciant tamen illi ad quos spectat, dari posse casus in quibus licet baptizare pueros, qui in potestate parentum infidelium relinquendi sunt, quando scilicet fundata subest spes, fore, ut in religione catholica institui possint; et tunc remittitur prudenti arbitrio et conscientiae missionariorum, audito, si fieri possit, Ordinario, baptizare pueros a parentibus non baptizatis oblatos, dummodo non praevideatur ullum adesse grave perversionis periculum, et dummodo non constet parentes superstitionis causa filios offerre baptizandos [5].

[1] V. Appen. n. CXXVIII.

[1] Coll. P. F. n. 573.
[2] Coll. P. F. n. 561.
[3] Coll. P. F. n. 571.
[4] V. Appen. n. CXXVI.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

494. Parochi et missionarii, qui, contra praecedentes praescriptiones, imprudenter et inconsiderate baptizaverint infantes infidelium filios, tenentur per se vel per alios, quantum fieri potest, illos instruere, cum ad usum rationis pervenerint, monitis etiam caeteris parochis et missionariis, ad quorum parochiam vel districtum forsan accesserunt, imo et Episcopo, quatenus opus fuerit [1].

495. Ne, ob instructionis defectum, *adulti*, qui sacro Baptismate initiantur, immaculatam Christi legem profanis ac gentilitiis institutis ex ignorantia foedent, aut idololatriam cum orthodoxa fide confundant, caveant ii qui iisdem instruendis incumbunt, ne in posterum ullus ad Baptismum admittatur, qui, veterem hominem ac gentilitios mores prorsus exutus, Christum plene non induerit, et in fide non sit sufficienter instructus [2]. Non licet igitur, nisi et principalium Fidei mysteriorum cognitione, et aliis necessariis dispositionibus polleant, infideles rationis usum adeptos baptizare [3].

496. Adulti vero, qui morbo periculoso laborantes baptizari petunt, quique christianae religionis mysteria iuxta proprii captus mensuram intellecta suscipiunt, et actum contritionis vel attritionis eliciunt, serioque promittunt se servaturos mandata eiusdem religionis, baptizari debent. Similiter licet conferre Baptismum adultis in mortis periculo constitutis, qui, peccata sua dolentes, et Baptismum suscipere cupientes, nequeunt temporis defectu in Fidei mysteriis instrui, dummodo iisdem Fidei mysteriis, vel simplici oris affirmatione, vel nutibus saltem, ostendant se consensum praebere. Curandum tamen ut, si huiusmodi adulti convaluerint, opportunis

1 Cfr. decl. S. Off. 25 Ian. 1703 ad Episc. Quebecen. (Coll. P. F. n. 548).
2 Alexand. VII. Const. *Sacrosancti*, 18 Ian. 1658.
3 S. Off. 12 Maii 1830 (Coll. P. F. n. 579).

instructionibus circa Fidei mysteria, et naturam atque effectus Sacramentorum diligenter edoceantur [1].

497. Caeremoniae Baptismi, tam magni ponderis tantaeque auctoritatis ritus, ad reverentiam Sacramento conciliandam maxime necessariae, accurate serventur; et si, urgente necessitate, legitime omissae fuerint, quam primum suppleantur, ut monet Benedictus XIV in Constitutione *Inter omnigenas* 2 Febr. 1744.

498. Necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, sed in Ecclesia parochiali seu in Baptisterio [2]. In Baptismo autem domi conferendo in casu necessitatis, omnia sunt omittenda quae Baptismum praecedunt, quaeque postmodum supplenda sunt in ecclesia, ad quam praesentandus est puer cum convalescit [3]; possunt tamen adhiberi illae caeremoniae quae Baptismum subsequuntur [4]. In locis, ubi catholici haud raro incolunt procul ab ecclesiis vel oratoriis publicis, et translatio infantium in tenera aetate per tantam locorum distantiam magnis periculis et incommodis est obnoxia, parochis missionariis, de consensu Ordinarii, licet Baptismum hisce infantibus, vel extra mortis periculum, ministrare in privatis domibus, servato ritu Ecclesiae consueto [5].

499. In Baptismo adultorum ritus servari ex integro debet in Rituali Romano praescriptus, excepto casu urgentis necessitatis. Si tamen, propter defectum temporis improbamque defatigationem, aliisque gravibus de causis, perdifficile sit omnes adhibere caeremonias pro Baptismo adultorum praescriptas, ad normam

1 S. Off. 10 April. 1861 (Coll. P. F. n. 590).
2 Rit. Rom., de temp. et loc. adm. Bapt.
3 S. R. C. 23 Sept. 1820 (n. 2607).
4 S. Off. 10 April. 1861 (Coll. P. F. n. 629).
5 S. R. C. 4 Febr. 1871 ad 3 (n. 3234).

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SAN JUAN
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Litterarum Apostolicarum Leonis XIII *Trans Oceanum*, parochi et missionarii, de praevio Ordinarii consensu, uti poterunt solis ritibus, qui in Constitutione Pauli III *Altitudo*, diei 1 Iun. 1537, designantur. Insuper, in iisdem rerum adiunctis, ad normam supra dictarum Litterarum Apostolicarum, Ordinarii nomine Sanctae Sedis concedere valent parochis et missionariis usum ordinis Baptismi parvulorum, onerata in usu huiusmodi facultatis eorumdem Ordinariorum conscientia, super existentia gravis necessitatis [1].

500. Non licet interrumpere caeremonias Baptismi solemnis adultorum ad illas explicandas vernacula lingua [2]. Licet tamen interrogationes repetere lingua vernacula, dummodo prius lingua latina fiant [3]. Patrini autem recitare possunt *Pater* et *Credo* lingua vernacula, dum parochus ea recitat latino sermone [4].

501. Obstetrix, quae in casu necessitatis baptizat, curet, quoad fieri potest, ut duae saltem personae, ac mater praesertim, si potest, praesentes adsint, quae verba ab ea in baptizando prolata audiant. Parochus vero, cum perquiret an infans baptizatus sit, diligenter obstetricem et testes etiam, si adfuerint, de peracta Baptismi collatione interrogabit: et si, omnibus rite perpensis, nullum prudens dubium circa collati Baptismi valorem exsurgere posse cognoscit, omnino abstineat a nova Baptismi administratione, etiam sub conditione. Haec enim conditionata baptismi administratio, iis tantum in casibus fieri potest et debet, in quibus verum et prudens dubium existat de validitate prioris Baptismi.

[1] V. Append. n. XCVI.
[2] S. R. C. 21 Iun. 1879, ad 2 (n. 3496).
[3] S. Offic. 23 Aug. 1886 (Coll. P. F. n. 640).
[4] S. R. C. 30 Dec. 1881, ad 10 (n. 3535).

502. Sub conditione baptizentur infantes expositi, sive habeant schedulam de Baptismo testantem sive non habeant, nisi certo cognoscatur persona, quae utique examinanda est, a qua schedula sit exarata, aut aliunde indubitatum desumatur indicium, quod vere moralem pariat certitudinem Baptismi rite collati [1].

503. Quoad infantes in utero matris in casu necessitatis baptizandos, serventur normae a probatis auctoribus traditae, et prae oculis habeatur declaratio S. Congregationis Concilii, diei 12 Iul. 1794, scilicet: *Foetus in utero supra verticem baptizatus, post ortum denuo sub conditione rebaptizetur* [2]; a fortiori ergo rebaptizandus erit, si non supra verticem sed in alio membro baptizatus fuerit. Omnis vero foetus abortivus baptizetur, saltem sub conditione, excepto casu quo per certa et indubitata signa omnino constet de eius morte. Foetus vero monstruosus, quaecumque sit eius vel deformitas vel parvitas, toties quoties diligentissime examinandus est, et si dubitetur an sit homo, baptizari omnino debet sub conditione: *Si tu es homo* etc. De quibus rebus prudenter instruantur obstetrices et medici per parochos; et, per obstetrices praesertim et medicos, opportune moneantur matres.

504. In conversione haereticorum, a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate Baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit, aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro temporum et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto

[1] Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. 7. c. 6. n. 5.
[2] Coll. P. F. n. 647.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

baptizentur. Demum, si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem haeresis et professionem fidei [1]. In reconciliatione vero minorum quatuordecim annorum, necessaria non est abiuratio formalis, sed sola fidei professio: si autem agatur de haeretico certo invalide vel nullatenus baptizato, nulla requiritur abiuratio nec absolutio, quia omnia abluit sacramentum regenerationis [2].

505. Ad baptizatum e sacro fonte suscipiendum, unus saltem, sive vir sive mulier, licet etiam per procuratorem, in solemni baptismo assumi debet; sed non plusquam duo, qui sint vir et mulier, a parentibus ipsius baptizati vel ab iis ad quos pertinet, et, his deficientibus, a parocho designandi. Ad munus patrini in hoc Sacramento admitti nequeunt, qui in civili tantum, ut dicunt, matrimonio vivunt, ac publice excommunicati aut interdicti, nisi, reparato scandalo, cum Ecclesia reconcilientur. At si reconciliari recusent, et ex eorum exclusione gravia damna timeantur, res ad Episcopi iudicium deferatur, ut, inspectis omnibus adiunctis, id declaret quod magis in Domino expedire iudicabit [3]. Nullus Clericus, sine Episcopi licentia [4], et nullus Regularis, sine speciali indulto [5], munus patrini suscipiat. Catholicis insuper absolute non licet, vel per se vel per alios, fungi officio patrini in Baptismis qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur [6]. Haereticus vero non potest fungi officio patrini in Baptismo

[1] S. Off. 20 Nov. 1878 (Coll. P. F. n. 660).
[2] S. Off. 20 Iul. 1859; 8 Mar. 1882 (Coll. P. F. n. 1680, 1689).
[3] S. Poenit. 20 Martii 1885, ap. Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2. art. 2.
[4] Ibid.
[5] Rit. Rom. de patrin.
[6] S. Off. 10 Maii 1770 (Coll. P. F. n. 1825).

catholicorum; et quando solus haereticus adesset, qui id praestare posset, conferendum potius est Baptisma sine patrino [1]. Tandem, in supplendis Baptismi caeremoniis, patrini non sunt adhibendi; et si adsint, nullam contrahunt spiritualem cognationem [2].

506. Curent parochi, ne iis qui baptizantur, scandalosa nomina, turpia, ridicula aut fabulosa, vel impiorum cognomina imponantur; et si id impedire nullo modo possint, addant nomen alicuius sancti, cuius patrocinio baptizati protegantur. Quo in casu, utrumque nomen, impium tamen vel scandalosum intra parentheses, in libro baptizatorum notetur [3].

507. Sedulo, absque ulla mora, nomina baptizatorum, mentione facta de patrinis et parentibus, in proprio libro, minime autem in solutis schedulis, quamprimum inscribere debent parochi. Si vero de filiis illegitimis agatur, matris nomen est inserendum, dummodo publice eius maternitas constet, vel ipsa sponte id petat; item de patre mere naturali numquam mentio fiat, nisi ipse sponte sua a parocho, in scriptis vel coram duobus testibus, petat: in ceteris casibus, *filius patris ignoti* vel *parentum incognitorum*, simpliciter inscribatur. Nomen similiter patris illegitimi publice et certo noti omnino adnotetur in libro separato et secreto, et haec adnotatio transmittatur ad Curiam Dioecesanam.

508. Usus offerendi SSmae Dei Genitrici Mariae parvulos sacris aquis ablutos plurimum commendatur; quare pius animarum curator, opportunis, prout occasio tulerit, hortationibus, illum suis in paroeciis servare vel

[1] S. Off. 9 Dec. 1745; S. C. Prop. F. 1 April. 1816 (Coll. P. F. 604, 618). V. art. 173.
[2] S. C. C. 13 Iul. 1624, ap. Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2. art. 2.
[3] Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

inducere cum magno pietatis incremento studeat [1]. Similiter hortentur fideles, ut pro tanto regenerationis Sacramento saepe Deo gratias agant, praecipue vero anniversaria suscepti Baptismi die, quam orationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus, praesertim vero renovatione promissionum baptismalium et assidua invocatione sanctorum Patronorum, celebrare decet, exclusis comessationibus et ebrietatibus [2].

509. Piam et laudabilem consuetudinem benedicendi mulieres post partum, servandam curent Ordinarii, ad formam Ritualis Romani: et ubi obsoleverit, instauretur. Ad huiusmodi tamen benedictionem ius tantummodo habent mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt, etiamsi proles mortua fuerit antequam Baptismum susceperit [3].

CAPUT III.

De Confirmatione.

510. Secundum Sacramentum est Confirmatio, per quam homo deputatur ad spiritualem militiam, et accipit robur ad intrepide confitendum in mundo fidem Christi crucifixi, qui, ut ait Apostolus, est scandalum Iudaeis, gentibus autem stultitia. Confirmationis, quae per manus impositionem Episcopi confertur, materia est chrisma, quo confirmandi in fronte, facta unctione per modum crucis, consignantur. Forma autem est: *Signo te signo Crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Confirmationis minister ordinarius est solus Episcopus; extraordinarius

[1] Conc. Prov. Urbinat. an. 1859, art. 18.
[2] Cfr. Conc. Prov. Venet. an. 1859, p. 3. cap. 22.
[3] S. C. C. 18 Iun. 1859, ap. Syn. Ostien. et Velitern. p. 2. art. 2.

vero, et ex speciali Summi Pontificis commissione, potest esse simplex presbyter [1].

511. Episcopis igitur peculiaris erit cura, ut fideles omnes tempestive suscipiant hoc Sacramentum, quod, licet non sit de necessitate medii, tamen certum est adulta iam aetate neminem debere hoc maximo salutis adiumento privari, praesertim cum bellum a tyrannis contra fideles infertur, vel cum daemonis fraude de religione anxii sollicitique graviter iactamur, vel tandem cum in ultimum vitae discrimen adducimur [2].

512. Quapropter fideles ita de huius Sacramenti natura, vi, dignitate edocendi erunt, ut intelligant, non solum negligendum non esse, sed summa cum pietate et religione suscipiendum.

513. Ut confirmandi, qui usum rationis habent, digne hoc Sacramentum recipiant, debent esse in gratia, et ideo conveniens valde est, ut illius susceptioni praemittant Sacramentalem Confessionem. Si enim conscii alicuius peccati lethalis, quod absit, ad Confirmationem accederent, non solum huius Sacramenti gratiam non reciperent, sed gravissimo sacrilegio se illigarent [3]. Non conferendum est Sacramentum Confirmationis illis adultis neophytis, moribundis, et in articulo mortis baptizatis, qui Baptismi capaces iudicati sunt, nisi saltem habeant aliquam intentionem recipiendi Confirmationem ad robur animae suae adiiciendum [4]; ideoque requiritur in adultis notitia huius Sacramenti.

514. Caveant confirmandi, ne sordida fronte capillisque impexis ad hoc Sacramentum accedant; vestibus

[1] Cfr. Const. Eug. IV *Exultate Deo*.
[2] Cfr. Encycl. Pii IX *Nostis et Nobiscum*, 8 Dec. 1849; Benedictus XIV. Const. *Etsi pastoralis*, 26 Maii 1742, et Instit. 6. n. 10.
[3] V. Appen. n. LIX.
[4] S. Off. 10 Apr. 1861 (Coll. P. F. n. 685).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamen sint induti, quemadmodum et patrini, simplicibus, et ad modestiam compositis. Mulieres vero illud suscepturae, et quae matrinarum officium exercebunt, non cum vanis ornamentis aut fucata facie, sed cum omni modestia et reverentia Ecclesiam adeant [1]. Oblationes autem occasione Confirmationis permittuntur.

515. Confirmatio solemniter in Ecclesia conferatur, et decora pompa ad pietatem excitandam apta et opportuna [2]: potest tamen conferri etiam minus solemniter, tum praesertim cum in privatis domibus, vel extra Ecclesiam seu Oratorium, pueris aegrotantibus conferenda est, vel etiam adultis, qui ad Ecclesiam, quacumque ex causa, legitima tamen, accedere nequeunt [3]. Et quando hoc Sacramentum privatim confertur, potest administrari sine mitra, adhibita tantum stola [4].

516. Curandum est, ut in solemni huius Sacramenti administratione, confirmandi adsint primae manuum Episcopi impositioni seu extensioni. Confirmandi autem non discedant nisi benedictione accepta, quam Episcopus post omnium confirmationem dabit [5].

517. Quae de patrinis in Baptismo dicta sunt, generatim de patrinis quoque in Confirmatione adhibendis intelligantur [6]. Nullus praeterea non confirmatus potest esse in confirmatione patrinus; et si fuerit, non contrahit cognationem spiritualem [7]. Alius esse debet in

[1] V. Appen. n. LIX.
[2] Conc. Prov. Vallisol. an. 1887, p. 3, t. 3.
[3] Ibid.
[4] S. C. de Prop. Fide 7 Dec. 1626. Cfr. etiam decreta S. Off. 12 Febr. 1851, et S. C. de Prop. Fide 22 Martii 1669 (Coll. P. F. n. 686, 687, 693).
[5] V. Appen. n. LIX.
[6] Ibid.
[7] S. C. C. 16 Iunii 1654, ap. Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2, art. 3.

Baptismo et alius in Confirmatione patrinus, nisi cogat necessitas: non plures sed unus tantum adhibeatur: nec feminis mares, nec maribus feminae patrini officium praestent, sed suo quisque sexui patrinus adhibeatur [1]. Quia ergo contingere potest, ut, in locis missionum vel in aliis a civitate episcopali valde separatis, nullus adsit qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini caeterorum esse poterunt [2]. Sufficit ut patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi, etiam adulti [3]. Confirmandus, tempore confirmationis, quando Episcopus dicit: *N., signo te signo Crucis*, etc. praeter nomen suum baptismale potest aliud nomen Sancti sibi imponi curare [4]. Immo, si de nominis impositione peccatum fuit in collatione Baptismi, illud Episcopus mutet, et nomen imponat, quod homini christiano congruat [5]. Si Episcopus confirmans patrini officium erga confirmandum aliquo in casu assumere vellet, huiusmodi munus gerere deberet per procuratorem [6].

518. Sacerdotes, quibus, ob speciales necessitates fidelium alicuius regionis, Apostolica Sedes facultatem fecerit hoc Sacramentum conferendi, accurate servent instructionem quae ipsis dari solet ab eadem Sancta Sede, et meminerint nemini prorsus charactere episcopali non insignito, vel cui alias usus Pontificalium ex vero legitimoque privilegio non competit, licere in collatione Sacramenti Confirmationis sedere, adhibere Ro-

[1] V. Appen. n. LIX.
[2] Ibid.
[3] S. R. C. 20 Sept. 1749, ad 6 (n. 2404).
[4] Ibid. ad 7.
[5] Conc. Prov. Urbinat. an. 1859, art. 22.
[6] S. R. C. 14 Iunii 1873, ad 3 (n. 3305).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

chetum, Mitram, Baculum pastoralem, Annulum vel Crucem pectoralem [1].

519. Hortamur omnes Episcopos, ut, quoties absque praeiudicio aliorum munerum pastoralium fieri poterit, curent totis viribus ut infantes infirmi, degentes in civitate episcopali, qui Confirmationis Sacramentum nondum receperunt, ex hac vita non discedant absque charactere Confirmationis, ut tanto Sacramento insigniti maiori in coelo gloria perfruantur [2].

520. Quoad aetatem confirmandorum, servari potest consuetudo, vigens in regionibus nostris, confirmandi scilicet quotquot sese praesentant Episcopo, in quacumque aetate constituti; et hac in re prae oculis habeantur SS. D. N. Litterae ad Episcopum Massilien., quae incipiunt: *Abrogata*, diei 22 Iun. 1897 [3].

CAPUT IV.

De SS. Eucharistiae Sacramento.

521. Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cuius materia est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Forma huius Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute fit transubstantiatio, per quam scilicet tota substantia panis in Corpus et tota substantia vini in Sanguinem Christi convertuntur, ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiae consecratae et vini

[1] S. C. de Prop. Fide 23 Apr. 1774 (Coll. P. F. n. 665).
[2] V. Appen. n. LIX.
[3] V. Appen. n. XCIX.

consecrati, separatione facta, totus est Christus. Huius Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est spiritualis transformatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, et membris eius unitur, consequens est, quod, per hoc Sacramentum, in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus et potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem; in quo, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum [1].

522. Igitur, ad sacram Synaxim accessuri, praecelsam tanti Sacramenti dignitatem secum reputantes, probent se ipsos diligenter, et ea animi puritate et modesta corporis compositione ad illud accedere studeant, ut nedum divinam ultionem indigne sumentibus reservatam vitare, verum etiam uberiora semper gratiarum incrementa percipere valeant.

523. Praeceptum suscipiendi SS. Eucharistiam, saltem semel in anno, fideliter servetur, iuxta Constitutionem Concilii Lateranensis sub Innocentio III, quae ita se habet: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab eius perceptione duxerit abstinendum; alioquin et*

[1] Cfr. Const. Eug. IV *Exultate Deo.*

vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura [1]; quae tamen poenae sunt ferendae sententiae. Aegrotis quoque parochianis, etiamsi Communionem extra praescriptos Paschales dies sumpserint, in Paschalibus diebus illam deferet ac ministrabit [2].

524. Ne autem fideles nostri, degentes in locis in quibus raro haberi potest copia Sacerdotis, saluberrimum hoc praeceptum praetermittant, monemus omnes parochos et missionarios, praeceptum annuae Communionis omnes fideles quarumcumque regionum respicere; quo vero ad executionem tempore statuto, hoc est in Paschate, id esse intelligendum, nisi legitimum adsit impedimentum, aut grave periculum immineat. Curandum tamen, ut, infra duos vel tres menses, ante vel post, Paschati proximos, quatenus sine discrimine fieri possit, sin minus alio quovis tempore infra decursum unius anni a Paschate inchoandi, omnino communicent [3]. Ad normam Litterarum Apostolicarum SS. D. N. Leonis XIII *Trans Oceanum*, omnes fideles regionum nostrarum annuae Confessionis et Communionis praecepto satisfacere possunt a dominica Septuagesimae ad octavam Corporis Christi inclusive. Ab hac autem annua Communione, immo a frequentiori Sacrae Eucharistiae sumptione nullus fidelis, etiamsi fuerit infimae omnino conditionis et ingenii rudioris, reiici potest, nisi prorsus eius mysterii sit incapax [4].

525. Paterno autem affectu, ut olim Patres Tridentini (sess. 13, de Euch., cap. 8), rogamus et obsecramus « per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo, iam tandem aliquando conveniant et concordent; memoresque tantae maiestatis et tam eximii amoris Iesu Christi Domini Nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum, haec sacra mysteria Corporis et Sanguinis eius, ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animae vita, et perpetua sanitas mentis: cuius vigore confortati, ex huius miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, eumdem panem angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi ».

1 Rit. Rom. de Com. Pasch.

2 Ibid.

3 S. C. de Prop. Fid. 12 Sept. 1645 (Coll. P. F. n. 707).

4 Cfr. Const. Alexandri VII *Sacrosancti*, 18 Ian. 1658 (Coll. P. F. n. 708).

526. Cum sancta Tridentina Synodo (sess. 22, de sacrif. Missae, c. 6), hoc Concilium Plenarium Latino-Americanum optaret quidem, « ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione, communicarent ». Utrum autem singulis mensibus vel hebdomadis vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula praescribi non potest [1]; ideoque, attendentes ad dispositiones singulorum, videant confessarii quid hac in re singulis poenitentibus permittendum sit vel prohibendum, iuxta normas a probatis Doctoribus traditas.

527. Episcopi autem, in quorum dioecesibus viget saluberrima praxis frequentis accessus ad Sacram Sy-

1 Catech. Rom. de Euch. n. 60.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

naxim, pro illa gratias Deo agant, eamque conservare et prudenter promovere studeant. Parochos autem hortamur, ut totis viribus promovere curent frequentiam S. Communionis inter proprios parochianos, cuiuscumque conditionis sint; et insuper nihil intentatum relinquant, ut multi, etiam rudiores et infimae conditionis ruricolae, pluries per annum ad Mensam Eucharisticam digne et alacriter accedant.

528. Animarum curatores, pueros ac puellas, cum usum rationis fuerint assecuti, saepius per annum invitent ad sacramentalem confessionem sincero corde peragendam, eosque vim et dignitatem SS. Eucharistiae diligentissime edoceant, eo ut, convenienti tempore, divini epuli participes fieri digne mereantur [1]. Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit, quam pater et sacerdos, cui sua confitentur peccata; ad illum enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, an huius admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant [2]. Sciendum tamen est, quod pueri, non communicantes, in debita aetate constituti, peccant, si ex proprio defectu instrui aut communicare nolint; at si defectus sit ex parte patris aut matris, alteriusve, qui ad dandam instructionem obligatur, hi peccabunt mortaliter [3]. Ut autem hac in re efficacius evadat parochorum et confessariorum ministerium, prae oculis habeatur *Instructio pro illis qui prima vice accedunt ad Sacram Mensam*, edita a Benedicto XIII in Concilio Romano, una cum *Instructione pro parvulis prima vice ad sacramentalem*

1 Cfr. Decr. S. C. de Prop. Fid. 12 Ian. 1869 (Coll. P. F. n. 737).
2 Cat. Rom. de Euch. n. 63.
3 Benedict. XIII. *Instructio pro illis qui prima vice accedunt ad Sacram Mensam* (V. Appen. n. IX).

Confessionem admittendis, quas in Appendice inserendas iudicamus.

529. Cum vero compertum sit, eos qui primum ad Eucharisticam mensam accedunt, fructus uberrimos referre, si ad eam digne pro humanae infirmitatis conditione percipiendam sacris concionibus et exercitationibus per aliquot dies instruantur ac excitentur, et si auspicatissimi huius diei solemnitas splendidiore cultus maiestate celebretur, eiusdemque memoria salutaribus monitis commendetur perpetuo recolenda, parochi nihil praetermittant, quod hac in re noverint magis expedire. Optamus etiam quam maxime, ut pueros ipsos, praevia innovatione promissionum Baptismalium, SSmae Virgini ab origine Immaculatae, opportuna prece, solemniter consecrent, et pio sermone excitent ad tantae Matris praesidium quotidie exorandum et virtutibus ei carioribus promerendum [1]. Hac denique capta occasione, parochi enixe hortentur genitores et cognatos puerorum, ut, per Poenitentiam purificati, devotissimi eorum socii fiant in SS. Eucharistia suscipienda, caeterisque tantae solemnitatis caeremoniis peragendis.

530. Quoad pueros in vitae discrimine positos, sciendum est, eamdem non desiderari aetatem, ut iis Eucharistia possit ac debeat ministrari, quae in recte valentibus: tunc enim satis est, ut habeant usum rationis sufficientem ad peccandum, seu capaces sint confessionis, ac sciant discernere Corpus Christi a communi cibo illudque reverenter adorare. Ipsimet igitur prudentes parochi in singulis casibus diiudicent ac definiant, num puer vita periclitans, spectata eius

1 Cfr. Conc. Prov. Urbinat. an. 1859, art. 28; Ultraiect. an. 1865, tit. 4. cap. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

indole, tali discretione praeditus sit, et capax tanti Sacramenti [1].

531. Memores parochi et missionarii divini praecepti, quo fideles tenentur Eucharistiae Sacramentum in mortis periculo sumere, nec non gravis obligationis, qua ipsi adstringuntur, illud administrandi infirmis vita periclitantibus etiam morbo contagioso aut peste correptis, se in hoc officii sui munere facillimos praestent atque diligentissimos, neque incuria sua aut vanis praetextibus ullum sinant ex hac vita decedere tanto bono privatum, sed omnibus praebeant, quod omnibus sumendum praeceptum est, exceptis iis, qui iusta ratione prohibentur, aut nisi adsit periculum indecentiae vel irreverentiae tanti Sacramenti [2].

532. Dolemus plurimum, quod in nonnullis regionibus nostris, praesertim in locis ruralibus et suburbanis plus minusve remotis ab Ecclesiis parochialibus, frequentissimi sint casus, in quibus infirmis vita periclitantibus Sacramenta Poenitentiae tantum et Extremae Unctionis ministrantur, omisso SS. Viatico. Quocirca, graviter onerantes conscientiam omnium Rectorum animarum, eis districte praecipimus, ut nulli deinceps infirmo, vita periclitanti, directe vel indirecte, denegare audeant validissimum auxilium SS. Viatici. Immo non renuant parochi SS. Eucharistiam iterum et tertio deferre ad aegrotos, qui, perseverante eodem morbi periculo, illam saepius, etiam per modum Viatici,

[1] Cfr. Syn. Sutchuen. an. 1803, sess. 1. cap. 4; Ben. XIV de Syn. l. 7, cap. 12.

[2] Cfr. Syn. Sutchuen. an. 1803, sess. 1. c. 4; Neo-Granaten. an. 1868, tit. 4. c. 6; Conc. Prov. Ravenn. an. 1855, p. 2. cap. 4. n. 6; Conc. Antequeren. an. 1893, p. 1. sect. 3. tit. 4. n. 9; Bened. XIV de Syn. l. 13. cap. 19.

si quidem naturale ieiunium servare nequeant, suscipere cupiant [1].

533. Scientes vero damnabilem huiusmodi praximinanibus rationibus a plurimis defendi, Ordinarii prae oculis habeant sequentes normas Sanctae Sedis, videlicet: *a*) « Aegrotis morti proximis, cuiuscumque sint conditionis, quamvis in sordido ac vili degant loco aut tugurio, sacrum Eucharistiae Viaticum deferatur, cum apud Deum nulla sit acceptio personarum, ac pro nostra salute nec stabulum nec crucis ignominiam exhorruerit » (Alexand. VII. Const. *Sacrosancti*, 18 Ian. 1658). – *b*) « Quotiescumque SSmum Eucharistiae Sacramentum ad infirmos seu publice seu occulte respective deferri poterit, deferendum esse » (S. Congr. de Prop. Fide, 14 Dec. 1668). – *c*) Viaticum administrandum est infirmis etiam rudioribus et neophytis quamvis ignaris, dummodo « saltem discernant cibum spiritualem a corporali, cognoscendo et credendo in Sacra Hostia praesentiam Christi Domini » (S. Offic., 10 April. 1861) [2]. – *d*) « Quodsi longius aut difficilius iter obeundum sit, et fortasse etiam equitandum, necesse erit vas, in quo Sacramentum defertur, bursa decenter ornata, et ad collum appensa, apte includere, et ita ad pectus alligare atque obstringere, ut neque decidere neque e pyxide excuti Sacramentum queat » (Rit. Rom. de com. infirm.). Quodsi, ratione extraordinariae distantiae, vel aliis gravissimis de causis, quasi insuperabile aliquod impedimentum occurrat, parochi stent normis a proprio Ordinario praescriptis, qui hac in re procedat, prae oculis habitis decretis et instructionibus Sanctae Sedis.

[1] Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2. art. 4. Cfr. Bened. XIV, de Syn. l. 7. c. 12.

[2] Coll. P. F. n. 708, 709, 734.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

534. Ne autem, ob extensionem parochialis territorii vel ob multitudinem parochianorum, infirmi, praesertim vita periclitantes, SS. Eucharistia priventur, parochi tenentur in conscientia auxilium aliorum sacerdotum, praesertim confessariorum, etiam regularium implorare, eisque licentiam concedere, ut non tantum Extremam Unctionem, ut hactenus plurimis in locis solet, sed et SS. Viaticum ministrent. Regulares autem, quorum zelum et caritatem sacerdotalem erga infirmos regionum nostrarum meritis laudibus commendamus, alacres fiant, in re tanti momenti, parochorum auxiliares et socii.

535. Cum vero in SS. Eucharistia habeatur etiam ratio sacrificii, firmiter credendum est in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium, pro vivis et defunctis [1]; ideoque per ipsum fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit; una enim eademque est hostia, idem, nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa [2]. Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit; unde nec sacerdos dicere solet: offero tibi sacrificium, Petre vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis quorum memoriam facimus in terris [1].

[1] Prof. fidei Pii IV et Pii IX.
[2] Conc. Trid. sess. 22. cap. 2 de sacrif. Missae.

536. Ut autem SS. Eucharistia, sive ut Sacramentum, sive quatenus est sacrificium, digne et religiose tractetur, diligenter serventur praescriptiones Ritualis et Missalis Romani, decreta Sanctae Sedis, et quae iubenda vel ad memoriam revocanda duximus in titulo IV *de Cultu divino*.

CAPUT V.

De Poenitentia.

537. Quartum Sacramentum est Poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis seu oris confessio, cordis contritio et operis satisfactio. Forma autem sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: *Ego te absolvo* etc. Minister vero est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam vel ex commissione Superioris. Effectus huius Sacramenti est absolutio a peccatis post Baptismum commissis: et ideo merito vocatur «secunda tabula post naufragium». Est enim sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus: unde per illud vera obtinetur reconciliatio cum Deo. Quapropter, parochi et concionatores frequenter doceant fideles de necessitate et de fructibus huius Sacramenti, et distincte doceant quae contritionem, confessionem et satisfactionem respiciunt [2].

538. Contritio a Patribus Concilii Tridentini definitur: *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero:* ex quibus verbis facile

[1] Conc. Trid. sess. 22. cap. 3 de sacr. Missae.
[2] Cfr. Const. Eugen. IV *Exultate Deo*.

534. Ne autem, ob extensionem parochialis territorii vel ob multitudinem parochianorum, infirmi, praesertim vita periclitantes, SS. Eucharistia priventur, parochi tenentur in conscientia auxilium aliorum sacerdotum, praesertim confessariorum, etiam regularium implorare, eisque licentiam concedere, ut non tantum Extremam Unctionem, ut hactenus plurimis in locis solet, sed et SS. Viaticum ministrent. Regulares autem, quorum zelum et caritatem sacerdotalem erga infirmos regionum nostrarum meritis laudibus commendamus, alacres fiant, in re tanti momenti, parochorum auxiliares et socii.

535. Cum vero in SS. Eucharistia habeatur etiam ratio sacrificii, firmiter credendum est in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium, pro vivis et defunctis [1]; ideoque per ipsum fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit; una enim eademque est hostia, idem, nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa [2]. Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit; unde nec sacerdos dicere solet: offero tibi sacrificium, Petre vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis quorum memoriam facimus in terris [1].

[1] Prof. fidei Pii IV et Pii IX.
[2] Conc. Trid. sess. 22. cap. 2 de sacrif. Missae.

536. Ut autem SS. Eucharistia, sive ut Sacramentum, sive quatenus est sacrificium, digne et religiose tractetur, diligenter serventur praescriptiones Ritualis et Missalis Romani, decreta Sanctae Sedis, et quae iubenda vel ad memoriam revocanda duximus in titulo IV *de Cultu divino*.

CAPUT V.

De Poenitentia.

537. Quartum Sacramentum est Poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis seu oris confessio, cordis contritio et operis satisfactio. Forma autem sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: *Ego te absolvo* etc. Minister vero est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam vel ex commissione Superioris. Effectus huius Sacramenti est absolutio a peccatis post Baptismum commissis: et ideo merito vocatur «secunda tabula post naufragium». Est enim sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus: unde per illud vera obtinetur reconciliatio cum Deo. Quapropter, parochi et concionatores frequenter doceant fideles de necessitate et de fructibus huius Sacramenti, et distincte doceant quae contritionem, confessionem et satisfactionem respiciunt [2].

538. Contritio a Patribus Concilii Tridentini definitur: *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero:* ex quibus verbis facile

[1] Conc. Trid. sess. 22. cap. 3 de sacr. Missae.
[2] Cfr. Const. Eugen. IV *Exultate Deo*.

intelligere possunt fideles, contritionis vim non in eo tantum positam esse, ut quis peccare desinat, aut propositum sit ei novum vitae genus instituere, aut ipsum iam instituat; sed in primis male actae vitae odium et expiationem suscipiendam esse [1].

539. Docet praeterea Sancta Synodus, « etsi contritionem hanc aliquando caritatem perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam ». Contritio autem imperfecta seu attritio cum Sacramento iustificat, ut eadem Tridentina Synodus declaravit [2].

540. Confessionem autem iidem Tridentini Patres definiunt esse peccatorum accusationem, quae ad sacramenti genus pertinet, eo susceptam, ut clavium virtute veniam impetremus. Recte autem accusatio dicitur, quod peccata ita commemoranda non sunt, quasi scelera nostra ostentemus, ut ii faciunt *qui laetantur cum male fecerint*, nec omnino ita enarranda, quasi rem aliquam gestam otiosis auditoribus, delectandi causa, exponamus; verum accusatorio animo ita enumeranda sunt, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus. Veniae autem impetrandae causa, peccata confitemur [3].

541. Necessaria insuper est satisfactio sacramentalis, quae recte definitur: voluntaria poenae a confessario iniunctae susceptio, tum ad reparandam iniuriam Deo per peccatum illatam, tum ad poenam temporalem redimendam. Quamvis enim in Sacramento Poenitentiae rite suscepto semper condonetur poena aeterna, non tamen

[1] Catech. Rom. de Poenit. n. 23.
[2] Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. et can. 5 de Poenit.
[3] Catech. Rom. de Poenit. n. 38.

semper remittitur poena temporalis, quae redimenda est per Christi merita laboriosis nostris operibus.

542. Ex praemissis facile deduci potest utilitas maxima sacramentalis confessionis, tum pro singulis hominibus, tum ad socialem prosperitatem. Unde, ait Catechismus Romanus: « Quantum vero curae et diligentiae in ea explicanda pastores ponere debeant, ex eo facile intelligent, quod omnibus fere piis persuasum est, quidquid, hoc tempore, sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia, summo Dei beneficio, conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse, ut nulli mirandum sit, humani generis hostem, cum fidem catholicam funditus evertere cogitat, per ministros impietatis suae et satellites hanc veluti christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum esse ». « Constat enim, si sacramentalem confessionem e christiana disciplina exemeris, plena omnia occultis et nefandis sceleribus futura esse: quae postea, et alia etiam multo graviora, homines, peccati consuetudine depravati, palam committere non verebuntur. Etenim confitendi verecundia delinquendi cupiditati et licentiae tamquam froena iniicit, et improbitatem coercet » [1].

543. Omnes fideles non solum diligenter adimpleant praeceptum confessionis saltem annuae, sed frequentius ad tanti Sacramenti remedium et tutamen confugere curent, praesertim quoties mortali aliquo peccato sese inquinatos, ac proinde gravissimo aeternae damnationis periculo, ob multa quae impendent vitae discrimina, expositos sciunt.

544. Parochi, tempore praesertim Quadragesimae, fidelibus exponentes canonem *Omnis utriusque sexus*

[1] Catech. Rom. de Poenit. n. 36, 37.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fidelis, de annua confessione et eucharistica communione, prout supra art. 523, meminerint Communionem quidem paschalem fieri debere vel in ecclesia parochiali, vel in aliis ecclesiis de licentia Ordinarii vel parochi; sacramentalem tamen Confessionem, etiam tempore paschali, apud quemcumque sacerdotem, ab Ordinario ad confessiones audiendas approbatum, fieri posse.

545. Quia etiam pueri, qui ad annos discretionis pervenerunt, semel saltem in anno, ad Sacramentum Poenitentiae accedere debent, parochi peculiarem curam in illorum confessionibus excipiendis impendant, cum bonum a malo discernere incipiunt et in eorum mentem dolus cadere potest; prudentissima eos manu curent, cavcantque ne de iis, quae ignorare praestat, interrogando instruant, magno studio magnaque patientia ad huius Sacramenti fructus percipiendos praeparent, neque eis absolutionis beneficium ad illud tempus differant, quo ad primam Communionem admittentur; sed rite dispositos Sacramenti gratia corroborent.

546. Quoad fideles iter maritimum facientes, prae oculis habeatur declaratio S. Officii, diei 29 Martii 1869, scilicet: « Posse sacerdotes iter arripientes, ab Ordinariis locorum, unde naves solvunt, adprobari, ita ut, itinere perdurante, fidelium secum navigantium Confessiones valide ac licite excipere valeant, usquedum perveniant ad locum, ubi alius Superior ecclesiasticus iurisdictione pollens constitutus sit. Cavendum tamen ab ipsis Ordinariis, ne eiusmodi facultatem tribuant sacerdotibus, qui idonei non fuerint recogniti ad tramites Concilii Tridentini sess. 23 de ref. cap. 15 » [1].

547. Confessarii tenentur omnino sufficienter callere

[1] Coll. P. F. n. 935.

sermonem, in quo confessiones excipiunt: Superiores autem regulares neminem praesentent ad Confessiones excipiendas, nisi calleat linguam vernaculam regionis, seu eorum quorum confessiones excipere debet [1].

548. Unde merito Concilium Mexicanum V art. 606 declaravit: « Sciant Parochi, in quorum districtu Indi alia quam hispana lingua utentes inveniuntur, se magnopere Dei gloriae consulturos et proprio officio ac conscientiae obligationi, si, non tantum praecipuas interrogationes ad valorem et integritatem sacramentorum, Indorum idiomate versas, sed linguam ipsam ediscere curent ».

549. Circa locum, ubi confessiones audiendae sunt, meminerint Ordinarii praescriptionis Ritualis Romani, scilicet: confessarius « in ecclesia, non autem in privatis aedibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili; quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare »; et ad removendum a confessariis omne suspicionis periculum, in locis praesertim in quibus vel rarus patet accessus sacerdotum, vel nulla ecclesia seu publicum oratorium habetur, prae oculis habeant normam, quae legitur in instructione S. C. de Propaganda Fide, diei 26 Aug. 1780, ad Missionarios regulares, videlicet: « Mulierum confessiones palam in ecclesiis, capellis aut publicis oratoriis, ubi adsunt; ubi vero desiderantur, in alio loco patenti ac pervio, et ianuae hospitii *(seu domus, in qua sacerdos vel missionarius residentiam habet)*, quantum fieri potest, viciniore, a respectivis Ordinariis, et his deficientibus, a localibus Missionum Superioribus designando, interposita crate ferrea vel alio repagulo inter os confessarii ac mulieris poeni-

[1] S. C. de Prop. Fid. 17 Martii 1760; 2 Augusti 1762 (Coll. P. F. n. 934, 935).

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA "ALFONSO REYES"

tentis, audiantur ». Tolerari tamen potest, ut viri, qui aegre ad locum sacrum accederent, ad propria peccata confitenda, alibi, vel etiam in privatis domibus, confessionem peragant. Quando adest causa sufficiens, ad audiendas mulierum confessiones in domibus privatis, Ordinarii « iniungant confessariis, nusquam confessiones feminarum recipere sine cratibus, vel alio quovis opportuno repagulo » (S. C. de Prop. Fide, 12 Febr. 1821): quae norma servanda erit etiamsi agatur de mulieribus surdis, in ecclesia vel in publico sacrario confessionem peragentibus. Si vero mulierum aegrotantium confessio in earum domo audienda est, « cubiculi ianua sit patefacta, ut conspici tam confessarius quam poenitens possint » (eadem S. C., 13 April. 1807), non tamen audiri. Tandem confessionalia in patentibus locis exposita sint, neque unquam in subobscura loca vel abditos sacellorum recessus coniiciantur [1].

550. Ut muneri suo rite satisfacere possint, confessarii Theologiae Moralis studio per totam vitam incumbere non omittant; negligentes autem audiant Benedictum XIV, qui (Inst. 32) merito de tali negligentia conqueritur, dicens: « Utinam non contingeret, quod tamen frequentissime videmus, aliquos nempe sacerdotes, qui, initio praeclarissime confessarii munus susceperunt, inde, post diuturnum tempus, omni studiorum cura neglecta, pristinam Moralis Theologiae scientiam amittere, ita ut, qui in eiusmodi arte peritissimi fuerant, tandem exigua solum et confusa ipsius artis scientia primisque rudimentis instructi, vix inter tirones adnumerentur ».

551. In approbandis confessariis, hanc Ordinarii ha-

[1] Coll. P. F. n. 960, 962, 963.

beant rationem, ut non solum ea scientia praediti reperiantur, qua triplici munere iudicis, medici et doctoris rite fungi valeant, sed sint etiam pii, bene morati, prudentes, patientes, deque animarum salute solliciti; et, excepto casu necessitatis ob penuriam sacerdotum, sint provectae etiam aetatis, praesertim illi, a quibus confessiones mulierum erunt audiendae. Quod si qui ex approbatis in sacro munere obeundo non ita sincere integreque et cum aedificatione se gerant, quemadmodum et tanti ministerii illis commissi sanctitas postulat et animarum salus deposcit, a confessionibus audiendis, licet regulares sint, suspendantur aut etiam amoveantur omnino.

552. Confessarius, more periti medici, similiter infundat oleum et vinum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, per quas prudenter intelligat quale illi debeat consilium praebere, et eiusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum; habeatque prae oculis normas a probatis auctoribus expositas, circa absolutionem concedendam, negandam vel differendam. Quapropter, ut monet Benedictus XIV in Const. *Apostolica*, 26 Iun. 1749: « criminis se reos faciunt confessarii, qui nulla tacti sollicitudine, poenitentes tantum audiunt, non monent, non interrogant, sed expleta criminum enumeratione, absolutionis formam illico proferunt ».

553. Indispositi illi tantummodo sunt iudicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione; misericordiae enim Domini non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; vel qui rudes conditione, aut tardi ingenio non satis in seipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine sacerdotis ipsius opera assecuturi; sed qui, adhibita a con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fessario sufficienti diligentia, sensu tamen doloris ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponantur, carere prudenter iudicentur [1].

554. Quocumque autem animo sint, qui accedant ad ministrum Poenitentiae, nihil ei magis cavendum est, quam ne sua culpa diffisus quispiam Dei bonitati, aut Sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare, si iusta sit causa, cur differenda sit absolutio, verbis, quoad poterit, humanissimis minister poenitentiae persuadeat confessis necesse est, id et munus officiumque suum, et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime adhortetur, ut, iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum, gratiae coelestis dulcedine reficiantur [2].

555. Ad satisfactiones vero sacramentales quod attinet, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes iniungantur; et quidem nec graviores et quae verisimiliter haud adimplebuntur, spectata poenitentis conditione, nec leves, si de gravissimis delictis agatur, sed tales sint, quae ad novae vitae custodiam, atque ad praeteritorum criminum vindictam prudenter referantur.

556. Quoad confessionem infirmorum, serventur praescripta Ritualis Romani, et ea quae parochis praecepimus tit. III. cap. IX, nec non quae de Communione infirmorum iubenda duximus capite IV huius tituli.

557. A casibus et censuris Sanctae Sedi vel Episcopo reservatis nulla est absolutio, extra mortis articulum, absque speciali eiusdem Sanctae Sedis aut Episcopi facultate. Absolvere autem praesumentes sine debita fa-

[1] Cfr. Const. Leon. XII *Caritate Christi*, 25 Dec. 1825.
[2] Ibid.

cultate, etiam quovis praetextu, ab excommunicationibus Romano Pontifici speciali modo reservatis, excommunicationis vinculo, ipsi Romano Pontifici reservatae, innodatos se sciant; dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma est, quoad absolutos, obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint. Non sunt inquietandi, qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis concessam a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus: nec qui tenent validam esse absolutionem in eodem articulo mortis concessam a peccatis reservatis, sive simpliciter, sive cum censura, per sacerdotem non habentem iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse facile potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem [1].

558. Ex decreto S. Officii, diei 23 Iunii 1886 [2], hodie tuto teneri non potest sententia docens ad Episcopum aut ad quemlibet Sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum etiam speciali modo Papae reservatarum, quando poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi Sanctam Sedem: ideoque recurrendum est, saltem per litteras ad Sacram Poenitentiariam, pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, praeterquam in mortis articulo, ad obtinendam absolvendi facultatem. At, ut dicitur in eodem decreto, in casibus vere urgentibus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, dari potest absolutio, iniunctis de iure iniungendis, a censuris etiam *speciali modo* Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in eas-

[1] S. Off. 29 Iul. 1891 (Coll. P. F. n. 2169).
[2] Coll. P. F. n. 1012.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dem censuras, nisi pro huiusmodi poenitentibus absolutis saltem infra mensem per confessarium recursus fiat ad Sacram Poenitentiariam. Et, iuxta ulteriorem eiusdem S. Officii declarationem et concessionem, sub die 16 Iun. 1897 [1], in casu quo nec infamia, nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed durum valde est pro poenitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, simplici confessario licet a censuris Summo Pontifici reservatis directe absolvere, iniunctis iniungendis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad Sanctam Sedem. Immo eadem Suprema Congregatio Sancti Officii, novissime, sub die 9 Nov. 1898 [2], hanc concessionem et declarationem edidit: « Quando neque Confessarius neque poenitens epistolam ad Sacram Poenitentiariam mittere possint, et durum sit poenitenti adire alium confessarium, in hoc casu, liceat confessario poenitentem absolvere etiam a casibus Sanctae Sedi reservatis, absque onere mittendi epistolam »: quae tamen benigna concessio haud comprehendit casum absolutionis complicis [3].

559. Acatholici, ad sinum Sanctae Matris Ecclesiae venientes, qui dubie baptizati reperiantur, prius rebaptizandi sunt sub conditione; et, collato Baptismo, praevia sacramentali confessione peccatorum praeteritae vitae, ab iis sub conditione absolvantur: poterunt etiam, ad maiorem functionis ecclesiasticae facilitatem, prius peccatorum accusationem apud designatum confessarium

[1] V. Appen. n. XCVIII.
[2] Mon. Eccl. X. p. 2. pag. 218.
[3] S. Off. 7 Iun. 1899. V. Appen. n. CXIX.

peragere; deinde, post collationem Baptismi sub conditione, ab eodem confessario, reassumptis, per summa capita, iis, de quibus iam accusationem fecerint, absolvi sacramentaliter, pariter sub conditione [1].

560. Quoad *sollicitantes* eorumque denuntiationem, serventur quae praescripta sunt tit. XV cap. III in fine. Personae autem, quae innoxium sacerdotem falso accusarunt de crimine sollicitationis, a solo Romano Pontifice vel ab eo tantum, qui Apostolicam facultatem obtinuerit, absolvi possunt; cum onere tamen praeviae et regularis retractationis, et expresso nomine, tam falso denuntiantis quam calumniati, servando in archivio secreto Curiae Dioecesanae et ad S. Congregationem Inquisitionis transmittendo [2].

561. Excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam incurrunt « absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem » [3]. Haec autem poena incurritur etiam per absolutionem fictam, id est, si confessarius suum vel suam complicem simulaverit absolvisse [4].

CAPUT VI.

De Extrema Unctione.

562. Quintum Sacramentum est Extrema Unctio; « quod, ut ait Concilium Tridentinum (sess. 14, de Extr.

[1] Prae oculis habita norma decret. S. Off. 17 Iun. 1715 et 2 Dec. 1874 (Coll. P. F. n. 644, 957).
[2] Cfr. Indult. concess. Vic. Ap. 7 Maii 1873 (Coll. P. F. n. 1006).
[3] Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis*.
[4] S. Poenit. 1 Martii 1878, et S. Off. 5 Dec. 1883 (Coll. P. F. n. 1008). S. Poenit. 19 Febr. 1896 (Coll. Par. n. 870).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Unct.), non modo Poenitentiae, sed et totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus ». Eius materia est oleum olivae ab Episcopo benedictum. Hoc Sacramentum soli infirmo, de cuius morte timetur, dari potest, qui, sub praescripta verborum forma, in his locis ungendus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem [1].

563. Quoniam, ut monet Benedictus XIV (de Syn. lib. 8. cap. 7. n. 2): « Humani generis hostis hanc plerisque rudibus et ignaris (et hodie, deficiente fide in multis, etiam plurimis aliis hominibus) mentem iniecit, ut credant, actum esse de vita illius, qui sancto Oleo est inunctus, et solum ei superesse sepulcrum; ex quo fit, ut a Sacra Unctione, perinde ac ab ipsa morte, abhorreant »; doceantur, gratiam huius Sacramenti, delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergere, et aegroti animam alleviare et confirmare, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando; qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert; et tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit; et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur [2]. Debet autem hoc Sacramentum praeberi non solum infirmis, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur; sed et iis, qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate [3].

[1] Cfr. Const. Eugen. IV *Exultate Deo*.
[2] Conc. Trid. sess. 14 de Extr. Unct. c. 2.
[3] Rit. Rom. de Sacram. Extr. Unct.

564. Gravissime peccant, qui illud tempus ad aegrotum ungendum expectare solent, cum iam, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipit. Ad uberiorem enim Sacramenti gratiam percipiendam, plurimum valet, si aegrotus, cum in eo adhuc integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro Oleo liniatur. Ad obtinendam vero corporis etiam infirmi sanitatem, de qua actum est supra, « expectanda non est, ait Bened. XIV, (de Syn. lib. 8. c. 7. n. 2) ultima eius vitae periodus, qua extremum agat spiritum: hunc enim effectum non operatur Sacramentum per modum miraculi, quod in illis circumstantiis esset necessarium, sed virtute quadam, supernaturali quidem, sed quodammodo ordinaria, quae causas naturales adiuvat ».

565. Parochi morosi in administratione Extremae Unctionis, etiam postquam infirmus Sacramentalem Confessionem perfecerit vel Viaticum susceperit, sciant apud veteres aliquando consuetudinem fuisse infirmis primum Poenitentiae, deinde Extremae Unctionis, et postremo Eucharistiae Sacramenta ministrandi [1], quae consuetudo in Ecclesia Graeca plenum adhuc vigorem habet, ut constat etiam ex canone quinto Concilii Patriarchalis Graeco-Melchitici Catholici, anno 1835 celebrati, et anno 1841 a Sancta Sede approbati et recogniti [2]. Et ut facilius intelligant piam ac benignam mentem Ecclesiae, prae oculis habeant decretum S. C. de Propaganda Fide, diei 20 Februarii 1801 [3], quo Missionariis licere declaratur Viaticum et Extremam Unctionem mini-

[1] Cfr. Bened. XIV, de Syn. l. 8. c. 8. n. 2.
[2] Idipsum viget apud Cistercienses (S. R. C. 8 Mart. 1879, n. 3486).
[3] P. F. n. 1156. Cfr. decr. S. C. Prop. Fid. 21 Sept. 1843 (Coll. P. F. n. 1150).

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

strare senibus valde debilibus, vel aliis infirmis, qui infra annum morituri praevidentur ex debilitate senili, ex ethica febri, vel ex alio morbo, etsi per plures menses duraturo, si, praetermissa occasione accessus vel transitus Missionarii, qui locum illum, vix semel aut iterum in anno, visitare potest, huiusmodi infirmi privandi essent extremis Sacramentorum auxiliis.

566. Haec omnia ad memoriam revocantes, graviter improbamus negligentiam medicorum, qui, contra iteratas Sanctae Sedis praescriptiones, tempestive monere negligunt infirmos, eorumque propinquos vel cognatos, de morbi gravitate, seu de recipiendis Sacramentis. Porro medici huiusmodi, crudeles in infirmos, graviter peccant; eorumque negligentiam exprobrans, ita exclamat S. Alphonsus Maria de Ligorio (Hom. Apost. tr. ult. n. 34): *Oh! quam miserum est videre tot infirmos, et praesertim eos qui spectatae sunt dignitatis, ad incitas mortis reduci ut rationes vitae Deo mox reddendas parent, tempore quo sunt quasi exanimes, cum vix possint verba tunc modulare, vix alios audire, vix statum concipere propriae conscientiae suorumque peccatorum dolorem. Et totum hoc evenit culpa istorum medicorum, qui ne displiceant infirmis, aut eorum propinquis, illos certiores non faciunt de periculo; imo eis blandiri pergunt, usquedum omnino ipsi de vita desperantur.*

567. Si, curantium negligentia, vel morbi vi, vel repentino aliquo casu, infirmi sensum omnem amiserint, ut nihil plane intelligant, et, dum sana mente et integris sensibus essent, hoc Sacramentum petierint, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus illis praebeatur. Aliis vero, etiam peccatoribus quibuscumque, de quorum dispositione seu capacitate dubitari potest, Extrema Unctio detur sub conditione: *Si es capax* [1].

568. Pueris, qui sunt doli capaces, etiamsi nondum admissi fuerint ad primam Communionem, praebeatur non solum Poenitentiae, sed et Extremae Unctionis Sacramentum. Non tamen conferendum est Sacramentum Extremae Unctionis illis neophytis moribundis, quos Missionarius capaces Baptismi censuit, nisi saltem habeant aliquam intentionem recipiendi Sacram Unctionem in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam [2].

569. Sanctum Oleum Infirmorum in ecclesiis asservetur, excepto tamen casu necessitatis, iuxta Decreta a Sacra Rituum Congregatione edita; et tunc omnino servetur, etiam domi, Rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam [3].

570. Sacro Oleo Infirmorum addi potest pars modica olei non benedicti, sed in casu tantum necessitatis, ut in Rituali praescribitur. Hoc autem faciendum est, quando sacrum Oleum deficit, non vero quando post consecrationem distribuitur [4]. Circa usum sacri Olei antiqui, standum est tenori indulti a SS. D. N. Leone XIII per Litteras Apostolicas *Trans Oceanum* concessi [5]. Parochus, si per errorem aliud Oleum, quam quod Infirmorum est, ad aegrotum ungendum umquam adhibuerit, etiamsi Chrismatis aut Catechumenorum sit, ut erratum emendet, Olei sacri, quod proprium Infirmorum est, unctionem eidem adhibeat, tuncque Sacramenti formam ite-

1 Cfr. Rit. Rom. de Extr. Unct.
2 S. Off. 10 Maii 1703; 10 April. 1861 (Coll. P. F. n. 1155, 1158).
3 S. R. C. 16 Dec. 1826, ad 3 (n. 2650).
4 S. R. C. 7 Dec. 1844, ad 3 (n. 2885).
5 V. Appen. n. XCVI

ret [1] sub conditione. Et neque in casu necessitatis adhiberi potest Oleum a simplici presbytero benedictum [2], nisi habeat licentiam Summi Pontificis [3].

571. Renum unctio in mulieribus, honestatis causa, semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed, sive in mulieribus sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet. Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma [4].

572. Excepta necessitatis causa, adhiberi nequit stylus, seu virga argentea, aut penicillus, in administratione Extremae Unctionis, loco pollicis intincti in Oleo sancto, iuxta praescriptum Ritualis Romani [5].

573. In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit. In dubio autem, an morbi status mutatus sit, parochi prae oculis habeant hoc monitum Benedicti XIV (de Syn. lib. 8. c. 8. n. 4): « Ne nimium scrupulose in hoc se gerant (parochi), sed si dubitent, an revera morbi status sit mutatus, seu num idem vel diversum sit vitae periculum... ad Sacramenti iterationem propendant; eo quod haec iteratio conformior sit veteri Ecclesiae consuetudini, et per eam novum spirituale subsidium et levamen infirmo obveniat ».

574. Solus parochus aut alius sacerdos, ordinariam vel delegatam facultatem habens, licite hoc Sacramentum administrare potest, secluso casu necessitatis. Regulares

[1] Cfr. Acta Eccl. Mediolan. I. pag. 181.
[2] S. Off. 13 Ian. 1611; 14 Sept. 1842 (Coll. P. F. n. 1146, 1149).
[3] Cfr. Bened. XIV, de Syn. l. 8. c. 1. n. 4.
[4] Rit. Rom. de Extr. Unct.
[5] S. R. C. 9 Maii 1857, ad 2 (n. 3051); S. C. de Prop. Fide 21 Iun. 1788 (Coll. P. F. n. 1147).

autem, praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, hoc Sacramentum ministrare absque parochi licentia, excommunicationem incurrunt latae sententiae Summo Pontifici reservatam [1].

CAPUT VII.

De Ordine.

575. Sextum Sacramentum est Ordo, seu ritus sacer, quo traditur spiritualis potestas ad munia spiritualia recte obeunda. Sacerdotibus autem rite ordinatis potestas traditur consecrandi, offerendi et ministrandi Corpus et Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, nec non et peccata dimittendi et retinendi; idque Sacrae Litterae ostendunt et Catholicae Ecclesiae traditio semper docuit.

576. Igitur, cum Concilio Tridentino, anathematizamus eum, qui dixerit non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi; sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi Evangelium; vel eos qui non praedicant prorsus non esse sacerdotes; vel, praeter sacerdotium, non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, et maiores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur; vel Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, sed esse figmentum quoddam humanum; vel in Ecclesia Catholica non esse hie-

[1] Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris et ministris; vel Episcopos non esse presbyteris superiores [1].

577. Cum sacrorum ministri probi et vere idonei, Dei donum sint, et sane maximum, hinc, in electione promovendorum ad Ordines, ante omnia enixe rogandus est idem Deus, qui est *Dominus messis, ut* huiusmodi *operarios mittat in messem suam* (Luc. x. 2), rogandusque saepius, sed praesertim adventantibus sacrarum Ordinationum diebus. Et volumus, ut tunc omnes parochi fideles excitent ad supplicationes, aliaque pietatis opera in hunc finem peragenda.

578. Qui prima tonsura initiandi sunt, praeter alias qualitates, tales sint de quibus probabilis coniectura sit eos, ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse. Per minores vero Ordines, clerici ita de gradu in gradum ascendant, ut in iis cum aetate vitae meritum et doctrina maior accrescat; quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga presbyteros et superiores Ordines reverentia, et crebrior quam antea Corporis Christi communio maxime comprobabunt. Episcoporum tamen erit de necessitate seu opportunitate dispensationis interstitiorum iudicare [2].

579. De iis praesertim, qui Ordinibus sacris initiari desiderant, inquirere et diu multumque invigilare debent Episcopi, num a Deo legitime vocati, num ea indole, doctrina, gravitate morum et divini cultus studio commendentur, ut certa spes affulgeat, fore ut, tamquam lucernae ardentes in domo Domini, viam salutis gregi fidelium commonstrare eumque ad opera christianae

[1] Conc. Trid. sess. 23. can. 1, 2, 3, 6, 7.
[2] Cfr. Conc. Trid. sess. 23. cap. 4 et 11 de ref.

vitae inflammare queant. Proinde, *melius profecto est*, ut docet Benedictus XIV [1], *pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos atque utiles; quam plures, qui in aedificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri.* Hinc, etiamsi agatur de clericis qui antea in Seminario commorari non potuerunt gravissimis de causis ab Episcopo diiudicandis (ut dicitur titulo VII, art. 629), nullus sacris Ordinibus initietur, qui saltem per sex menses continuos in Seminario non degerit: et dispensationes rarissimae sint et a solo Episcopo, urgentibus extraordinariisque de causis, concedi poterunt; quo in casu, per alias cautelas de idoneitate et bonitate promovendi Episcopus ipse certior fieri debet.

580. Parochi, moderatores Seminarii aliique, qui de natalibus, aetate, vita et moribus promovendorum ad sacros Ordines vel inquirere vel testimonium ferre debent, hoc gravissimum munus, onerata strictissime eorum conscientia, et servato secreto, summa diligentia exequantur [2]. Si secus fecerint, sciant, se malorum omnium, quae inde christianae reipublicae obvenient, coram Deo et Ecclesia reos habendos esse.

581. Hortamur in Domino parochos, ut, quos possunt, pueros, praesertim pauperes, bona indole praeditos, qui spem afferant, se, sacris initiatos, Ecclesiae ministros utiles fore, ad clericalis vitae normam, pro paterna caritate, accurate erudiant, litteras doceant, et in caeremoniis liturgicis adhibeant. Cum autem expedire videbitur, singulorum mores ac in studiis progressus Episcopo significent, ut suo tempore, pro

[1] Encycl. *Ubi plurimum*, 3 Dec. 1740.
[2] Cfr. Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2. art. 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aetatis ratione proque ingenii captu, studiis gravioribus dare operam queant.

582. Secluso speciali indulto, nemo ad sacros Ordines promoveri potest nisi titulo *ecclesiastico* vel *patrimoniali* de honesta sustentatione provisus sit. In nostris autem regionibus sufficit titulus administrationis seu ministerii sive *servitii Ecclesiae*, iuxta Decretum S. Congregationis Concilii, diei 21 Iun. 1879, quod in Appendice inserendum iussimus [1]. Clerici in communis vitae disciplina degentes, nulla nuncupantes vota, vel simplicia tantum, ordinari nequeunt titulo *mensae communis*, nisi eorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio ab Apostolica Sede aucta fuerint: nec possunt promoveri titulo *paupertatis*, siquidem hic titulus ad eos tantum pertinet qui vota *solemnia* in probata religione emiserint. Ut autem in hac re ad normam iuris diligentius et facilius procedatur, prae oculis habeatur Instructio S. Congregationis de Propaganda Fide, diei 27 April. 1871 [2].

583. Quis sit subditus alienus et quis proprius, ad effectum suscipiendi Ordines, aperte declaravit Innocentius XII in Constitutione *Speculatores*, die 4 Nov. 1694 [3]. Poenae autem latae in ordinantes alienum subditum vel proprium, contra praescripta canonica, habentur in Constitutione Pii IX *Apostolicae Sedis*, diei 12 Oct. 1869. Prae oculis etiam haberi debent normae praescriptae in decreto S. Congregationis Concilii « *A primis Ecclesiae saeculis* », diei 20 Iul. 1898 [4].

584. Meminerint Episcopi, haereticos ad fidem ca-

[1] V. Appen. n. XLIV
[2] V. Appen. n. XXXVI.
[3] V. Appen. n. IV.
[4] V. Appen. n. CVIII.

tholicam conversos, ac filios haereticorum, qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat, esse irregulares; ideoque dispensatione indigere, ut ad Tonsuram et Ordines promoveantur [1].

585. Meminerint denique omnes quorum interest, ipsam remissionem interstitiorum, etiam quoad Regulares, ex causis tantum a Concilio Tridentino expressis faciendam, pertinere ad Episcopum ordinantem; eum tamen debere, quoad huiusmodi causas, deferre iudicio et attestationi Superioris Regularis.

586. Dimissoriales litterae pro ordinatione Regularium dari possunt a solis Superioribus Generalibus et Provincialibus vel quasi-Provincialibus, uti sunt Visitator, Praefectus, Commissarius: non autem, seclusa legitima delegatione, a Superioribus mere localibus. Episcopi omnino stare possunt attestationibus praefatorum Superiorum, nisi ipsis certo constet de indignitate candidati vel de violatione decreti *Auctis admodum:* salvo semper eorumdem Episcoporum iure circa examen ordinandorum etiam regularium, salvisque specialibus et indubitatis indultis.

CAPUT VIII.
De Matrimonio.

587. Septimum est Sacramentum Matrimonii, per quod vir et mulier indissolubili vinculo maritali colligantur, et divina gratia perfunduntur ad mutuo se amore prosequendos, ad prolem pie accipiendam atque sancte instituendam. Indissolubilis haec viri uxorisque societas perpetuam et summam Christi cum Ecclesia

[1] S. Off. 4 Dec. 1890 (Coll. P. F. n. 1078).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

coniunctionem atque ineffabilem et immensum eius erga eamdem Ecclesiam amorem mirifice significat. Causa efficiens Matrimonii est mutuus consensus per verba de praesenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii, videlicet: *fides* coniugalis servanda, *proles* pie accipienda et educanda, *sacramentum* individuam indissolubilemque coniugum societatem sanctificans [1].

588. Inter fideles Matrimonium dari non potest, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum: atque idcirco quaelibet alia inter Christianos viri et mulieris, praeter Sacramentum, coniunctio, etiam civilis legis vi facta, nihil aliud est nisi turpis et exitialis concubinatus [2]. Iure enim civili res tantum ordinari et administrari possunt, quas matrimonia afferunt ex sese in genere civili, Christus Dominus, Matrimonium ex officio naturae in Sacramenta transferens, totam ipsius disciplinam Ecclesiae concredidit et commendavit et, quod ad vinculum spectat, legiferam atque iudicialem potestatem eidem Ecclesiae attribuit [3]. Ideoque doceantur fideles, in nostris regionibus, in quibus omnibus, nulla excepta, indubitanter promulgatum et receptum est decretum *Tametsi* Concilii Tridentini (sess. 24 de ref. Matrim. c. 1), nullum esse Matrimonium initum absque proprii parochi et duorum testium praesentia, et prolem ex civili coniunctione procreatam illegitimam esse coram Deo et Ecclesia [4].

589. Ubi existit infaustissima lex *civilis*, quod vocant, *matrimonii*, parochi et concionatores prudenter et accurate fidelibus explicare curent doctrinam catholicam de hoc Sacramento, ut ab erroribus in vulgus sparsis caveant rectamque cogitandi et agendi rationem in matrimoniis celebrandis constanter teneant. Ideo frequenter legant Encyclicam *Arcanum* SS. D. N. Leonis XIII, et prae oculis habeant Instructiones datas a Sacra Poenitentiaria pro Episcopis Italiae anno 1866, et alias ad rem facientes, quas in Appendice inserendas iussimus [1].

1 Cfr. Const. Eugen. IV *Exultate Deo*.
2 Pius IX. Alloc. *Acerbissimum*, 27 Sept. 1852.
3 Leo XIII. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.
4 Bened. XIV. Litt. *Redditae sunt Nobis*, 17 Sept. 1746. V. Appen. n. CXXIX.

590. Antequam denuntiationes de ineundo Matrimonio publice in Ecclesia fiant, parochus tum a sponso tum a sponsa seorsim, caute, et, uti dicitur, ad aures exquirat, an aliqua inter eos adsint impedimenta, ea praesertim quae, attentis sponsorum conditionibus et adiunctis, intercedere prudenter suspicari possit; veluti an castitatis voto ligentur, an aliis fidem alter ex contrahentibus dederit, an impedimentum aliquod cognationis adsit, et an sponte et libere in Matrimonium consentiant. Prudenter etiam ac modeste impedimentum affinitatis ex copula illicita memoret [2]. Ad probandum status libertatem, prae oculis habeantur *Instructio pro examine testium* seu *ad probandum status libertatem*, edita a S. Officio die 21 Aug. 1670 [3], et confirmata die 25 Decembris 1727, et *Instructio ad probandum obitum alicuius coniugis*, edita pariter a S. Officio, anno 1868, quas in Appendice inserendas iussimus [4].

591. Quoad mixtas nuptias, catholicorum scilicet cum haereticis, monemus omnes fideles, Ecclesiam Catholicam *illas semper improbavisse, ac tamquam illicitas, planeque perniciosas habuisse, tum ob flagitiosam in di-*

1 V. Appen. n. CXXIX.
2 Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2 art. 10.
3 V. Appen. n. III.
4 V. Appen. n. XXX.

vinis communicationem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Quapropter per respectivos Ordinarios, parochos et confessarios, a tam periculosis coniugiis deterrendi sunt fideles et gravissime monendi sunt genitores, qui ea impedire non satagant. Si tamen, aliquo in casu extraordinario, gravissima habeatur causa postulandi dispensationem (quae a solo Romano Pontifice vel de eius licentia concedi potest), tunc prius totis viribus curandum est, ut pars acatholica convertatur; quod si obtineri nequeat, Ordinarius nullo pacto dispensationem concedere poterit, *nisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non possit, quin immo catholicus ipse coniux teneri se sciat ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum; verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in sanctitate catholicae religionis educari omnino debeat. Quae quidem cautiones*, quas in scriptis dandas monemus et sub iuramento, *remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur.* Ut autem in re tanti momenti recte procedatur, Ordinarii prae oculis habeant Instructionem Secretariae Status, iussu Pii IX die 15 Novembris 1858 editam [1], Litteras Encyclicas S. C. de Propaganda Fide 11 Martii 1868 [2], nec non Instructionem Sancti Officii ad Archiepiscopum S. Iacobi de Chile, super matrimoniis haereticorum, diei 17 Maii 1869 [3]. Parochi, nequidem obtenta dispensatione mixtis nuptiis assistere praesumant, si sponsi mi-

[1] V. Appen. n. XXI.
[2] V. Appen. n. XXXI.
[3] V. Appen. n. XXXII.

nistrum acatholicum sive ante sive post matrimonium adire intendant; quem si iam adierint, Parochus rem deferat Episcopo, cuius erit providere, praevia tamen absolutione partis catholicae a censuris, impositisque salutaribus poenitentiis.

592. Cum sponsalia gravem inducant obligationem celebrandi congruo tempore matrimonium, parochi adolescentibus commendent, ne inconsiderate et temere ineant sponsalia; sed lumen a Deo assiduis precibus efflagitent, consilium prudentium virorum exquirant et non sine testibus ea contrahant [1].

593. Parochi revocent fidelibus in animum, quod filii sanctorum sunt, et non possunt coniungi sicut gentes, quae ignorant Deum: praemoneant tum adolescentes de familiari cum altero sexu conversatione, ne fallax amicitia et humana fragilitas ad peccatum seducat, diuturno remorsu conscientiam afflictura; tum adolescentulas, ne falsis pollicitationibus deceptae, cum irreparabili virginalis innocentiae iactura, in laqueum libidinis incidant [2]. Nupturientes, ante celebrationem Matrimonii, non cohabitent, sed nunquam simul maneant, nisi praesentibus et videntibus propriis genitoribus vel aliis, qui eos a pravis semitis deterreant [3]. Parentes vero et sponsi hac in re negligentes, fortiter et suaviter re-

[1] Patribus Concilii Plenarii expedire visum fuit, a SS. D. N. Leone Papa XIII postulare extensionem ad Americam Latinam declarationis S. C. Concilii pro Hispania editae die 31 Ian. 1880, ideoque: *Sponsalia quae contrahuntur in regionibus nostris absque publica scriptura invalida esse, et publicam scripturam supplere non posse informationem matrimonialem, neque instrumentum in Curia dioecesana vel alibi conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento, ex quo inferri possit promissio serio facta contrahendi matrimonium.* Et Sanctissimus benigne annuit et praefatam extensionem concessit.

[2] Conc. Prov. Prag. an. 1860, t. 4. cap. 11.

[3] Cfr. Rit. Rom. de Sacram. Matrim.

prehendendi sunt, et emendatione non secuta aut non serio promissa, iuxta normas a probatis auctoribus traditas, in Tribunali Poenitentiae habendi sunt uti peccatores indispositi.

594. Quamvis omnino a veritate aberrent, dicentes matrimonia a filiisfamilias, seu ab iis qui sub patria potestate constituti sunt, sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit [1]. Moneantur tamen parentes, ne unquam, nisi gravissimis de causis, filios suos a Matrimonio prohibeant, sed ea prudenter suadeant quae in Domino ipsis expedire videantur; libertatem tamen filiorum non cohibeant [2].

595. Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia, inter missarum solemnia, publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum [3]. Si vero vir et mulier parochiae sint diversae, in utraque parochia fiant denuntiationes. Matrimonium vero post ultimam proclamationem non diu differatur; si vero infra duos menses post factas denuntiationes, matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur [4]. Episcoporum est iudicare num una aut duae tantum proclamationes sufficiant, aut eas omnino remittere, dummodo adsit iusta et legitima causa [5].

596. In executione et usu apostolicarum dispensa-

[1] Conc. Trid. sess. 24. cap. 1 de ref. Matrim.
[2] Conc. Prov. Vallisol. an. 1887, p. 3. t. 8.
[3] Conc. Trid. sess. 24. cap. 1 de ref. Matrim.
[4] Cfr. Rit. Rom. l. c.; Conc. Prov. Ultraiect. an. 1865, p. 4. c. 12.
[5] Cfr. Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2. art. 10; Cfr. Const. Bened. XIV *Satis vobis*, 27 Nov. 1741.

tionum accurate serventur normae praescriptae a S. Romana et Universali Inquisitione die 20 Febr. 1888, quae in Appendice habentur [1].

597. Moneantur sponsi, ne confessionem ad ipsum nuptiarum diem differant, sed, opportuno tempore, etiam per confessionem generalem, nisi confessario aliter videatur, ad hoc Sacramentum rite suscipiendum diligenter sese praeparent. Excitentur etiam ad SS. Eucharistiam opportune suscipiendam. Matrimonium autem, absque legitima causa et Episcopi licentia, non in privatis oratoriis, neque post meridiem aut extra celebrationem Missae, nec eodem die, quo ultima facta est proclamatio, celebretur.

598. S. Officium, die 31 Augusti 1881, derogando omnibus in contrarium praecedentibus, declaravit: « Benedictionem nuptialem, quam exhibet Missale Romanum in Missa pro sponso et sponsa, semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem iuxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis coniugibus, qui eam, in contrahendo matrimonio, quacumque ex causa, non obtinuerint, etiamsi petant postquam diu in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem illam in aliis nuptiis non acceperit. Insuper hortandos esse eosdem coniuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant; significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere coniugii » [2].

599. Quamprimum ab inito matrimonio, et, quoties

[1] V. Appen. n. LVIII.
[2] Coll. P. F. n. 1560.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fieri potest, intra unius diei spatium, parochus, etsi alius sacerdos eius vice nuptiis adstiterit, easdem in libro ad hoc destinato describat ad formam Ritualis Romani, notando diem, mensem et annum, non arithmeticis notis, sed expressis omnino verbis [1]. Mandamus etiam, ut quoties Sacerdos ex delegatione Ordinarii vel parochi assistat matrimoniis, statim transmittat ad proprium parochum testimonium matrimonii celebrati, cum mentione delegationis habitae.

600. Si quando contigerit aliquod impedimentum dirimens detegi ipso die quo contrahendum est matrimonium, dum omnia ad nuptias sunt parata, earumque celebratio differri non potest sine gravi incommodo, tunc si impedimentum est publicum, parochus nullo modo admittere potest sponsos ad contrahendum, remque totam Episcopo vel eius delegato sine mora significet. Si vero impedimentum sit occultum, adeo ut nuptiae impediri aut differri absque gravi scandalo nequeant, donec dispensatio legitima obtineatur, parochus vel confessarius iis in angustiis constitutus sequatur doctrinas probatorum auctorum et praesertim S. Alphonsi de Ligorio (Theol. mor. l. 6. n. 613).

[1] Cfr. Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2. art. 10.

TITULUS VI.

DE SACRAMENTALIBUS

CAPUT UNICUM.

601. Sacramentalia dicuntur, quae cum Sacramentis aliquam similitudinem habent; sunt enim res aut actiones ab Ecclesia institutae aut adhibitae, ad quosdam effectus praesertim spirituales producendos. Huiusmodi sunt: 1) Ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia utitur, sive in administratione Sacramentorum, sive in deputatione rerum vel personarum ad certum cultum vel ministerium, ut consecratio aedium sacrarum, altarium, calicum, consecratio Virginum, benedictio Abbatum, sacratio regum, prima tonsura etc.; 2) Benedictiones et exorcismi, extra Sacramentorum dispensationem; 3) Res sacrae vel benedictae, quibus vis aliqua salutifera adnexa est, ut aqua lustralis, *Agnus Dei*, palmae et cerei benedicti etc.; 4) Pia quaedam exercitia, ut oratio dominica, *Confiteor*, eleemosyna, lotio pedum in feria V maioris hebdomadae, etc.

602. Sacramentalia sanctificandi vim certe non habent, quae Sacramentis inest a Christo Domino institutis; attamen, si ea pie adhibemus, ex iis precibus, quibus res consecravit Ecclesia, ut docet S. Thomas (p. 3. q. 87. art. 3), et venialium peccatorum remis-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fieri potest, intra unius diei spatium, parochus, etsi alius sacerdos eius vice nuptiis adstiterit, easdem in libro ad hoc destinato describat ad formam Ritualis Romani, notando diem, mensem et annum, non arithmeticis notis, sed expressis omnino verbis [1]. Mandamus etiam, ut quoties Sacerdos ex delegatione Ordinarii vel parochi assistat matrimoniis, statim transmittat ad proprium parochum testimonium matrimonii celebrati, cum mentione delegationis habitae.

600. Si quando contigerit aliquod impedimentum dirimens detegi ipso die quo contrahendum est matrimonium, dum omnia ad nuptias sunt parata, earumque celebratio differri non potest sine gravi incommodo, tunc si impedimentum est publicum, parochus nullo modo admittere potest sponsos ad contrahendum, remque totam Episcopo vel eius delegato sine mora significet. Si vero impedimentum sit occultum, adeo ut nuptiae impediri aut differri absque gravi scandalo nequeant, donec dispensatio legitima obtineatur, parochus vel confessarius iis in angustiis constitutus sequatur doctrinas probatorum auctorum et praesertim S. Alphonsi de Ligorio (Theol. mor. l. 6. n. 613).

[1] Cfr. Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2. art. 10.

TITULUS VI.

DE SACRAMENTALIBUS

CAPUT UNICUM.

601. Sacramentalia dicuntur, quae cum Sacramentis aliquam similitudinem habent; sunt enim res aut actiones ab Ecclesia institutae aut adhibitae, ad quosdam effectus praesertim spirituales producendos. Huiusmodi sunt: 1) Ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia utitur, sive in administratione Sacramentorum, sive in deputatione rerum vel personarum ad certum cultum vel ministerium, ut consecratio aedium sacrarum, altarium, calicum, consecratio Virginum, benedictio Abbatum, sacratio regum, prima tonsura etc.; 2) Benedictiones et exorcismi, extra Sacramentorum dispensationem; 3) Res sacrae vel benedictae, quibus vis aliqua salutifera adnexa est, ut aqua lustralis, *Agnus Dei*, palmae et cerei benedicti etc.; 4) Pia quaedam exercitia, ut oratio dominica, *Confiteor*, eleemosyna, lotio pedum in feria V maioris hebdomadae, etc.

602. Sacramentalia sanctificandi vim certe non habent, quae Sacramentis inest a Christo Domino institutis; attamen, si ea pie adhibemus, ex iis precibus, quibus res consecravit Ecclesia, ut docet S. Thomas (p. 3. q. 87. art. 3), et venialium peccatorum remis-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sionem, et, per modum impetrationis, actuales gratias obtinemus, hostes animae nostrae profligamus; atque etiam multa corporis bona per ea largiri solet benignissimus Deus.

603. In collatione Sacramentalium, omnino serventur canonicae praescriptiones et decreta S. Rituum Congregationis [1]. In dubio de liceitate alicuius usus, qui ad Sacramentalia revocari debet, recurrendum erit ad Sanctam Sedem, expositis omnibus rerum adiunctis.

604. Curent concionatores praesertim et parochi fidelibus exponere Sacramentalium, eorum potissimum quae frequentiora sunt, naturam, significationem, effectum, rectumque eorum usum, remota omni superstitione et temeraria fiducia. Et omnes animarum rectores faciles se praebeant, ut suorum fidelium necessitatibus subveniant per huiusmodi remedia spiritualia.

[1] Cfr. Mach, Tes. del Sac. ed. 12, n. 463 seq. ubi de Benedictionibus.

TITULUS VII.

DE INSTITUTIONE CLERICORUM

CAPUT I.

De electione et praeparatione puerorum ad statum clericalem in Seminario.

605. Inter tot gravissimas necessitates, quibus Ecclesia Dei in nostris amplissimis regionibus premitur, quae non pastorum modo, sed et fidelium animum magis commovere ac zelum excitare debent, ea utique est quae exigit, ut summa cura institutioni provideatur clericorum. Luctuosa enim experientia docet, ubi in educandis et instituendis clericis deficitur, ibi in populorum moribus informandis parum profici. Proinde, circa clericorum institutionem, Nobis decernere visum est, quae in sequentibus capitibus enunciantur.

606. Venerandam clericalis status atque sacerdotii dignitatem et honorem nemo sibi sumat, nisi qui vocatur a Deo, tamquam Aaron [1]. Domini enim est eligere quos vult esse suos, suorumque mysteriorum dispensatores.

607. Satagant itaque parochi et confessarii, ut qui pueri atque adolescentuli a Deo in opus ministerii vocati esse apparent, eos a saeculi contagiis arceant,

[1] Ad Heb. v. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sionem, et, per modum impetrationis, actuales gratias obtinemus, hostes animae nostrae profligamus; atque etiam multa corporis bona per ea largiri solet benignissimus Deus.

603. In collatione Sacramentalium, omnino serventur canonicae praescriptiones et decreta S. Rituum Congregationis [1]. In dubio de liceitate alicuius usus, qui ad Sacramentalia revocari debet, recurrendum erit ad Sanctam Sedem, expositis omnibus rerum adiunctis.

604. Curent concionatores praesertim et parochi fidelibus exponere Sacramentalium, eorum potissimum quae frequentiora sunt, naturam, significationem, effectum, rectumque eorum usum, remota omni superstitione et temeraria fiducia. Et omnes animarum rectores faciles se praebeant, ut suorum fidelium necessitatibus subveniant per huiusmodi remedia spiritualia.

[1] Cfr. Mach, Tes. del Sac. ed. 12, n. 463 seq. ubi de Benedictionibus.

TITULUS VII.

DE INSTITUTIONE CLERICORUM

CAPUT I.

De electione et praeparatione puerorum ad statum clericalem in Seminario.

605. Inter tot gravissimas necessitates, quibus Ecclesia Dei in nostris amplissimis regionibus premitur, quae non pastorum modo, sed et fidelium animum magis commovere ac zelum excitare debent, ea utique est quae exigit, ut summa cura institutioni provideatur clericorum. Luctuosa enim experientia docet, ubi in educandis et instituendis clericis deficitur, ibi in populorum moribus informandis parum profici. Proinde, circa clericorum institutionem, Nobis decernere visum est, quae in sequentibus capitibus enunciantur.

606. Venerandam clericalis status atque sacerdotii dignitatem et honorem nemo sibi sumat, nisi qui vocatur a Deo, tamquam Aaron [1]. Domini enim est eligere quos vult esse suos, suorumque mysteriorum dispensatores.

607. Satagant itaque parochi et confessarii, ut qui pueri atque adolescentuli a Deo in opus ministerii vocati esse apparent, eos a saeculi contagiis arceant,

[1] Ad Heb. v. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad pietatem et ad studia incitent, divinaeque in eis vocationis germen foveant. Et pari ratione graviter eos moneant, tum qui divinae filiorum vocationi impedimenta opponunt, tum qui, humano vel utcumque profano motivo acti, filios ad sanctuarium dirigere vellent, penes quos nulla, etiam tenuiter probabilia, vocationis ecclesiasticae signa animadverterint.

608. Mens est sanctae matris Ecclesiae, ut pueri in sortem Domini vocati, in collegiis clericalibus seu seminariis alantur, religiose educentur, ad sacra ministeria praeparentur, in sacris disciplinis instruantur.

609. Unaquaeque dioecesis suum habeat Seminarium. Optandum imo est, ut duplex habeatur, minus scilicet pro pueris, humanis litteris instituendis, maius pro alumnis, philosophiae et theologiae vacantibus atque mox sacris ordinibus initiandis. Prudenti tamen arbitrio Episcoporum relinquitur, ut studia philosophica etiam in Seminariis minoribus perficiantur, dummodo agatur de philosophia scholastica; exclusis textibus lingua vulgari editis et servato tempore praescripto pro curriculo philosophico.

610. Seminariorum seu collegiorum clericalium moderatores et magistri, ad tramites Tridentini Concilii eligantur, qui sint, non scientia tantum, sed et virtute, pietate et prudentia praestantiores, quique verbo et exemplo alumnis prosint.

611. Episcopi singuli, pro Seminariis suis dioecesanis, de consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum rite electorum [1], servatis praescriptionibus Instructionis S. C. Concilii 15 Martii 1897 [2], constitutiones et regulas ad normam eorum quae heic subnectuntur, quam primum edant; ut quid sentire, quid agere, quid observare oporteat, tum ii doceantur qui in iisdem Seminariis in spem Ecclesiae aluntur et instruuntur, tum qui in eorumdem institutione operam suam impendunt.

[1] Conc. Trid. sess. 23. cap. 18 de ref.
[2] V. Appen. n. XCV.

CAPUT II.

De minoribus Seminariis.

612. Ex consultissimo Tridentini Concilii decreto, de pueris atque adolescentibus ad clericatum praeparandis, luculenter apparet, scholas seu Seminaria minora, de quibus hic sermo est, minime esse habenda ut gymnasia mixta, in quibus tam saecularis quam clericalis iuventus promiscue crescat et erudiatur; sed ut domus vere clericales seu sacerdotum plantaria, ubi omnia et singula ad unicum sacerdotalis educationis propositum conspirent. In Seminario adolescentes maneant, primum minori, deinde maiori, usque ad absoluta studia et sacerdotium adeptum, neque permittantur absque gravi causa domum remeare [1]. Itaque huiusmodi scholarum et Seminariorum fores nonnisi iis pateant, quorum indoles et voluntas spem praebeant eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo se esse mancipaturos.

613. Ubi tamen gravis necessitas vel speciales circumstantiae postulent, ut nonnulli etiam sive clerici externi sive laici alumni in minoribus huiusmodi Seminariis admittantur, vel ut, durantibus scholasticis vacationibus, alumni propriam domum remeare possint, id a singulis Episcopis permitti poterit, cum debitis, efficacibus et positivis cautelis; et quoad externos et laicos, dummodo in spirituali et litteraria moderatione Seminarii, omnia primarie et principaliter conspirent ad

[1] V. Appen. n. CXXVII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

perfectam pro viribus clericorum institutionem, et dummodo agatur de pueris et adolescentibus christiana educatione, religiosa indole et morum integritate commendabilibus. Conciliorum tamen Provincialium erit hac de re opportunas praescribere cautiones, vel etiam severiores leges prudenter constituere, iuxta propriae Provinciae conditiones.

614. Pueri ad clericales scholas admittendi canonicas habeant conditiones, iuxta normas a Sancta Sede propositas.

615. Pauperum filios Tridentina Synodus praecipue vult eligi, nec tamen ditiores excludit, modo suo sumptu alantur, et studium prae se ferant Deo et Ecclesiae inserviendi.

616. Magistri curent maximopere, ut quivis discipulus non modo scientiam et litteras addiscat, sed, quod maioris momenti est, ut sanis principiis et christianae pietatis amore eius informetur animus. Primum igitur inter studia locum obtineat religionis scientia, quae omnibus alumnis, modo singulorum aetati et ingenio accommodato, diligentissime tradatur. Quod autem attinet ad pietatis opera, alumnis Seminarii minoris applicentur, iudicio Episcopi, quae pro Seminariis maioribus infra praescribuntur, qua proportione dispar aetas suadebit.

617. Curam maximam omnes impendant, ut linguam latinam addiscant, quae perpetuo Ecclesiae usu est consecrata, et catholicae traditionis interpres est, atque ad ecclesiasticam scientiam quasi necessarius est aditus. Praeterea cantum liturgicum et computum ecclesiasticum addiscant, iuxta sanctionem Concilii Tridentini, sess. 23. c. 18. de ref.

618. Curandum pro viribus, ubi fieri potest, ut linguae etiam graecae studium non desit in gymnasio, quod ad sacrorum praesertim librorum intelligentiam multum proderit.

619. Patriam linguam non modo alumni non negligant, sed principiis eius atque regulis magis ac magis a pueritia studeant, paulatimque adlaborent, ut recte et eleganter eam loqui et scribere valeant. Immo et in linguis indigenarum respectivae regionis instruantur, ut iis Sacramenta congrue administrare valeant.

620. Rhetoricae arti sedulam operam navent alumni, in eiusque exercitationibus informentur potissimum ad illud dicendi genus, quod perspicuum sit et simplex, non tamen incultum, sublime et dignitate plenum, non tamen inflatum et turgidum.

621. Linguarum veterum et hodiernarum culturae coniungatur tum sacrae et profanae historiae ac geographiae studium, tum arithmeticae aliarumque naturalium scientiarum, prout culturae generali et statui clericorum necesse sit.

622. In scholis nonnisi probati ab Episcopo auctores adhibeantur; immo quam maxima cura ab alumnorum manibus libri removeantur, quocumque idiomate conscripti, qui vel morum corruptionem et mundanum spiritum vel indifferentismum vel irreligionem vel inobedientiam in adolescentium animis inserere queant.

CAPUT III.
De Seminariis dioecesanis maioribus.

623. Episcopis singulis nihil antiquius sit, nihil potius, quam ut omni opera, solertia, industria, maiora clericorum Seminaria, si nondum in suis dioecesibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

existant, instituere, atque instituta, si opus fuerit, amplificare eaque optimis moderatoribus et magistris instruere curent; necnon summo studio invigilent, ut inibi clerici in timore Domini et ecclesiastica disciplina sancte religioseque educentur, et scientiis sacris, iuxta catholicam doctrinam, sedulo excolantur [1].

624. Quisque eorum, qui in maius Seminarium recepti sunt, opportuniore tempore, spiritualibus exercitiis vacabit, ac de consilio proprii confessarii totius vitae peccata expiabit confessione. Eadem sacra exercitia, singulis annis, post ferias, ab omnibus alumnis erunt iteranda.

625. In conficiendo horario pro Seminariis, attendendum praesertim est, ut quotidie, summo mane, in oratorium omnes se conferant, atque, matutinis precibus recitatis, per semihoram mentali orationi vacent; Missae sacrificio intersint; statis horis conscientiam discutiant; Christum Dominum in Sacramento visitent; B. M. V. Rosarii tertiam partem, serotinas demum preces recitent. Semel in hebdomada ad Poenitentiae sacramentum omnes accedant et iuxta confessarii iudicium saepius, qua par est pietate, Eucharistico pane se reficiant. Per crebras collationes, exhortationes, pias lectiones excolatur in alumnis singulis devotio mentis, puritas cordis, sacerdotalis vocatio, et ex eorumdem animo tollatur superbia, ambitio, bonorum temporalium vel honorum sitis et aviditas. Mentem ad Deum saepius per diem elevent, ad continuos virtutum progressus seipsos excitent. Studia ad maiorem Dei gloriam dirigant, et omnem impendant curam, ut eam scientiam, quae difficillimo sacerdotali ministerio necessaria

[1] Pius IX. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Nov. 1846.

omnino est, efficaciter acquirant; solum enim ardere non sufficit, sed lucere et ardere perfectum est.

626. Nemo admittatur ad Seminarium maius, nisi praevio regulari aliorum studiorum curriculo. Philosophica studia in Seminariis peragenda saltem duos annos complectantur, theologica vero quatuor. Subdiaconatus ordo nemini conferatur, nisi per integrum saltem annum, diaconatus, nisi per duos annos, presbyteratus, nisi per tres annos sacrae theologiae scholas frequentaverit; et praecipimus ut hac in re nulla detur dispensatio, excepto casu gravis necessitatis. In utrisque tum philosophiae tum theologiae disciplinis tradendis, Angelici Doctoris vestigiis magistri studiose inhaereant, atque in suis lectionibus nonnisi auctores probatae doctrinae interpretentur.

627. Praeterquam theologiae dogmaticae et moralis, alumnis praelectiones fiant sacrae hermeneuticae et exegesis biblicae, historiae ecclesiasticae, institutionum iuris canonici, liturgiae et sacrae eloquentiae, necnon in iis instituantur quae ad theologiam pastoralem et ad rectam Sacramenti Poenitentiae administrationem spectant et pertinent. Studium insuper linguarum indigenarum respective, quod in Seminario minori coeperant, absolvant, ut Sacramenta congrue administrare valeant. Omnes alumni, in Seminario maiori, cantus ritualis, cuius principia in Seminario minori addidicerunt, praxim praesertim sequantur, et in choro ipsius Seminarii, in Missis et caeteris officiis persolvant. Peroptamus ut, ubicumque fieri possit, theologiae positivae, Patrum doctrinis innixae, plenius studium non omittatur; imo in votis est Concilii ut in speciali cathedra de ea tractetur. Item apologetica disciplina, quae christiana dogmata contra hodiernorum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

praecipue incredulorum sophismata defendit, ampliori ratione exponatur.

628. Quovis anno, semel saltem vel bis, circa materias in scholis traditas, alumni omnes et singuli serio examinentur. Quod quisque specimen ingenii et scientiae dederit in libro consignetur. Qui inter alumnos iam cooptatus, mala de se indicia praebuerit, et, licet admonitus, nullam spem emendationis dederit, quam primum dimittatur. Si quis vero, caeteroquin bonae indolis, diligens et pietate laudabilis, ea laboraverit ingenii tarditate, ut prudenter dubitetur an possit, quantum opus est, in studiis proficere, eius causa reservetur Episcopi iudicio.

629. Vitam in maiori Seminario communem sub una eademque regula perpetuo agant, neque externi ulli, nisi gravissimis de causis ab Episcopo probatis, in discipulorum albo recenseantur. Vestem talarem omnes induant, moresque suos ita componant, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave moderatum ac religione plenum prae se ferant, levia etiam delicta effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem [1]. Seminarii autem moderatores ac magistros vehementer in Domino obtestamur, ut serio considerent quale onus ipsis incumbat, cum ex recta alumnorum institutione totius dioecesis bonum, Dei cultus et populorum salus vel maxime pendeant. Quamobrem statutas regulas et studiorum rationem plene religioseque ab omnibus servari curent; et quoniam Sacerdotes debent omnia omnibus fieri, ut omnes Christo lucrifaciant, moderatores tradant saepius alumnis verae et christianae urbanitatis leges, eosque exemplo

[1] Conc. Trid. sess. 22. cap. 1 de ref.

suo ad illas servandas incitent; quidquid agrestis et inculti viderint, corrigant, et magnopere commendent vestium et corporis munditiam et quamdam in conversando comitatem cum modestia et gravitate coniunctam.

CAPUT IV.

De examine iuniorum Sacerdotum.

630. Semel absoluto in Seminariis consueto ecclesiasticorum studiorum curriculo, ipsa studia sacra clericorum seu iuniorum sacerdotum absoluta minime habeantur; immo, ne unquam a sacris scientiis magis magisque addiscendis isti cessent, omnem operam ac vigilantiam afferre debent Episcopi. Hortamur autem, ut per quinquennium a suscepto sacri presbyteratus ordine, iuniores sacerdotes quotannis a doctis gravibusque viris examinentur, saltem in theologia morali et dogmatica.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TITULUS VIII.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM

CAPUT I.

De Clero dioecesano.

631. « Iure optimo, ait Conc. Tridentinum (sess. 14. cap. 9. de reform.), distinctae fuerunt dioeceses et parochiae; et unicuique gregi proprii attributi pastores et inferiorum ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant », caeterisque omnibus ad sacros ordines evectis assignata sua loca et officia, ita ut ex innumerabilibus Ecclesiae sacris ministris ne unus extra ordinatum cleri coetum « incertis sedibus vagetur » (ibid. sess. 23. cap. 16). Hoc fine statutum est, ut quicumque ad sacra ministeria in dioecesi obeunda ab Episcopo proprio, vel de eius licentia ab alieno, quocumque titulo ordinantur, eo ipso huic dioecesi adscripti sint. Proinde et hoc plenarium Concilium totius Americae Latinae statuit, quod iam docuit Benedictus XIV[1], quemlibet Sacerdotem, qui pro quacumque harum provinciarum dioecesi ordinatus fuerit, teneri, etiam vi promissionis in ordinatione factae, ad permanendum in eadem dioecesi et ad se subiiciendum Praesuli suo, usque dum canonice dimissus fuerit.

[1] Epist. *Ex quo dilectus*, 14 Ian. 1747.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT II.

De Clericis seu Sacerdotibus alienae dioecesis.

632. Varias ob causas, quandoque fieri solet, ut sacerdos uni dioecesi vi ordinationis adscriptus, ad aliam transire cupiat, vel sacerdos regularis, ab Ordinis sui vinculo solutus, Clero saeculari adscribi petat. Ad omnes abusus in re tanti momenti devitandos, prae oculis habeantur et diligentissime serventur praescriptiones decreti S. Congregationis Concilii: *A primis Ecclesiae saeculis*, editi die 20 Iul. 1898 [1]. Quoad clericos seu sacerdotes italos, ea praeterea serventur, quae ad abusus vitandos a S. Congregatione Concilii, die 21 Iulii anni 1890, circa eorum emigrationem in Americam decreta sunt [2].

633. Quod pertinet ad sacerdotes religiosos, qui vota solemnia nuncuparunt atque ex apostolica indulgentia in saeculo vivere permittuntur, vel qui ediderunt vota simplicia et a suis Congregationibus seu Institutis egressi sunt (nisi qui a votis rite soluti iam in presbyterorum saecularium conditione versantur), si ad Episcopum accedant, petantque in eius dioecesim adscribi, Episcopus servet adamussim conditiones quae praescribuntur in rescripto saecularizationis concessae; et prae oculis habeat normas traditas in decreto *Auctis admodum* S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 4 Novembris anni 1892 [3], nec non declarationes eiusdem S. Congregationis, 20 Nov. 1895, ad dubia Episcopi Abulensis [4].

[1] V. Appen. n. CVIII.
[2] V. Appen. n. LXVII.
[3] V. Appen. n. LXXV.
[4] V. Appen. n. LXXXVI. Cfr. etiam n. CXI.

634. Commendamus, ut omnes harum provinciarum Episcopi iisdem formulis litterarum excardinationis et incardinationis [1], immo et sacrae ordinationis, typis impressis, utantur, quo maior in hac summi momenti disciplina conformitas habeatur.

635. Quae de Sacerdotum excardinatione et in aliam dioecesim adscriptione praescripta sunt, nullatenus obstant consuetudini, iuxta quam Episcopi, Sacerdotes, si qui in sua dioecesi satis abundent, egentioribus dioecesibus, ad auxilium in cura animarum ferendum, ad tempus concedunt. Hunc enim morem, uti zeli apostolici indicium, Sancta Sedes commendavit [2].

CAPUT III.

De Sacerdotibus infirmis.

636. « Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina » (1. Tim. v. 17). Apostolica verba de iis quam maxime intelligenda sunt presbyteris, qui diuturno in vinea Domini ministerio vel operoso vocationis sacrae labori incumbunt. Quod multo magis de illis dici potest, qui gravi inter labores morbo correpti, muneribus apostolicis inter populum fidelem obeundis impares reddiuntur. Singulari, quo infirmos istos confratres prosequimur, amore et veneratione commoti, summopere desideramus, ut, meliori qua fieri possit ratione, ita eorum commodis atque utilitati prospiciatur, ut nec inopiae afflictione urgeantur, neque alia quavis temporali sollicitu-

[1] Ad rem facit formularium in Appen. n. CXXXI positum, vel aliud simile.
[2] Epist. S. C. C. ad conv. Ep. Prov. Mediol. an. 1849 (Coll. Lac. VI, pag. 724).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dine premantur, sed ea cuncta habeant, quibus illorum senectuti solamen afferatur vel morbo citius releventur.

637. Peroptamus igitur, ut, in singulis Nostris dioecesibus, Episcopi, inito prius cum capitulo vel consultoribus consilio, quamprimum constituant modos et media opportuna, quibus subsidia ad decentem illorum Sacerdotum sustentationem elargienda praesto habeantur. Quem in finem Episcopus, sive ex liberalibus fidelium oblationibus, sive ex eleemosynis aliunde collectis et eius arbitrio erogandis, aerarium sive gazam institui curet.

638. Optamus, ut, ubicumque fieri possit, instituatur pia Sodalitas clericalis mutuorum Suffragiorum pro Sacerdotibus defunctis, cui etiam competat de temporalibus indigentiis sociorum providere, iuxta normas a singulis Episcopis statuendas seu approbandas.

CAPUT IV.

De delatione habitus et tonsurae.

639. Ea semper fuit mens Ecclesiae et disciplinae ratio, prout ex Pontificali Romano apparet, ut ii, quibus habitus sacrae religionis imponitur, quae saeculi sunt se deposuisse palam profiteantur. Habitus quidem non facit monachum, decentia tamen habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendit [1]. Unde Tridentina Synodus puniendos per Episcopum, et quidem gravissimis poenis, decernit illos qui « honestum habitum clericalem, illorum ordini et dignitati congruentem, et iuxta ipsius Episcopi ordinationes et mandatum non detulerint » [2]. Iam vero fere omnia, quae post Tridentinum celebrata sunt Concilia, Clericos adegerunt ad gerendam vestem

[1] Conc. Trid. sess. 14. cap. 6. de ref.
[2] Ibid.

talarem nigri coloris, quae quidem unice clericorum propria, eorumque ordini maxime conveniens est.

640. Mandamus igitur, ut omnes Sacerdotes aliique clerici, etiam simpliciter tonsurati, vestem talarem deferant; ideoque prohibemus ne, sive itinerantes, sive domi degentes, habitu laicali induti appareant coram populo vel coram accedentibus ad eorum domos. Et nullus Sacerdos vel clericus audeat, ne quidem sub praetextu itineris, more saecularium indutus incedere; tolerari tamen potest ut in itineribus, quae equitando fieri debent, brevior vestis adhibeatur, quae tamen, quoad formam et quoad colorem, clericali statui conveniat et clericum evidenter designet. Optandum tamen ut etiam equitando deferatur vestis talaris. Denique, in unaquaque provincia ecclesiastica vel dioecesi, uniformis sit vestium clericalium forma, exclusis omnibus quae vanitatem, spiritum mundanum et animi levitatem sapiant, necnon annulis, mantelletis et similibus, quae praelatorum propria sunt. Ad quod efficaciter obtinendum, Episcopi eas normas praescribant, quas in Domino praescribendas iudicaverint, habita ratione locorum, abusuum etc. Attentis specialibus circumstantiis regionum nostrarum, de speciali venia S. Sedis decernimus clericum etiam simpliciter tonsuratum, ultra triennium ab omni officio et beneficio suspensum, elapso suspensionis triennio, privatum ipso facto habendum esse iure deferendi habitum talarem et tonsuram, nisi obtineat specialem licentiam in scriptis a proprio Ordinario. Haec omnia publici iuris fiant, iuxta modum singulis Episcopis benevisum.

641. Clerici omnes tonsuram, quae corona vocatur, gerere debent, eamque conspicuam et ad formam unicuique ordini congruam. Profecto enim indigni essent

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

regali sacerdotio, qui venerandum hoc illius signum erubescerent. Capillis simplicem prorsus atque modestum cultum adhibeant, atque comam minime nutriant. Coma autem fictitia non utantur absque licentia Episcopi, et infra Missam, absque venia apostolica; nunquam vero quidquam leve aut inane illa prae se ferat. Haec autem lex de clericorum habitu et tonsura omnes clericos, etiam simpliciter tonsuratos, aut in minoribus ordinibus constitutos urget, qui secus utroque privilegio canonis et fori privantur.

CAPUT V.

De rebus Clericis prohibitis.

642. Non ea tantum quae mala sunt, sed et omnem speciem mali, cunctaque malo ansam praebentia, vel quae fidelibus offensioni esse possunt, vel sacrum ministrum a suis ministeriis rite sancteque fungendis avertunt, quaeque virum gravem ac sacerdotii dignitatem non decent, fugienda sunt ab iis, qui in sortem Domini vocati sunt. Unde Tridentina Synodus gravissimis verbis praecipit, ut quae alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de Clericorum vita et honestate, cultu, doctrinaque, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non saecularibus negotiis fugiendis, copiose et salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum, iisdemque poenis, et maioribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur, et si quae forte remissa fuisse contigerit, ea per ipsos Ordinarios quamprimum in usum revocentur, ne subditorum neglectae emendationis ipsi condignas, Deo vindice, poenas persolvant [1].

[1] Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. de ref.

643. Duplici quidem ratione haec vult et praecipit piissima Mater Ecclesia; tum scilicet ut sanctitati consulat eorum, qui ipsius sunt nobiliores filii, nolens illos reprobos fieri dum aliis praedicant, tum ut populi saluti prospiciat, cum Clericorum vita liber sit laicorum, qui in illos oculos coniiciunt; unde, inquit S. Gregorius: «Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc arguere nullus praesumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur» (Pastor. p. 1. c. 2).

644. Memores itaque gravissimae obligationis de vita coelibi et virginali castimonia, quae proprium et angelicum est ordinis sacerdotalis ornamentum, quidquid coelesti huic virtuti nocere potest cautissime fugiant. A frequentiori consortio mulierum, etiam earum quae pietatis et modestiae laude cohonestantur, abstineant. Quamvis enim castitas servari queat in mulierum consortio, raro tamen, bonum nomen retineri potest. Ne idcirco vel levem scandali aut sinistrae suspicionis occasionem praebeant, illam S. Bonaventurae regulam sequentur: cum feminis, non exceptis eis ingenuis et verecundis, sermonem brevem et rigidum esse habendum, neque sub proprio tecto eas recipiant sine testibus, ne specie quidem salutaria monita tradendi. Cum non possint sibi famulos adsciscere, quod maxime optandum foret, pro re domestica procuranda, ancillas quadraginta annis minores nullatenus habeant, easque bene probatas, fama integras, et pietate commendatas; et quas domi habent, etsi propinquas et consanguineas, si mala fama laborare coeperint, eas nequaquam retineant. Nullus Clericus docere audeat puellas aut mulieres, etiam illustres, legere, scribere,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

canere, aliaque id generis, sine Episcopi licentia, sub poenis eiusdem Episcopi arbitrio statuendis.

645. Mensae cum inservientibus non assideant; in earum cubiculo, vel ubi rebus domesticis vacant, absque necessitate non morentur; cum illis publice non ambulent, nisi nimia aetate et maxima propinquitate tales sint et tales ab omnibus habeantur, quae, attentis omnibus, nullum vel remotum dent male suspicandi locum; nec illas denique, etsi consanguineas, sinant quidquam agere, quod domum sacerdotalem non plenissime deceat, aut negotiorum ecclesiasticorum ordinem perturbet.

646. Caveant, ii praesertim qui curam animarum habent, ne mulieres, etsi propinquae, ingrediantur absque vera necessitate cubiculum, ubi de rebus ac negotiis ad ministerium pertinentibus agitur, sive ubi de iis scripta, adnotationes vel libri asservantur, nec eas coram laicis de istiusmodi rebus colloquium habere patiantur. Actum est de auctoritate parochi, quem fideles a mulieris imperiosa voluntate pendere autumant.

647. Continentiae ac pudicitiae socia est temperantia; illius vero et omnis sanctitatis inimici crapula et ebrietas. Frugali itaque mensa utantur Clerici, et in frequentandis laicorum conviviis cauti et parci sint. Vehementer omnes hortamur, ut ab adeundis conviviis, nuptialibus vel baptismalibus et coena apud laicos, praesertim vero cum in multam noctem protrahitur, pro posse abstineant. Facile contemnitur Clericus, qui saepe vocatus ad prandium, ire numquam recusat; et si sobrietas desit, sacerdotis spiritus sanctitatis extinguitur.

648. Cauponas, praeterquam ex necessitate aut in itinere, non ingrediantur. Si necessitate compulsi introierint, brevissime commorentur, et tantummodo dum necessitati subveniunt, ac maxima gravitate et

modestia se gerant. Prohibemus, ne eas ingrediantur, quae in propria vel in vicinis paroeciis sint, nisi ministerii causa eas adire necesse fuerit.

649. Publicis in locis, nulli, ne honesto quidem, ludo dent operam: iis ludis vero aleatoriis, qui et laicos dedecent, ne uti spectatores quidem assistant. Quod si aliquando, animi remittendi et amicitiae fovendae gratia, domi inter se, vel aliquo in socium adscito laico bonae famae, ludis vacent, quibus magis industriae et ingenio, quam fortunae sit locus (caeteri enim etiam privatim interdicuntur), caveant ne longius in illis tempus insumant, quod multo nobilioribus deberetur officiis. Notabilem pecuniae summam in ludo licito et honesto apponere nefas est Clericis, qui, sive in alendis pauperibus, sive in aliis caritatis et pietatis operibus, si quid ex reditibus beneficialibus ipsis superest, impendere debent; et, uti docet Angelicus, « ludus congruat personae, tempori et loco, et secundum alias circumstantias debite ordinetur, ut scilicet sit et tempore et homine dignus » (2. 2., quaest. 168. art. 2).

650. Clericos, qui propter Christum spectaculum facti sunt mundo et Angelis et hominibus, omnino dedecet illuc adire, quo optandum esset maxime ne ipsi adirent laici. Prohibemus itaque, ne publicis spectaculis, pompis et choreis intersint; ne se coetibus illis commisceant, ubi amatoria et lubrica agantur vel canantur; ne in publicis theatris, actionibus scenicis cuiuscumque generis assistant. Hoc etiam expresse statuimus de taurorum agitationibus.

651. A venatione, quae magno fit apparatu et clamore, quamque sacri Canones vetant, Clericus abstineat. Licitam vero, quae ad relaxandum animum fieri solet, non reprobamus, dummodo clericalia insignia non de-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ponantur, aut diebus festis, ac ieiunio et poenitentiae sacris, non fiat. Qua in re, Episcoporum erit ea statuere quae ipsis necessaria vel opportuna videantur ad abusus eliminandos, prae oculis habita doctrina Benedicti XIV, *de Syn. Dioeces., lib. II. 10. 9.*

652. Officium curatoris vel tutoris Clerici suscipere nequeunt absque licentia, neque medicam artem exercere sine indulto apostolico, neque procuratoris, advocati, tabellionis, notarii munus apud saeculare tribunal exercere, neque munus aliquod publicum, licet gratuitum et honorificum, sine venia Episcopi; et ne privatum quidem, quod ut expleatur et multo egeat tempore et magna corporis et animi defatigatione. Artes autem serviles aut mechanicas causa lucri exercere a sacris Canonibus Clerici omnino prohibentur. Abstineant se quoque Clerici a mercatibus et nundinis frequentandis; id enim qui faciunt, si non negotiandi, certe otiandi causa faciunt, atque utrumque improbandum, quia gravem praebent populo occasionem scandali, sive habitum deponant, sive cum illo accedant.

653. Avaro nihil est scelestius: nihil iniquius quam amare pecuniam; hic enim et animam suam venalem habet (Eccl. x. 9. 10). Nec quidquam est quod fidelium fiduciam in Clericum tantopere minuat, quam inordinata ipsius pecuniae cupido. Ideo vel speciem quidem avaritiae Clerici omnes summo studio declinent. Vana est illorum excusatio, qui sollicitudinem in posterum allegant, cum ignorent quid erit in crastinum, et memorari debent quid dictum fuerit diviti congerenti: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te; quae autem parasti, cuius erunt?* (Luc. XII. 20). Sciant enim non immunes esse immisericordiae labe, qui futuras, ac proinde imaginarias suas necessitates, praesentibus membrorum Christi indigentiis anteponunt.

654. Cum autem Apostolus dicat: « *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* » (2. Tim. II. 4), prohibemus, ne quis Clericus emptione, et venditione quaestum cuiusvis generis exercere praesumat. Graviter peccant enim qui negotiationem cuiuslibet nominis ac generis, vel per se vel per alios, exercent, aut qui in ea exercenda laicis se socios adiungunt, vel qui opera publica, sive suo, sive alieno nomine, conducunt; et in reluctantes Episcopi poenas constituere debent. Quod si qua oriatur dubitatio de liceitate alicuius contractus, Sacrae Congregationis Concilii sententia erit expetenda atque accurate servanda [1].

655. Apud se non habeant aut legant libros, neve pagellas atque ephemerides, quorum lectione bene agendi studium, morum disciplina et timor caritasque Dei languescere possint: minus autem illos, quorum auctores regno Dei et Christi bellum indixerunt; nam inde venenum paulatim haurire et ipsos bonos, licet non indoctos, quotidiana experientia compertum est. Quod si necessitatis vel caritatis causa, aliquando ad adversariorum libros, servatis de iure servandis, lectionem convertere debent, ita se gerant, ne sibi parent periculum, neve fidelibus scandali occasionem praebeant. Qui illiusmodi ephemeridibus nomen dat, aut eas publice emit vel legit, etiamsi nullum periculum in legendo subiturus foret (quod non ita facile putamus), duplici se culpa obstringit, inobedientiae scilicet erga Ecclesiam et scandali; atque sua pecunia ad mali diffusionem concursum praestat.

656. A quaestionibus, quae ad res mere politicas aut saeculare quibus pertinent, des. iuxta fines doctrinae et

[1] Bened. XIV. De Syn. l. 10. c. 6. n. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

legis christianae, varia iudicia esse possunt, abstineat prudenter Clericus, et civilibus factionibus se non immisceat, ne Religio sancta, quae cunctis rebus humanis supereminere debet et omnium civium animos mutuae caritatis et benevolentiae vinculo coniungere, officio suo deesse videatur, eiusque salutare ministerium suspectum habeatur. Itaque ab horum tractatione vel disceptatione publica, tum extra Ecclesiam, tum multo magis in ipsa, caveant sedulo Sacerdotes. Quod tamen ita intelligendum non est, quasi omnino silendum sit de gravissima obligatione qua cives tenentur, etiam in rebus publicis, semper et ubique, iuxta conscientiae dictamen, coram Deo, pro maiori bono cum religionis tum reipublicae patriaeque suae adlaborare, sed ita ut Sacerdos, generali obligatione declarata, non alii prae alia parti faveat, nisi una ex iis aperte sit Religioni adversa.

657. Potissimum enixe commendamus Sacerdotibus nostris summam inter se animorum concordiam et consensum, ut unus sit omnium spiritus, sicut una fides et una spes vocationis nostrae (Ephes. IV. 4. 5). Ad animorum autem consensionem efficacius obtinendam, singuli Sacerdotes servent instructiones Ordinariorum: Ordinarii vero, collatis inter se consiliis, eam viam eligant, quam magis in Domino expedire iudicaverint.

CAPUT VI.

De pietate Clericorum.

658. Compertum habentes, quod qui clericali militiae nomen dederunt, non solum vestium modestia, verum etiam virtutum omnium ornatu ac summa praesertim pietate effulgere debent, eos vehementer hor-

tamur, ut vocationis suae memores, orationi mentali quotidie, per dimidiam saltem horam, operam dent; Poenitentiae sacramento animum crebro expient; singulis diebus, non stipendii lucro ducti, sed cibi eucharistici desiderio incensi, divinum celebrent Sacrificium, singulari in Sanctissimum Sacramentum pietatis affectu ferveant, nec illud desinant frequenter visitare et adorare. Nimiae caritatis, qua dilexit nos Christus Iesus Dominus Noster, semper memores, Cordis eius dulcedine pasci eiusque amore ita ardere studeant, ut ipsius imaginem et similitudinem in se exprimant; in Deiparae Virginis, quae Mater est pulchrae dilectionis et Clericorum praesertim, tutelam confugiant, eius opem implorare numquam cessent, dulcissimum potentissimumque nomen in corde atque in ore semper habeant, et verbo atque exemplo in omnium animos pietatem erga Beatissimam Dei Matrem assidue insinuare contendant.

659. Domi, uti boni milites Christi, studio et orationi incumbant et, ad Christi imitationem, ubique studeant esse humiles in incessu, graves et recti in conversatione, affabiles cum populo, non vanae gloriae cupidi, non superbiae stimulis exagitati, quia non ad dominationem sunt vocati, sed ad opus, iuxta illud Christi: « *Qui maior est in vobis, fiat sicuti minor* » (Luc. XXII. 26).

660. Ex lugenda nimis humanae naturae fragilitate, nec non Satanae tentatione, qui maxime Salvatoris ministros semper expetivit, ut eos quasi triticum cribraret, quandoque fit, proh dolor! ut qui ad sacerdotalem dignitatem evectus fuit, eam vitae rationem teneat, quae status sanctitati ac muneris fructuoso exercitio, obedientiae debitae et recto ordini, plane contraria sit. Unde ne qui fideles in Christi Ecclesia aedificare deberet, eis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lapis scandali sit in destructionem, Episcopo, si iam alia media ut aberrantem ad meliorem frugem revocet frustra tentaverit, ea sane durissima necessitas occurrit, ut talem ministrum, ab officiis sacris exercendis, suspensionis, vel aliae spiritualis poenae gladio arceat. Tristissima profecto ac periculi plenissima huiusmodi Sacerdotis conditio est, praesertim ex peculiaribus nostrarum regionum circumstantiis, ita ut spirituali ac temporali egestate, filio prodigo, cuius Evangelium meminit, vere comparari possit. At non minus verum est, eodem Nos ac patrem, de quo sacra parabola, paterni amoris ac piae commiserationis affectu filios nostros aberrantes prosequi. Semper enim parati sumus eosdem, dummodo de insipientia sua dolentes cordique patris confidentes in domum paternam redeant, brachiis apertis recipere, eisque iura fratris minoris restituere, gaudentes quod filius, qui mortuus erat, revixerit, et qui perierat, inventus sit.

661. Quamvis itaque Sacerdotes, qui ob suam culpam a sacris functionibus arcentur, non possint ab Episcopo exigere, ut eorum congruae sustentationi provideat, ipsis tamen, si alia media eis desint, paterno caritatis affectu, aliquo modo subveniendum erit, ut facilius ad rectam frugem reducantur. Quod ut efficacius obtineatur, commendamus, ut qui spem fundatam conversionis exhibent, pro tempore ab Episcopo statuendo, vitam degant in aliqua domo religiosa vel monasterio vel in aliqua domo spiritualibus exercitiis adsignata. Quo vero modo pecunia pro Sacerdotis sustentatione, sive in priori sive in altero casu requisita, colligenda sit, id Episcoporum, in synodo, sive provinciali sive dioecesana, congregatorum, sententiae relinquendum esse censemus.

662. Maximum hoc nostrae sollicitudinis negotium absolvere non possumus, quin omnes nostrarum dioecesium religiosos virorum Ordines, toto cordis affectu, obsecremus, ut omne quod valent auxilium, in hoc caritatis sacerdotalis opere, Nobis praestent, pro maiori Dei gloria et Ecclesiae Matris honore.

CAPUT VII.

De exercitiis spiritualibus.

663. Neminem latet virtutes ad perfectionem sacerdotalem requisitas periculis obnoxias esse, summoque labore defendi et conservari. Huic labori ferendo, viribusque animi sustentandis non semper exercitia pietatis ordinaria sufficiunt, aliquando etiam extraordinaria requiruntur. Inter haec principem locum tenent exercitia spiritualia, « quae quidem, ut monuit SS. D. N. Leo XIII, in Litteris ad Cardinalem Urbis Vicarium 18 Dec. 1889, vitae emendationi, perseverantiae in bono obtinendae, novoque robore spiritui in mediis periculis, ac tot animorum evagationis causis, quas mundus exhibet, impertiendo, mirabili pollent efficacia ». His igitur paternis admonitionibus obsequentes, decernimus, perpetuo retinendam, quae iam in pluribus dioecesibus viget, praxim exercitiorum spiritualium, eamque promovendam et ab unoquoque Antistite moderandam pro locorum adiunctis, ita tamen, ut, saltem tertio quoque anno, si frequentius fieri nequeat, ab omnibus de clero habeantur in aliqua pia domo ad hoc destinata, ut inter orationis, frugalitatis, silentii, et humilitatis opera, omnes mente cordeque renovati, sacras exhortationes recipiant, confessione sacramentali conscientias vere et sincere

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

emundent, sese mutuo aedificent et Spiritus Sancti donis amplioribus recreati, ad sua revertantur, sacri ministerii munera fructuosius peracturi.

664. Nemo, nisi legitima praepediatur causa ab Episcopo probata, excusatum se dicat; utque facilius omnes accedere possint, in vices conveniant, diebus ab Episcopo definitis. Si vero, vel infirma impediti valetudine vel ob nimium sacerdotum fidelibus inservientium defectum, nullo modo aliquis Ecclesiam suam relinquere possit, de re certiorem faciat Episcopum et, privatim saltem, nisi ille aliter disponat, spirituálem per aliquot dies instituat recessum ad propriae sanctificationi consulendum. Hoc idem commendamus, ut faciant omnes eo anno intermedio, quo fortasse ad communia cleri exercitia non convenerunt. Nec minus commendamus, ut, post exercitia peracta, singulis mensibus, unum diem spiritualis recollectionis habeant, ad proposita renovanda, defectus corrigendos, fervorem excitandum, et ut ad mortem se praeparent.

665. Cum a Summis Pontificibus pro pluribus regionibus praeceptum sit, ut, qui sacris ordinibus initiandi sunt, spirituali secessu ad eos apte disponantur, volumus, ut, non littera tantum, sed spiritu reapse ecclesiastico, haec lex adimpleatur, ita ut methodo ab Episcopo ordinata, et sub alicuius pii et sapientis directoris regimine peragantur exercitia.

666. Qui parochi constituuntur, antequam animarum curam suscipiant, spiritualibus vacent exercitiis, quoties id Episcopo expedire videbitur, ut zelo ac fervore accensi, et Spiritus Sancti donis aucti, in vinea Domini excolenda strenue adlaborent.

CAPUT VIII.

De collationibus seu conferentiis theologico-liturgicis.

667. Ut sacrarum disciplinarum notitia in Seminariis accepta conservetur et frequenti exercitatione foveatur et crescat, validissimi adiutorii sunt Collationes, tam de re theologica quam de liturgica, quae olim iam in Ecclesia introductae fuere, quas S. Carolus nominat scholas atque exercitationes non solum studiorum sed etiam officiorum ecclesiasticorum, quas Benedictus XIII in Romano Concilio magnopere commendavit, ea scilicet mente, ut non Romae tantum, ubi eas institui praecepit, sed in universo orbe haberentur, uti diserte scripsit Benedictus XIV [1].

668. Hoc etiam Pius IX commendatum voluit, ne in Sacerdotibus qui doctrinae et lectioni attendere debent, quique obstricti sunt officio docendi populum, sacrarum disciplinarum studium unquam extinguatur, aut languescat industria, instituantur opportunis regulis de morali praesertim Theologia ac de sacris Ritibus congressus, ad quos singuli, potissimum presbyteri, teneantur accedere, ut aliquo temporis spatio inter se disserant de morali Theologia deque sacrorum Rituum disciplina [2].

669. Itaque, Apostolicae Sedis monitis obtemperantes eaque debita obedientia prosequentes, volumus, ut collationes praedictae non modo conserventur et perficiantur, ubi vigent, sed restituantur, ubi pro temporum angustiis et difficultatibus in desuetudinem abierunt, aut recte instituantur, ubi non sunt.

[1] Bened. XIV. Instit. 32. n. 7.
[2] Pius IX. Encycl. *Singulari quidem*, 17 Martii 1856.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

670. Singulorum Episcoporum erit hac de re statuta conficere, iuxta locorum et cleri circumstantias, illamque methodum proponere, quae ad studia excolenda sacerdotes magis impellat, et ipsorum studiorum fructus in commune bonum diffundat.

671. Sacerdotes omnes conveniant, atque ita se gerant, ut et ipsi, in Christo concordes, mutuo consilio adiuventur, et populus, sacerdotum caritate perspecta, illorum ordinem pluris aestimet, atque ad exhortationes et monitiones suscipiendas docilior evadat. In rerum pertractatione, absit omnino vana ingenii ostentatio et partium studium; omnia, ut monet Apostolus, in caritate fiant, et veritas ab omnibus tantummodo ametur et quaeratur, tamquam certissimum totius congressus bonum. Quod in Sacra Scriptura legitur ob oculos habeant: *In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiae illorum ex corde coniungere, ut omnem narrationem Dei possis audire* (Eccl. VI. 35).

672. Quoniam vero in aliquibus nostrarum dioecesium locis fieri potest, ut ob aëris intemperiem, viarum longitudinem et asperitatem, parvum sacerdotum numerum, aliasve difficultates, nonnulli impediantur quominus ad collationes accedant; iuxta quod frequenter a Sacra Congregatione Concilii inculcatur, suppleri curetur ab Episcopo, illis proponendo quaestiones tum Theologiae moralis tum rei liturgicae, quibus, statuto tempore, in scriptis teneantur respondere et responsa Curiae Episcopali fideliter mittere.

TITULUS IX.

DE CATHOLICA INSTITUTIONE IUVENTUTIS

CAPUT I.

De Scholis primariis.

673. Christus Dominus, legislator ac redemptor noster [1], qui Apostolis suis dixit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi* [2]; Ecclesiam suam usque ad finem mundi constituit infallibilem religionis christianae magistram. Memor huius divinae missionis, Ecclesia nunquam cessavit Evangelium praedicare omni creaturae, divina praecepta et morum disciplinam hominibus tradere, omnesque dirigere in viam salutis. Exemplum secuta sui divini Magistri, qui parvulos ad se venire iussit, specialissimam curam Ecclesia semper adhibuit pro christiana tenerae iuventutis institutione; atque ad hunc finem, sollicitudine vere materna, scholas ubique erexit fidei et pietatis spiritu florentes. Cum enim christiana iuventutis institutio, nec intra domesti-

[1] Conc. Trid. sess. 6. can. 21.
[2] Matth. XXVIII. 18-20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

670. Singulorum Episcoporum erit hac de re statuta conficere, iuxta locorum et cleri circumstantias, illamque methodum proponere, quae ad studia excolenda sacerdotes magis impellat, et ipsorum studiorum fructus in commune bonum diffundat.

671. Sacerdotes omnes conveniant, atque ita se gerant, ut et ipsi, in Christo concordes, mutuo consilio adiuventur, et populus, sacerdotum caritate perspecta, illorum ordinem pluris aestimet, atque ad exhortationes et monitiones suscipiendas docilior evadat. In rerum pertractatione, absit omnino vana ingenii ostentatio et partium studium; omnia, ut monet Apostolus, in caritate fiant, et veritas ab omnibus tantummodo ametur et quaeratur, tamquam certissimum totius congressus bonum. Quod in Sacra Scriptura legitur ob oculos habeant: *In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiae illorum ex corde coniungere, ut omnem narrationem Dei possis audire* (Eccl. VI. 35).

672. Quoniam vero in aliquibus nostrarum dioecesium locis fieri potest, ut ob aëris intemperiem, viarum longitudinem et asperitatem, parvum sacerdotum numerum, aliasve difficultates, nonnulli impediantur quominus ad collationes accedant; iuxta quod frequenter a Sacra Congregatione Concilii inculcatur, suppleri curetur ab Episcopo, illis proponendo quaestiones tum Theologiae moralis tum rei liturgicae, quibus, statuto tempore, in scriptis teneantur respondere et responsa Curiae Episcopali fideliter mittere.

TITULUS IX.

DE CATHOLICA INSTITUTIONE IUVENTUTIS

CAPUT I.

De Scholis primariis.

673. Christus Dominus, legislator ac redemptor noster [1], qui Apostolis suis dixit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi* [2]; Ecclesiam suam usque ad finem mundi constituit infallibilem religionis christianae magistram. Memor huius divinae missionis, Ecclesia nunquam cessavit Evangelium praedicare omni creaturae, divina praecepta et morum disciplinam hominibus tradere, omnesque dirigere in viam salutis. Exemplum secuta sui divini Magistri, qui parvulos ad se venire iussit, specialissimam curam Ecclesia semper adhibuit pro christiana tenerae iuventutis institutione; atque ad hunc finem, sollicitudine vere materna, scholas ubique erexit fidei et pietatis spiritu florentes. Cum enim christiana iuventutis institutio, nec intra domesti-

[1] Conc. Trid. sess. 6. can. 21.
[2] Matth. XXVIII. 18-20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cos parietes, nec in loco sancto absolvi possit, necessarium omnino est, ut ad ipsas quoque scholas sese extendat.

674. Ex quibus sponte consequitur, Ecclesiam non solum habere ius nativum, et ab omni potestate humana plane independens, erigendi et ordinandi scholas ad christianam institutionem et educationem catholicae iuventutis, sed ipsam quoque pro suo iure postulare, ut, in omnibus scholis, sive publicis sive privatis, religiosa iuventutis catholicae institutio et educatio suae iurisdictioni sit subiecta, atque ut in quavis disciplina nihil tradatur, quod catholicae religioni morumque honestati adversetur. Idcirco Episcopi et locorum Ordinarii, in scholis quibuscumque, liberi omnino sint oportet in dirigenda doctrina catholica de fide et moribus atque universa iuvenum catholicorum educatione religiosa; praeterea nulla ratione impediendi sunt, quominus ex proprii sui ministerii officio invigilare possint, et exquirere, num doctrina in quavis disciplina tradita religioni catholicae sit conformis [1].

675. Merito igitur a Pio IX damnatae fuerunt sequentes propositiones: « Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christiana alicuius reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat Seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum ». - « Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta,

[1] Cfr. Conventiones initas cum civitatibus Americae Latinae.

quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim ». - « Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet » [1]. - « Societatem domesticam, seu familiam, totam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere iura omnia parentum in filios, cum primis vero ius institutionis educationisque ». - « Clerum, utpote vero utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum, ab omni iuventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum » [2].

676. Cum iuvenes spiritu saeculari a pueritia imbuti, non tantum evadant obcaecati mundi amatores, sed etiam contemptores Christi in Ecclesia, omni ope curandum est, ut scholae catholicae primariae constituantur, in quibus religiosa doctrina primarium in institutione et educatione locum habeat [3]. Optimum igitur medium ad efficacius occurrendum gravissimis malis, scilicet exitiali indifferentismi labi et morum corruptelae, ex prava educatione ortis, in eo situm esse putamus, ut, in singulis dioecesibus, prope unamquamque Ecclesiam parochialem, quantum fieri potest, scholae pri-

[1] Pius IX. Syllab. prop. 45, 47, 48.
[2] Pius IX. Encycl. *Quanta cura*, 8 Dec. 1864.
[3] Pius IX. Litt. *Quum non sine*, 14 Iul 1864, ad Archiep. Friburg. V. Appen. n. XXIV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mariae habeantur, in quibus iuventus catholica tam litteris ingenuisque artibus quam religione ac probis moribus imbuatur.

677. Itaque parentes catholicos atque tutores pupillorum, omni qua valemus auctoritate, non solum hortamur, sed iubemus, prolem sibi commissam a scholis arcere, in quibus Ecclesiae auctoritas et salutaris sanctae nostrae religionis influxus excluditur; nisi forte eae sint circumstantiae, ut, ob causam sufficientem ab Episcopo approbatam, et cum opportunis cautelis ac remediis, frequentatio huiusmodi scholarum, in casibus particularibus et ad tempus tolerari possit. Qua in re ob oculos habendae sunt instructiones S. Officii, quibus iterum iterumque dubia de frequentandis scholis mixtis vel neutris resoluta fuerunt [1]. Praeterea eosdem parentes atque tutores gravissime monemus, ut prolem suae curae creditam mittant ad scholas parochiales, nisi vel domi vel in aliis scholis catholicis christianae filiorum suorum institutioni atque educationi sufficienter consulant. Quaenam autem dici possit schola vere catholica, iudicio Ordinariorum relinquitur definiendum.

678. Ut autem parentes catholici hoc maximum christianae institutionis officium erga filios suos rite valeant adimplere, omnibus parochis iniungimus, ut, in suis parochiis, quae idoneis scholis catholicis forte careant, sive per se sive per alios, scholas primarias vereque catholicas constituant, in quantum id ex iudicio Episcopi fieri potest, intra tempus et iuxta modum ab eodem Ordinario definiendum.

679. Omnes quoque fideles de gravissimo monemus officio suos iuvandi Ordinarios et parochos in

[1] V. Appen. n. XXVIII, XXXVII.

erigendis et conservandis scholis primariis sive parochialibus. Quare severa reprehensione digni sunt, si, ipsorum negligentia, scholae catholicae existere non possint, aut, si quae sint, ob subsidiorum defectum existere desinant, aut, quod peius est, socordia fidelium in legitimo exercitio iurium civilium atque incredulorum hominum machinationibus per summam ignaviam non repressis, in scholas Ecclesiae sensui contrarias commutentur.

680. Cum summi momenti sit, ut scholae catholicae laudabiliter erectae etiam rite constituantur, apte administrentur atque educatione christiana et civili praestent, sedulo omnia media sunt applicanda, quibus ad exoptatam metam perveniatur. Quare, inprimis iam ipsi alumni in Seminariis edoceantur, unum ex praecipuis sacerdotum officiis, praesertim hisce temporibus, esse christianam iuventutis institutionem, eamque sine scholis sive parochialibus sive aliis vere catholicis non esse possibilem. Addiscant praeterea methodum, qua catechismum et historiam sacram pueris lucide et solide explicare valeant. Denique, quum iisdem alumnis, postea, in animarum cura, haud raro vel ipsum regimen scholarum concreditum sit, in ipsa Theologia pastorali et morali sana principia paedagogica saltem per summa capita explicentur, atque praeclariores auctores, qui ea de re scripserunt, indicentur.

681. Sacerdotes in cura animarum constituti atque inprimis parochi, etiam collatis consiliis, scholas primarias promoveant et tamquam pupillam suorum oculorum diligant, frequenterque, iuxta ordinationem Episcopi, visitent. Maxime vero curent, ut ipsi per se catechismum et historiam sacram doceant. Quod si ordinarie facere non possint, saltem invigilent, ut ludi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

magistri hac in re officio suo non desint. Nec parochi suo officio se satisfecisse credant, cum suam vigilantiam ad sola fidei rudimenta rite explicata restringunt. Dispiciant quoque, quos mores discipuli prae se ferant, qua ratione aliae disciplinae tradantur, ita ut nihil occurrat, quod fidei et moribus periculum afferre possit, dentque operam, ut libri nihil contineant quod quomodolibet ab Ecclesiae doctrina sit difforme. Summam vero curam habeant ipsius ludimagistri; illum excitent, doceant, adiuvent, omni qua possunt diligentia et caritate. Ubicumque id fieri potest, doceatur in huiusmodi scholis cantus, praesertim liturgicus.

682. Quoniam omne incrementum scholarum primariarum maxime pendet ab idoneis et dignis magistris, summa cura in eo ponenda est, ut scholis primariis nonnisi boni atque idonei praeficiantur. Pari studio, magistri, qui nobilissimum atque gravissimum munus docendi in scholis exercent, omnibus modis sunt animandi, atque ut in bene coeptis perseverent excitandi; ipsi enim Ecclesiae ac parentibus validissimi sunt auxiliatores in salute animarum procuranda, atque ab illorum industria et labore posterorum prosperitas atque animarum et reipublicae salus multum dependent. Summa autem est necessitas ea adhibendi media, quibus pro futuro tempore boni atque idonei magistri iugiter formentur ac praeparentur. Quemadmodum enim clerus bonus atque apostolico zelo plenus et multiplici eruditione praestans nunquam habebitur, nisi Seminaria existant rite constituta, ita etiam apti honestique magistri, neglecta praeparatione diligenti, frustra desiderantur.

683. Nemo igitur, in scholis primariis, in quas Ecclesia suam exercet iurisdictionem, ad magisterium

assumatur nisi dederit indubia argumenta fidei et honestatis, nec non aptitudinis specimen [1]. Quod examen, qua ratione sit faciendum, Episcopi ordinatione accuratius est definiendum. Expedit autem ut huiusmodi examina fiant in singulis dioecesibus coram viris de re scholastica peritis et ad huiusmodi officium ab Episcopo delegatis. Absoluto examine, unicuique, qui ab examinatoribus probatus est, suum tradatur diploma seu testimonium authenticum aptitudinis, sive ad longius sive ad brevius tempus limitatum.

684. Ut sufficiens numerus magistrorum et magistrarum praesto sit, quibus sine difficultate institutio in scholis catholicis committi possit, in dioecesibus vel provinciis ecclesiasticis, ubi fieri potest, scholae normales ad instar Seminariorum clericorum sunt constituendae. Quarum scholarum normalium cura atque directio, maxima cum utilitate, tradetur Fratribus Scholarum Christianarum vel sodalibus aliorum Institutorum ab Ecclesia probatorum, si de ludimagistris formandis agitur; magistrarum autem educatio Congregationibus piarum sororum, quae pro suo scopo huiusmodi negotium suscipere solent, optimo consilio poterit committi [2]. Quod si praeterea religiosi viri ex Instituto scholis christianis regendis dedicati, atque piae magistrae in diversis Congregationibus religiosis constitutae, a quibus, in tot regionibus orbis catholici, educationi iuventutis praeclare datur opera, etiam nostrarum scholarum primariarum curam suscipiant (ad quod illos vehementer hortamur), brevi tempore nostris quoque dioecesibus sufficiens numerus optimorum magistrorum praesto erit.

[1] Cfr. citat. Convent. cum civitatibus Americae Latinae.
[2] Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

685. Quum disciplina sancte instituta facile collabatur et sapientissima decreta suum non sortiantur effectum, nisi sit qui invigilet atque urgeat decretorum executionem, idcirco mandamus, ut scholae illae, quae efficaci ratione iurisdictioni Episcoporum manent subiectae [1], diligenter visitentur. Quare, praeter inspectionem quam exercet parochus vi officii, statuimus, ut, in singulis districtibus dioecesis, prudenti arbitrio Episcopi definiendis, sacerdoti perito munus inspectoris scholarum primariarum committatur. Is saltem semel vel bis in anno, singulas scholas sui districtus visitet atque ad Episcopum de facta visitatione referat. Quae visitatio quamvis principaliter ad institutionem religiosam sese extendat, tamen nequaquam ad illam solam est restringenda, sed universum statum scholae parochialis complectatur necesse est. Quodsi illae relationes transmittantur ad virum ecclesiasticum, qui in curia episcopali officio praesidis omnium illorum inspectorum fungatur, facile Episcopus opportunas et necessarias sibi comparabit notitias de statu scholarum ac de remediis, postquam inspectorum vota noverit, adhibendis.

CAPUT II.

De Scholis secundariis.

686. Cum in dies augeatur numerus iuvenum catholicorum, qui, absolutis scholis primariis, ad altiorem educationis cursum adspirant, sive ut ad mercaturam exercendam magis habiles existant, sive ut ad officia civilia et politica sese praeparent, de scholis quoque mediis sive secundariis pauca quaedam monita et prae-

[1] Leo XIII. Const. *Romanos Pontifices*. V. Appen. n. XLVI.

cepta fidelibus Nobis commissis proponenda esse ducimus. Parentes, qui filios suos, propter duram necessitatem, aut ob specialem studiorum cursum, ad scholas mittere coguntur, in quibus catholicae institutionis principia non servantur, enixe monemus, ut fidei morumque pericula a filiis suis quam longissime removeant, verbi Domini semper memores: *Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* (Matth. XVI. 26). Qua in re, prae oculis habeantur decreta et instructiones Sanctae Sedis. Quodsi scholae catholicae superiores praesto eis sint, quibus filios suos post absolutas scholas primarias committere possint, gravissimam illis obligationem in memoriam revocamus, ne alias scholas praeferant scholis vere catholicis.

687. Eos vero ex fidelibus nostris, qui copia rerum temporalium dotati sunt, in Domino obsecramus, ut ad fundanda et augenda collegia, in quibus scholae secundariae, sive pro litteris humanioribus, sive pro disciplinis physicis et mathematicis, sive pro commercio apertae sunt, auxilia sua conferant. Alii autem fideles, quibus iurium politicorum exercitatio est concessa, illud efficere studeant, ut leges civiles nihil contineant, quod legitimae libertati Ecclesiae in rebus scholasticis sit contrarium, conscientias catholicorum laedat, atque ad pravas scholas publica pecunia sustentandas conducat. Immo totis viribus incumbant, ut universa institutio in omnibus scholis secundariis fidei catholicae sit conformis, atque a Guberniis et Municipiis defendatur et promoveatur [1].

688. Moderatores et professores scholarum secundariarum in primis ii sint oportet, qui, memores gra-

[1] Cfr. citat. Convent. cum civitatibus Americae Latinae.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vissimi sui muneris, sese totos dedicent educationi et institutioni iuventutis catholicae. Quare discipulos suos verbo et exemplo arceant a periculis fidei et morum, tum in scholis tum extra illarum ambitum, curentque ut universa puerorum et adolescentium catholicorum institutio conformis sit doctrinae catholicae atque spiritu vere christiano informata [1].

689. Prae primis, doctrina catholica de fide et moribus deque praeceptis Ecclesiae, omnibus discipulis, attenta illorum aetate et consideratis periculis et necessitatibus nostri temporis, diligenter et solide exponatur, neque quisquam huiusmodi munus docendae religionis christianae ex officio in se suscipiat, nisi a competente auctoritate ecclesiastica fuerit legitime missus atque approbatus. In tradenda autem doctrina christiana, etiam in scholis secundariis, ii tantum adhibeantur libri et modi docendi, quos Episcopus approbaverit [2]. Caeterum prae oculis habeatur Instructio quam hac in re edidit Suprema Congregatio S. Officii die 24 Novembris anni 1875 [3].

690. Cum autem religio catholica in animis illorum puerorum et adolescentium, qui tot periculis et tentationibus sunt expositi, non firmetur, nisi ad doctrinam practica accedat religionis catholicae exercitatio [4], catechetae vel magistri religionis, iuvenes ad fidem exercendam peculiari studio inducant oportet. Quare curandum est, ut studiosa iuventus, quantum fieri potest, etiam in scholis secundariis, quotidie assistat sacrificio Missae frequenterque recipiat sacramenta Poe-

1 Cfr. citat. Convent. cum civitatibus Americae Latinae.
2 Cfr. cit. Conv.
3 V. Appen. n. XXXVII.
4 Ibid.

nitentiae et Eucharistiae, statis temporibus peragat exercitia spiritualia atque in pias sodalitates coadunata ad omne opus bonum excitetur et contra pericula irruentia muniatur. Hac vero nostra aetate, cum magis magisque recipiatur usus etiam puellas admittendi superioribus quibusdam scholis vel institutis, studium in puellis quoque promovendi litterarum scientiam et civilem educationem probamus; dummodo id fiat salvis principiis fidei catholicae, honestatis morum et sanae rationis. Quare commendamus, ut puellae catholicae, quibus pro conditione sua superior illa instructio et educatio necessaria vel utilis fuerit, frequentent superiora instituta, quae cum approbatione Episcoporum a feminis vere catholicis vel a monialibus erecta fuerunt. Penitus vero prohibemus, ne puellae catholicae ad ea mittantur instituta superioris educationis, ubi promiscue cum puellis acatholicis educentur, aut ne per summum abusum scholas superiores cum adolescentibus communes frequentent.

691. Denique omnes moderatores et professores in Domino exhortamur, ut omnibus viribus non solum contendant ad formandos discipulos, qui puritate fidei et morum probitate praestent, sed etiam ut facto ostendant catholica instituta, quoad litteras quoque, artes et scientias, caeteris institutis praestare. Quo studio, et desideriis parentum abunde satisfacientes et opprobria virorum acatholicorum refutantes, optime merebuntur de nostris civitatibus deque Ecclesia, in universa America Latina; sibi autem immortalem obtinebunt coronam, dicente Daniele propheta (XII. 3): *Qui autem docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT III.

De Universitatibus et Facultatibus studiorum maiorum.

692. Universitates studiorum, inde a medio aevo, quo primum fuerunt constitutae, iurisdictioni Ecclesiae fuerunt subiectae. Illa enim quamplurimas universitates sive studia generalia aut fundavit aut amplissimis saltem privilegiis et favoribus cumulavit; meritoque Sedes Apostolica suam interposuit auctoritatem. Cum ad Romanos Pontifices, pro concredito ipsis Apostolici Officii munere, maxime pertineat catholicam fidem tueri sanctaeque eius doctrinae depositum integrum ac intemeratum custodire, eorum quoque esse debet sacrarum disciplinarum, quae publice in universitatibus traduntur, institutionem moderari. Hinc etiam, ex disciplina vigenti, solius Romani Pontificis est facultates sacrarum disciplinarum Theologiae atque Iuris Canonici erigere, iure promovendi ad gradus academicos donare, easque nomine et privilegiis universitatis catholicae et ecclesiasticae insignire [1]. Quae potestas Romani Pontificis non obstat, quominus salva permaneat auctoritas Episcoporum, circa curam, visitationem, reformationem universitatum, ab ipso Concilio Tridentino probata [2].

693. Cum ex mente Ecclesiae universitates sint celeberrima quaedam scientiarum domicilia, ad quae ex dissitis quoque provinciis iuventus studiosa conveniat, ut pretiosos sapientiae thesauros sibi comparet; in

[1] Leo XIII. Const. *Cum Apostolica*, 5 Febr. 1889.
[2] Sess. 25. cap. 2 de ref.

primis professores omnigena scientia sint insignes, studio veritatis praestent, atque singulari ratione fidem catholicam defendere et illustrare conentur. Nulla [1] enim unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit.

694. Qua in fide catholica defendenda et illustranda inter omnes maxime excellant sacrarum scientiarum professores. Quem praeclarum scopum ut eo securius obtineant, sequantur doctrinas a Sede Apostolica probatas [2], atque propositiones ab eadem Apostolica Sede proscriptas detestentur, vestigia premant SS. Patrum atque Doctorum Ecclesiae et in primis S. Thomae fideles sint discipuli et interpretes. Dum vero, quae primorum saeculorum ingenia summo labore parique felicitate nobis tradiderunt, sua facere, excolere, provehere student, nostrorum quoque temporum rationem habeant atque recentiora studia examinent, et quae probanda sint, probent, errores autem repudient. Quare exempla sectantes praeclarissimorum doctorum antiquorum, discipulos de periculis circa fidem admoneant, contra grassantes errores muniant, religionis reverentiam et amorem in eorum animis foveant, quo possint munere suo, uti viros catholicos decet, fungi et de christiana republica optime mereri.

695. Iuvenes quoque nostri, qui universitates frequentant, ita pariter litterarum studiis vacent, ut, dum ad supremos gradus academicos adspirant, educationis quoque christianae ultimum accipiant complementum, fideique catholicae integre conservatae praeceptorum perfectam iungant observantiam. At dubitandum non

[1] Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*.
[2] Leo XIII. Encycl. *Aeterni Patris*, 4 Aug. 1879.

est, ad hunc gradum perfectae educationis in universitatibus vix eos pertingere posse, si, sibi relicti, salutaribus Ecclesiae subsidiis careant. Quare opera est danda, ut verbum Dei studiosis illis apta ratione praedicetur, inducendi erunt ad exercitia pietatis, frequentationem ecclesiarum receptionemque frequentem Sacramentorum, maxime vero coadunandi erunt in pias sodalitates et associationes academicas, ut a pravorum iuvenum consortio segregati vinculisque amicitiae christianae coniuncti, crescant in spem reipublicae atque Ecclesiae et viribus unitis, etiam post finita studia, causam Ecclesiae atque iustitiae defendant.

696. Summopere profecto desiderandum est, ut unaquaeque respublica vel regio Americae Latinae suam habeat universitatem vere catholicam, quae sit centrum scientiarum, litterarum et bonarum artium. Quod si iste finis non ubique subito attingi potest, saltem via est praeparanda atque media sunt quaerenda. Quare imprimis assidue incumbendum est, ut inferiora instituta et collegia catholica augeantur ac perficiantur solerti disciplina religiosa et morali, profunditate et extensione instructionis, atque aptitudine et peritia magistrorum. Frustra enim eriguntur universitates, nisi praesto sint apti magistri et boni discipuli. Praeterea, quae iam sunt universitates, omnino ordinandae et dirigendae sunt, secundum iteratas promissiones in solemnibus conventionibus a gubernis Sedi Apostolicae datas [1]. Interea viri docti diversarum scientiarum in liberas associationes coëant necesse est, atque scriptis, libris, foliis periodicis, celebratione comitiorum ad scientiarum profectum promovendum, doctrina virorum praestantium, bibliothecarum et archiviorum ordinatione et augmento, meliora tempora pro Ecclesia et societate praeparare contendant.

[1] Cfr. cit. Convent. cum civit. Americae Latinae.

697. In regionibus autem ubi verae Universitates haberi nequeunt, ne difficilior evadat adeptio graduum academicorum clericis pietate et ingenio praestantioribus, qui huiusmodi titulorum digni iudicentur a propriis Ordinariis, optandum est ut in Seminario Metropolitano, vel alibi, de communi Suffraganeorum voto, erigantur, de licentia Sanctae Sedis, facultates studiorum maiorum, seu Philosophiae scholasticae, Theologiae et Iuris Canonici, regendae iuxta statutum de communi consensu Episcoporum regionis seu Provinciae conficiendum, et a Sacra Studiorum Congregatione, uti de more, examinandum et approbandum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TITULUS X.

DE DOCTRINA CHRISTIANA

CAPUT I.

De sacra Praedicatione.

698. Praeceptum Christi Domini, de praedicando Evangelio [1], recolens sua vice Divus Paulus aiebat sacris ministris, in persona Timothei [2]: – *praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa.... opus fac evangelistae, ministerium tuum imple.* – Hinc praedicationis necessitas et utilitas, non modo ut fides propagetur, sed ut incorrupta ab erroribus et vitiis servetur, et sive languescens suscitetur, sive vigens foveatur magis et augeatur.

699. Divini enim verbi praedicatio efficit, ut fideles a peccatorum coeno exsurgant, ad poenitentiam adducantur, Dei Ecclesiaeque praecepta sectentur, terrenarum rerum vanitatem agnoscant et spernant, ac probe intelligant, non quamlibet fidem, sed eam esse salutiferam, quae per dilectionem operatur, fideles a via perditionis arcet vel retrahit, et in via salutis statuit vel dirigit. In iis vero remotis pagis, ubi et Parochus deest, et quo alius sacerdos, quacumque de causa, habitualiter non accedit ad Missam festivam cele-

[1] Marc. XVI. 15.
[2] 2. Timoth. IV. 2. et seq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

brandam, Episcopus, pro eo animarum zelo, quo Pastorem flagrare decet, prospiciat interim, ne miseri huiusmodi agricolae absque ullo religionis adiumento deserantur; atque idcirco designet personas idoneas, quae necessaria ad salutem eos incolas, diebus festis aut alio idoneo tempore, doceant, idest catechismum in dioecesi approbatum populo opportune coadunato legant; aut saltem ea praelegant, plebe repetente, quae de sacerdote festivum sacrum litante in capellis aut oratoriis ruralibus recitanda constituimus, art. 711.

700. Hi tamen, aliique quamplurimi sacrae praedicationis salutares effectus, quamvis ex gratia Dei sint repetendi, nihilominus, ad eos obtinendos, verbi Dei praecones propriam pietatem, scientiam, atque prudentiam conferre debent. « Praedicatores enim suos Dominus sequitur: quia praedicatio praevenit, et tunc ad mentis nostrae habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis praecurrunt, atque per hoc veritas in mente suscipitur » [1]. Atque idcirco eis summopere commendamus, ut in tam excellenti obeundo officio eximium prae se ferant pietatis affectum, et solidam copiosamque doctrinam impendant. Praesertim vero numquam ad praedicandum accedant, nisi post tempestivam praeparationem, ut ordinata methodo et multitudini magis accommodata procedere, leves aut inutiles quaestiones vitare, ac solida veritatis ostensione auditores a malo deterrere et ad bonum movere valeant.

701. Quod quidem nobilissimum praedicationis ministerium, licet ex Iesu Christi praecepto eis specialiter incumbat, quibus dominici gregis cura commissa est, quique ex officio et iustitia ad oves suas verbi divini

[1] S. Greg. M., Homil. 17 in Evangel.

pabulo pascendas obligantur; omnes tamen sacri ministri, qui debitis ad hoc qualitatibus polleant, illud exercere pro suo quisque modo ex vocatione et caritate debent.

702. Quapropter haec Plenaria Synodus, dum animarum rectoribus, praesertim parochis eorumque adiutoribus, sanctiones Tridentinas [2] in mentem revocat, ut, diebus saltem dominicis aliisque festis, evangelicae praedicationis debito congrue satisfaciant per se, aut, si legitime impediti fuerint, per alios idoneos; caeteros enixis precibus hortatur sacerdotes, ac potissimum canonicos, qui doctrina virtutumque ornatu praefulgent, ut, postquam a proprio Praelato ad praedicationis munus exercendum rite fuerint admissi, apprime sollicitos de aeterna animarum salute se praebeant, illudque sedulo et frequenter et ex caritatis studio adimpleant.

703. Episcopi autem, cum divini verbi ministerium, sive in cathedrali Ecclesia sive in aliis Ecclesiis eorum iurisdictioni subiectis exercendum, aliis delegabunt, diligentissime videant cui illius facultatem dent, ne tanto muneri iniuria fiat. Non facile itaque illam ei clerico concedant qui sacerdos non sit, et ab omni praedicatione arceant indoctum vel ineptum, vel vitii criminisque infamia notatum, vel corpore notabiliter deformem, vel saecularibus negotiis implicitum. Cavebunt praeterea, ne, qui Regulares non sunt, quibus huiusmodi facultas a propriis Superioribus tribui solet, concionandi munere unquam fungantur, praeter parochos in Ecclesia parochiali, absque Ordinarii licentia in scriptis tradita [3]. Regulares vero fideliter servent praescriptiones canonicas de benedictione vel licentia Episcopi obti-

[2] Sess. 5. cap. 2 de ref.
[3] Acta Eccles. Mediolan. I. pag. 391.

nenda, prout in propriis vel in alienis ecclesiis praedicare debeant, et de non praedicando, Episcopo contradicente.

704. Et quia experientia demonstrat exiguum quandoque et prope nullum fructum in fideles derivari ex praedicatione, ob praedicantium defectus et abusus; proinde concionatores impense monemus, ut sermones suos ad normam Decreti a SS. D. N. Leone XIII per Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium pro universa Italia die 31 Iulii 1894 lati [1], omnino informent. Ibi enim luculenter descriptos reperient defectus vitandos, abususque corrigendos, nec non dotes et qualitates in sacris oratoribus requisitas, motivum ex quo concionari, et scopum ad quem intendere debent, scilicet *illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare, et, modo comminando, modo exhortando, hominibus salutaria praedicare* [2]. Ibi etiam conspicient quaenam materia praedicationis assumi debeat; quibus cautionibus apologetica defensio catholicae veritatis contra impugnantes sit suscipienda; quinam sacrae eloquentiae debeant esse praecipui fontes, et quomodo dogmata et praecepta, iuxta catholicae Ecclesiae Patrumque doctrinam, sint annuntianda populo, ut aeternas poenas evadere et coelestem gloriam consequi valeat. Quibus monitis si dociles admoveant aures sacri praedicatores, nunquam profecto efficientur *velut aes sonans aut cymbalum tinniens* [3], nec tantum *prurient auribus* [4], aut *aërem verberabunt* [5].

1 V. Appen. n. LXXXIII.
2 S. Thom. Comment. in Matth. 5.
3 1. Corinth. XIII. 1.
4 2. Timoth. IV. 3.
5 1. Corinth. IX. 26.

sed uberrimos ex verbi Dei seminatione fructus capient.

705. Quamvis omni tempore de novissimis praedicatio christifidelibus saluberrima sit, necessaria tamen dicenda est tempore spiritualium exercitiorum et sacrarum missionum assidua consideratio de poenis inferni. Volumus igitur ut missionarii aliique concionatores, postposito omni humano respectu, in spiritualibus recollectionibus et sacrarum missionum exercitationibus specialem concionem habere curent de existentia, aeternitate et acerbitate poenarum inferni, adhibitis Sacrae Scripturae verbis, Sanctorum Patrum sententiis et ratione Theologica. Verba autem facientes de Purgatorio, subtiles devitent quaestiones et alia quae aedificationem fidelium potius impedire quam promovere solent [1].

CAPUT II.

De Catechismo.

706. Ut fidelis populus, vel ab ineunte aetate, imbueretur fide catholica, Concilium Tridentinum sapienter praescripsit [2] certam aliquam catechismi docendi formam esse concinnandam. Quod Summus Pontifex S. Pius V praestitit, iubens adornari et in lucem edi *Catechismum Romanum* pro parochis, quem postea in compendium, speciatim pro pueris eruditendis, redegit Venerabilis Cardinalis Bellarminus, aureo suo libello, cui *Doctrina christiana* titulum fecit.

707. At progressu temporis factum est, ut catechismi textus magno numero multiplicarentur, adeo

1 Cfr. Conc. Trid. sess. 25. decr. *De Purgatorio*.
2 Sess. 24. cap. 7 de ref. et sess. 25. in fine.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ut quandoque eveniat dioeceses etiam finitimas, catechismis uti, forma, stylo, methodo et rerum dispositione discrepantibus; idque non pauca parit incommoda, attenta praesertim facilitate qua fideles et integrae etiam familiae ex una ad aliam regionem transire solent.

708. Mandamus igitur, ut, intra quinquennium, in unaquaque Republica, aut saltem in singulis Provinciis ecclesiasticis Americae Latinae, de communi Episcoporum consilio, unicus conficiatur Catechismi textus, exclusis omnibus aliis, una cum parvo Summario rerum scitu magis necessariarum pro parvulis et rudioribus.

709. Prudenter removeantur a fidelium manibus catechismi, a laicis praesertim conscripti, qui dictionem habeant cum castigatione doctrinalis integritatis parum conformem. Alii catechismi maioris molis utiliter retineri debent tamquam uberiores explanationes doctrinae christianae, ex quibus praeferendi sunt qui de mandato Concilii Tridentini et a Venerabili Cardinali Bellarmino conscripti sunt.

710. Caeterum, praeter ea, quae de munere, tempore, loco, caeterisque adiunctis docendi catechismum alibi iniungimus Parochis, eorum adiutoribus, parentibus, magistris, aliisque ad quos pertinet, eisdem haec generatim commendamus, videlicet: ut catechismi expositio non sine praevia praeparatione super rebus ea vice tractandis suscipiatur, eaque fiat in simplicitate sermonis, stylo et eloquio, quamvis accurato et non inamoeno, perspicuo tamen et facili, atque inprimis accommodato captui plebis, speciatim puerorum, et, quantum fieri possit, brevi. Sedulo autem devitetur, sub quovis praetextu, omnis immutatio quoad probatas et

consuetas docendi formulas, utpote quae saepissime nil praeter incommodum discentibus affert. Quoties vero sese offerat opportunitas, obiter inducat catechista in animum audientium motiva infinitae in nos bonitatis divinae et amoris Christi Iesu, eiusque sacratissimam passionem et realem in Eucharistia praesentiam commemoret; B. Mariae Virginis devotionem promoveat ac foveat; Sanctorum exempla proponat; deterreat fideles a peccatis per poenarum recensionem; virtutum excellentiam extollat; animos inflammet ad aeternam beatitudinem assequendam per observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, et per Sacramentorum frequentiam. Uno verbo, ea omnia paulatim in fidelium cordibus inserat, quae eos ad amorem et timorem Dei adducere possunt. Atque ad hoc tum potissimum adlaboret, cum ad Sacram Synaxim pueros praeparat prima vice recipiendam. Sed neque amittat opportunitatem, si quando obveniat, faciendi verbum de nequitia ac perfidia recentium errorum, quos magis per vulgus eo loci serpere intelligat, et potissimum, si casus postulet, de societatum damnatarum fallacia, ut fidelium mentes contra huiusmodi pericula mature et opportune praemuniat. At prudentissime maximaque dexteritate id peragat, ne forte plus damni quam emolumenti inde enascatur.

CAPUT III.

De catechistis ruralibus.

711. Compertum est agricolas eorumque familias, procul ab oppidis degentes, ad Ecclesias parochiales, ubi catechismi institutio habetur, non semper, ob locorum distantias aut alia impedimenta, convenire

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

posse. Quamobrem, ne ulla dominici gregis pars in ignorantia eorum, quae de necessitate medii et praecepti omnes scire debent, cum evidenti aeternae salutis periculo, derelinquatur, volumus, ut Sacerdotes rite approbati ad officium concionatoris, qui in ecclesiis vel oratoriis ruralibus sacrum, diebus festis, peragunt, quatenus fieri potest, infra Missam, explicent Evangelium. Durante vero sacrificio Missae, actus fidei, spei, caritatis et contritionis, oratio dominica, salutatio angelica, symbolum Apostolorum, decalogi et Ecclesiae praecepta, et sacramenta distincte et tractim recitentur vel praelegantur. Parochus autem, et, si de Parocho agatur, Vicarius Foraneus, de huius oneris implemento diligenter inquirere teneatur; et si compererit praefatos sacerdotes in eo implendo negligentes, rem ad Ordinarium deferat, qui prudenti suo arbitrio efficaciter provideat, ne huiusmodi agricolae necessaria instructione de iis, quae requiruntur ad salutem, fraudentur.

CAPUT IV.

De sacris missionibus ad populum et de spiritualibus exercitiis.

712. Experientia duce compertum est, per extraordinarium remedium sacrarum missionum, non modo fideles in tramite virtutis ac pietatis incedentes roborari, et ad meliora proposita exequenda excitari, verum etiam vacillantes confortari ne cadant, lapsos a vitiorum somno expergisci et ad resipiscentiam perduci. Constat etiam ea occasione persaepe diuturna scandala tolli, odia restingui, abusus extirpari, aliisque publicis et privatis malis efficacem afferri medelam. Clementissimus

enim Deus iis salutis diebus in populum suum, per saluberrimas meditationes et exhortationes percitum, misericordiarum gratiarumque copiam cumulate effundit. Hac de causa, Summi Pontifices plus semel Episcopos instigarunt ut in suis Dioecesibus missiones indicerent, ad fidei religionisque spiritum in fidelibus renovandum.

713. Omnes itaque sacerdotes quantum possumus in Domino monemus, ut, pro sua quisque parte, sacras missiones promovere, adiuvare, et adnexos labores, quamvis arduos, pro animarum salute libenter patienterque sustinere non recusent. Ad quod opus, maxime optandum est, ut faciles se praebeant praesertim Religiosorum ordinum sodales.

714. Curent Episcopi, ut publicae, in singulis paroeciis, habeantur missiones crebro pro opportunitate, nec non spiritualia exercitia pro recollectis in apta domo personis, in maioribus civitatibus, separatim pro viris et pro mulieribus, duosque ad minus idoneos sacerdotes designent, qui, iuxta normas potissimum a S. Ignatio traditas, per aliquot dies, maxima caritate et zelo, muneri sibi demandato satisfaciant.

715. Hi porro catholica meditationum themata, quae magis audientium cor movere possunt, seligant; sed omnino abstineant a quavis repraesentatione vel descriptione, quae aut indecora apparere, aut occasionem irridendi veritates fidei possit impiis praebere.

CAPUT V.

De libris precum.

716. Libri precatorii ad alendam augendamque pietatem maxime conferunt, semperque ab Ecclesia com-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mendati sunt, et a fidelibus prae manibus habiti; nostra autem aetate in infinitum prope numerum, laudabili quidem intentione, sed haud raro absque necessaria censura et licentia, multiplicati sunt.

717. At saepius inter eos nonnulli circumferuntur, qui, a scriptoribus imperitis concinnati, longius abeunt a vera et salutari orandi norma, quam Ecclesia proponit. Quod sane dolendum est, quandoquidem huiusmodi libri mentes precantium in degeneres christianae pietatis conceptus affectusque detorquent. Ad vitandum itaque spirituale hoc detrimentum, fideliter serventur quae praescribuntur tit. IV Cap. XI, ubi *de devotionis exercitiis non approbatis*, et Cap. IX praesentis tituli, ubi *de examinatoribus seu censoribus librorum* agitur.

CAPUT VI.

De libris catholicae et honestae lectionis.

718. Hisce temporibus, quibus legendi aviditas apud omnes in immensum succrevit, atque innumeri libri, ad litterarum cultum aut spiritus oblectamentum et relaxationem spectantes, eduntur et propagantur, magno animi dolore perspicimus Ecclesiae hostes, hoc medio, tamquam validissimo armorum genere, abuti, ad fidei dogmata, pietatis exercitia, morumque sana principia labefactanda. Quare, non modo ut perversi huiusmodi inimicorum libri e medio tollantur, debemus totis viribus adniti; sed insuper nihil praetermittere, ut libri purae doctrinae, honestae litteraturae, atque iucundae etiam lectionis apud catholicos populos disseminentur, qui legentibus vere prosint, et utile ac salutare pabulum praebeant.

719. Haec itaque Plenaria Synodus, tum ecclesiasticos viros, tum etiam catholicos laicos, qui necessariis dotibus pollent, hortatur, ut omni studio et arte bonas litteras excolant, et huius generis scripta, praesertim parvae molis, cum Episcoporum approbatione, typis vulgari curent, quae religioni faveant bonisque moribus, idest ea commendent, extollant, et legentibus quomodolibet inspirent.

720. Quo vero efficacius id obtineri possit, opportunum esse censemus, ut, in praecipuarum parochiarum territorio, omnibus rite perpensis, et exquisito prudenti Ordinarii consilio, aliqua bibliotheca constituatur, ubi huiusmodi libri selecti moderato pretio veneant, vel etiam ad legendum suppeditentur.

721. At, praeter opera recentiora, nonnulla etiam expedit prae oculis habere, quae, a piis doctisque viris antehac edita, stylo, venustate, elegantia, narrationis subiecto, aliisque pretiosis dotibus eniteant. Ex his, faciliori negotio, Episcopi et Parochi ea poterunt seligere, quae sint magis idonea et accepta indoli, culturae litterariae, et gustui populi, atque in eadem bibliotheca collocare.

722. Videant Episcopi, si possibile et expediens sit, populares consociationes efformare, quo convenire possint, statis horis, laboribus diei absolutis, fideles omnium ordinum, et maxime opifices, vel ad legendos libros, vel ad collationes, etiam litterarias, aut alioquin honestas et proficuas, audiendas, quas sacerdotes vel saeculares, probata et pura doctrina clari, habere poterunt, et quarum praecipuus sit finis perversorum librorum pestem arcere, et bonorum diffusionem promovere.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT VII.

De ephemeridibus catholicis.

723. Omnes norunt, nostra hac aetate, hostes Ecclesiae diu noctuque adlaborare, ut impietatis virus per ephemerides populo inoculent, fidei dogmata blasphemantes, et christianam vituperantes vivendi rationem. Quocirca nobis expedit iisdem armis inimicos oppetere, in vulgus nempe catholicas ephemerides disseminare.

724. Plenarium itaque hoc Concilium vehementer hortatur ecclesiasticos laicosque viros, qui necessariis ad hoc dotibus, ac prae primis pietate probataque fide instructi sint, ut, pro sua quisque parte, omni studio in catholicis ephemeridibus scribant, Ecclesiae doctrinas et iura tueantur ac vindicent, impiorum multiplices fraudes detegant, atque errorum teterrimam colluviem refutent. Huiusmodi vero scriptores, hoc ipso quod se profitentur catholicos et uti tales haberi volunt, necesse est, ut sint omnino obsequentes Ecclesiae, ac proinde Episcoporum suorum auctoritatem revereantur, consilia ultro amplectantur, monita humiliter accipiant, et si quid forte in eorum scriptis deprehensum fuerit quod corrigendum iudicetur, filiali cum docilitate emendare studeant. Quod si haec omnia rite praestiterint, optime de re catholica merebuntur, et amplam a Deo mercedem procul dubio referent.

725. Ad quem finem plenius assequendum, Episcopis, Parochis, caeteris fidelibus, signanter iis qui opibus sunt praediti, enixe commendamus in Domino, ut catholicas ephemerides, earumque scriptores et typographos, qui scripta non edant nisi orthodoxa et sanae doctrinae, quibusvis modis protegant et adiuvent.

726. Quin etiam valde optandum est, ut quilibet Episcopus, quatenus localis necessitas id suadeat, unam saltem in maioribus suae dioeceseos civitatibus catholicam huiusmodi ephemeridem, etiamsi catholicum nomen non necessario prae se ferre debeat, constitui curet, mediis pecuniariis, prout melius in Domino expedire iudicaverit, opportune provisis; ad rem enim tanti momenti catholicus quilibet vir concurrere non detrectabit. Parochi vero et sacri ministri non omittant, ubicumque necessarium duxerint, debitaque adhibita prudentia, harum ephemeridum lectionem, et propagationem fidelibus commendare.

727. Quo autem quidam defectus et abusus arceantur, qui malo fato interdum in huius tam salutaris muneris exercitio irrepere solent, vehementer hortamur in Domino omnes et singulos, quibus ephemeridum catholicarum directio, cura aut conlaboratio commissa est, ut vita et moribus, fide et constantia, lucri et proprii commodi contemptu, comitate et modestia, sese populo commendent. Ac proinde, in controversiis agitandis, in opinionum divergentiis, in disputationum aestu, omnino caveant, ne caritatis et christianae lenitatis limites transiliant, ne verbis iniuriosis alios lacessant, aut temere diiudicent vel criminentur, aut etiam, quod Deus avertat, auctoritatis Ecclesiasticae dispositionibus ullimode, sub quovis praetextu, adversentur. Illud etiam desiderandum est, ut in unaquaque dioecesi, vel saltem in qualibet ecclesiastica provincia, habeatur periodica quaedam publicatio pro actis ecclesiasticis et rebus religiosis (vulgo *Boletin eclesiástico*).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT VIII.

De scriptoribus catholicis.

728. Scriptores catholici, si de veritate et iustitia, de virtute et de vitiis, de rebus theologicis et moralibus, vel quomodolibet ad fidem et Ecclesiam pertinentibus, scribere sibi proponunt, bene advertant magisterium in hoc genere fuisse Ecclesiae a Christo Domino commissum et reservatum.

729. Nihilominus, crescente in dies tum scribendi licentia et librorum, praesertim pravorum, inundatione, tum insatiabili legendi in omnibus aviditate, ita ut publici scriptores in populorum opinionibus maximum hodie influxum exerceant, opportune et utiliter catholici scriptores de praefatis rebus tractabunt, quoties id peragant cum licentia Auctoritatis Ecclesiasticae, servatisque decretis generalibus de prohibitione et censura librorum, cum plena ab ea dependentia, et iuxta doctrinas ab Ecclesia traditas, ac quoties impiorum venenatos libros totis viribus confutare contendant, ne hic etiam dici possit filios huius saeculi prudentiores filiis esse lucis.

730. Quocirca SSmus D. N. Leo Papa XIII catholicos scriptores adhortans aiebat [1], scripta scriptis opponenda esse, ut ars, quae potest plurimum ad perniciem, eadem ad hominum salutem et beneficium transferatur, atque inde remedia suppetant unde mala venena quaeruntur.

731. Cum tamen non minus nobile quam arduum sit catholicorum scriptorum officium, plenumque laboris, abnegationis atque etiam periculi, quasdam veluti normas ad illud recte explendum non abs re erit hic indicare, ab instructionibus Apostolicis alias traditis magna ex parte derivatas.

[1] Encycl. *Etsi nos*, 15 Febr. 1882.

732. Ac primum omnium, ad scribendum de rebus tanti momenti, conscientia munda, recta intentione, ac praeviis ad Deum precibus, qui pater est luminum, accedere opus est.

733. Tum etiam doctrinae scientiaeque ad rem necessariae et opportunae principia, dictamina, rectas conclusiones, ac factorum seriem funditus recolant, ne falsa aut minus probabilia effutiant, neve quaestiones se minus callere ostendant, aut leviter attingant.

734. In omnibus scriptis, ac potissimum in materiis philosophicis, accurate distinguant fidem a ratione, opinionem a dogmate: meminerint tamen rationem non posse adversam esse fidei, neque fidem rationi, sed alteram alteri mutuum praestare auxilium ad veritatem constabiliendam; et ubi ad definita vel probata ab Ecclesia ventum est, rationem non praeire sed sequi, non imperare sed ancillari debere [1].

735. In iis autem quae quomodolibet, sive directe sive indirecte, ad fidem et mores spectant, semper et in omnibus sequantur doctrinas a Conciliis vel a Romanis Pontificibus definitas, vel a Sanctis Patribus traditas, et caveant ne ullo modo eis contradicant; de iis autem, quae nondum definita sunt, ipsi decidere non praesumant, neque proprias privatas sententias, veluti certa ac definita Ecclesiae dogmata, in libris obtrudant [2].

736. In re politica, hanc a Religione distinguant;

[1] V. supra tit. I. cap. IV *De fide et ratione*.
[2] Cfr. Const. *Sollicita* Benedicti XIV, 9 Iul. 1753.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

atque idcirco eos, qui diversas politicas partes sequuntur, non habeant tamquam si a catholico nomine prope desciverint, atque ita factiones politicas in augustum Religionis campum perperam compellant [1].

737. Nec rem politicam a Religione seiungant vel separent, quasi nihil sit utrique commune, aut nihil alteram in alteram influere oporteat. Nam, ubi Religio tollatur, vacillare necesse est illorum stabilitatem principiorum, in quibus salus publica maxime nititur [2]. Hinc semper animadvertant cuicumque civili Gubernio utilissimum esse tueri iura Ecclesiae, eamque iuvare; et inde ipsi Gubernio maiorem potestatem atque stabilitatem provenire. Eo vel magis, quod Religio, cum sit superioris ordinis, immo summum bonum, in varietate rerum humanarum atque in ipsis commutationibus civitatum, debet integra permanere; omnia enim temporum et locorum intervalla complectitur [3].

738. Quod si scribant de rebus, quae regimen Ecclesiae, vel agendi rationem inter Ecclesiam aut Episcopos et potestatem civilem respiciunt, nolint in antecessum temere diiudicare de sensu Summi Pontificis aut Antistitum, ne eis difficultates facessant, aut agendi rationem praescribere videantur [4].

739. Ut vero prudentiae quam maxime consulant, vitent in suis scriptis ea omnia, quae adversarios iniuriis impetant, aut quae appareant posse pacem reipublicae turbare, seditiones provocare, aut eos exacerbare qui actu res publicas dirigunt; licet, seposita quavis styli asperitate et immoderantia, suspicionum et

1 Cfr. Encycl. Leonis XIII *Cum multa*, 8 Dec. 1882, ad Episc. Hispan.
2 Ibid.
3 Ibid.
4 Cfr. Epist. Leonis XIII *In mezzo alle amarezze*, ad Nunt. Apost. Parisien., 4 Nov. 1884.

insimulationum temeritate, adhibitoque potius rationum pondere, sacra Ecclesiae iura catholicamque doctrinam vindicare totis viribus debeant.

740. Praecipue vero inter se caritatis vinculo confoederati procedant, ut, veluti lectissima militum acies, pro Ecclesia strenue, concorditer, ordinate pugnent.

741. Denique commune omnium catholicorum scriptorum propositum semper esse debet, religionem remque publicam conservare [1]. Ad quod assequendum procul dubio cooperabuntur, si monitis hac de re saepe alias a Sancta Sede impertitis obsequantur, ac signanter si ad normas Encyclicarum *Mirari vos* [2], *Cum multa* [3], et *Immortale Dei* [4] se se gerant.

CAPUT IX.

De examinatoribus seu censoribus librorum.

742. Librorum de rebus religionis tractantium examen in singulis dioecesibus ad Episcopos pertinet, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; qui proinde, vel eos approbandi, quatenus Ecclesiae doctrinae conformes, vel eos vetandi, quatenus contrarii, ius habent.

743. Ad normam Constitutionis Leonis XIII *Officiorum*, tit. 2. c. 3: « Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem,

1 Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.
2 Gregorii XVI, 15 Aug. 1832.
3 Leonis XIII, 8 Dec. 1882.
4 Leonis XIII, 1 Nov. 1885.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit ». Item, « viri e clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis, publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant. Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant ». Quod item servari debet, si typis mandare et diffundere quis vellet libellos seu pagellas, quibus fideli populo commendentur novae sodalitates, aut novae indulgentiae, aut prophetiae, visiones, miracula, aliave id genus.

744. Nullus liber censurae ecclesiasticae obiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen cum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si, aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit. Noverint Typographi et Editores librorum, novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere; hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari [1].

745. Ad examinanda autem haec opera, Plenaria haec Synodus maximopere commendat Episcopis ut adhibeant viros ingenio, prudentia, pietate probatos, doctrinaque praestantes, qui, servatis decretis generalibus de prohibitione et censura librorum et normis ab ipso Episcopo pro tali munere recte obeundo praescriptis, postquam illud sedula cura adimpleverint, scripta cum adnotationibus congruentibus reddant eidem Praelato,

[1] Leo XIII. Const. *Officiorum*, 25 Ian. 1897.

ut impertiri prudenter valeat, quatenus ita iudicaverit, petitam licentiam.

746. Eorumdem examinatorum seu censorum consilio committant Episcopi revisionem huius generis librorum, qui iam typis evulgati fuerint, de quorum tamen sententiis in rebus fidei vel morum suspicio habeatur, ut, Censorum relatione et voto perpensis, iuxta sacros Canones, in Domino iudicium proferant. Censores autem super scriptis vel libris, eis ad examinandum commissis, silentium servent.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TITULUS XI.

DE ZELO ANIMARUM ET CARITATE CHRISTIANA

CAPUT I.

De vitiis extirpandis.

747. Omnes Dei ministri vitiorum extirpationi, per prudentes et assiduas exhortationes et opportunas correctiones, totis viribus incumbant, memores gravissimi moniti Spiritus Sancti ad animarum rectores: *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram* (Ezech. XXXIII. 8). Praesertim igitur parochus, concionator et confessarius in omni patientia errantes ad viam virtutis reducere satagat, unumquemque admonens diversa exhortatione, iuxta professionem morumque qualitatem, scilicet ut praenoscat quid, cui, quando vel quomodo proferat.

748. Ingemiscimus ob ruinam multorum, qui a recto tramite recedentes et erroribus decepti, concupiscentiae carnis, concupiscentiae oculorum ac superbiae vitae, quae in mundo sunt, inserviunt. Sed detestamur in primis *spiritum* illum *inobedientiae*, qui hodie sub specie libertatis aut independentiae longe lateque diffusus,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nullis legibus teneri, nulli auctoritati parere, nemini subesse, sed dumtaxat sibimetipsi, id est corruptae naturae servire vult. Unde et deplorandus ille religionis neglectus, qui, sicut privatis spiritualis damni, ita humanae societati perturbationis et discriminis praecipua est causa. Sedulo igitur curandum est, ut haec effraenata rerum materialium et independentiae libido, circa religionem indifferentia et negligentia, quae, veluti lethale contagium, sub fucato urbanitatis et progressus nomine, civitates non paucas infecit, a populis nostris omnino depellatur. Triste namque videre est tot homines adeo oblitos praecipuorum religionis officiorum, ut hoc unum solemne habeant, divitias inhiare, easque praeter modum cumulare, in vitae huius commodis et luxu diffluere, atque id, quod sensus delectat, unice quaerere.

749. Inde sponte sua dimanant *fraudes et latrocinia*, aliaque horrenda crimina contra iustitiam, quorum remissio impossibilis est, nisi, praeter poenitentiam animi, accedat et restitutio, in re vel in voto facienda. Inde speciatim *usurae* crimen, quo multi etiam ex illis qui honorabiles ac honesti cives haberi volunt, foedantur: quodque utriusque Testamenti pagina condemnatur; cuius criminis reos eorumque haeredes restitutioni prave perceptorum lucrorum obnoxios declaramus cum Sancta Matre Ecclesia.

750. Nihil igitur in mutuo vi mutui accipi potest ultra sortem principalem. Et neminem latere potest obligatio, qua multis in casibus tenemur simplici ac nudo mutuo aliis succurrere, ipso praesertim Christo Domino dicente: *Volenti mutuari a te ne avertaris* (Matth. v. 42). Quod si mutuanti lucrum cessare aut damnum emergere aut periculum imminere amittendae

sortis vel assumendi insolitos labores pro eiusdem sortis recuperatione contingat, horum quidem compensatio repeti potest, dummodo re ipsa titulus aliquis ex istis concurrat, et nihil amplius quam vere ille postulat, exigatur [1].

751. Auctarium ultra sortem percipientes titulo legis civilis non sunt inquietandi, quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere, ut pluries declaraverunt Sanctum Officium et Sacra Poenitentiaria. Tuta conscientia acquiri possunt nomina seu actiones viarum ferrearum similiumque societatum aut arcarum publicae utilitati inservientium; dummodo eas nullum habere propositum finem illicitum et quomodolibet suspectum constet [2]. Quoad casus particulares, prae oculis habeantur decreta Sanctae Sedis, necnon sententiae probatorum auctorum.

752. Etsi nostro tempore plures sint modi collocandi tuto atque utiliter pecuniam, adeo ut vix aut ne vix quidem detur casus pecuniae vere iacentis, de qua nempe nulla ratio aut lucri cessantis aut damni emergentis sit habenda, nihilominus usurae peccatum nullo modo ab hodierna societate exulavit; immo, quod maxime dolendum est, undique debacchatur et grassatur, sive dum pauperes et vere indigentes jugulantur, sive dum pauci iniustis mediis et praetextibus fraudulentisque artibus enormia lucra sibi comparant [3]. Ad huiusmodi mala de medio tollenda, desiderandum est, ut pii fideles, adhibitis Episcopi consilio et mediis opportunis, Montes Pietatis instituant, statutis scripto redactis: qua in re prudentissime procedant Episcopi, ne, speculatorum

1 Cfr. Synod. Dioec. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 4. art. 12.
2 Ibid.
3 Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fraudibus decepti, alieno aere graventur praefatorum Montium Pietatis moderatores et curatores.

753. Ex effraenata voluptatum et divitiarum libidine prodierunt abusus gravissimi, qui in *ludo* immoderato notantur; de quo S. Isidorus merito scripsit: « *Ab hac arte fraus et mendacium atque periurium nunquam abest, postremo et odium, et damna rerum* » [1]. Quot enim cernuntur miserrimi cuiuslibet conditionis homines, qui ludo dediti integrae fortunae brevi tempore iacturam faciunt, familiam aerumnis immergunt, et ipsi in omni flagitiorum genere volutantur!

754. *Ebrietatis* vitium damnat sana ratio, cum hanc opprimat, hominem de statu morali deiiciat et ad conditionem brutorum redigat; damnat religio, quae hominem ad imaginem Dei formatum docet; damnant tristes sequelae: egestas, matura senectus et mors, et, quod horrendum est, infelix aeternitas, cum scriptum sit: *Nolite errare... neque ebriosi regnum Dei possidebunt* (1 Cor. VI. 10). Quare Parochos in Domino monemus, ut non solum verbo ab hoc vitio fideles arceant, sed ut etiam per opportuna media, invocato etiam per Episcopos, quoties id expedire iudicaverint, civilis potestatis adiumento, ebriosos efficaciter inducant ad meliorem frugem; et insuper totis viribus foveant nobiles et utiles labores virorum bonae voluntatis pro extirpatione huiusmodi pessimi vitii.

755. *Luxuria*, quae a S. Bonaventura maior mercatura diaboli dicta est, totis viribus fugienda est et a populis nostris apostolico zelo propulsanda. Multa divinae animadversionis exempla in sacris litteris prodita sunt ad deterrendos a nefario hoc vitio homines, ut

[1] Etymolog. l. 18. c. 68.

Sodomae et reliquarum finitimarum urbium interitus; Israelitarum, qui fornicati sunt cum filiabus Moab in deserto, supplicium; Beniamitarum deletio. Qui vero immaturam mortem effugiunt, intolerabilibus doloribus ac poenarum cruciatibus, quam saepissime, plectuntur. Nam mente caeci, quae poena gravissima est, ita fiunt, ut neque Dei, neque famae, neque dignitatis, neque filiorum, denique vitaeque suae rationem habeant: hocque pacto adeo nequam et inutiles fiunt, ut nihil grave committi eis debeat, et ad nullum fere officii munus idonei sint [1]. Infelices igitur sunt in vita omnes impudici, sed post mortem infelicissimi, in aeternum maledicti et aeternis inferni cruciatibus addicti. *Fornicatio autem, et omnis immunditia.... nec nominetur in vobis* (Ephes. v. 3). *Neque fornicarii..., neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores... regnum Dei possidebunt* (1 Cor. VI. 9, 10).

756. Deploranda et damnanda longe lateque diffusa fornicationis infectio, sed foedissima praesertim *concubinatus* pestis, quae tum publice tum privatim serpens, tam in magnis civitatibus, quam in rusticanis pagis, non paucos cuiuslibet conditionis homines ad aeternum interitum ducit. Infaustissima quidem futura erit prolium ex infelici huiusmodi nexu progignendarum religiosa educatio et moralis existimatio. Timorem pariter et terrorem ingerit tam atrox plaga omnis religiositatis, omnis honestatis et verae civilitatis destructiva! Ideo etiam miseranda concubinariorum conditio, quia in coeno impudicitiae obvoluti, difficillime ex corde convertuntur, quia facti periculosissima petra scandali et multorum scandalorum causa, difficillime Deo, homi-

[1] Catech. Rom. de VI praec. Decalogi, n. 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nibus et Ecclesiae satisfacere volunt. Igitur, animarum rectores, in visceribus misericordiae, errantes huiusmodi oves quaerant, et ad Christi ovile reducant; nullisque perterriti difficultatibus, et in Deo spem suam collocantes, de nullius peccatoris salute desperent, sed ardentissimo zelo de omnium peccatorum conversione solliciti sint. Unde, adhibito consilio proprii Episcopi, planam conversionis viam praeparare studeant, et quotes per legitimum matrimonium scandala e medio tolli possint, libenter temporalia commoda et iura remittant, ut animas Deo lucrentur, prolesque legitimetur iuxta normas a probatis auctoribus traditas.

757. Nec minori zelo de conversione adulterorum solliciti sint parochi et confessarii, cum illorum sors temporalis et aeterna omnino miseranda haberi debeat. De quibus adulteris Tridentina Synodus dixit: « Grave peccatum est homines solutos concubinas habere, gravissimum vero, et in huius magni sacramenti (Matrimonii) singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere et retinere » [1].

758. Reprobamus parentum incuriam, qui natis suis plenam conversationis cum personis alterius sexus licentiam concedentes, intemeratae pudicitiae virtutem contra pericula non satis praemuniunt, praematuram futurorum sponsorum designationem non inhibent, atque amorem castitatis in eorum cordibus non firmant ac fovent. Eadem de causa, non minori reprobatione dignos declaramus promotores et fautores chorearum puerorum, vulgo *Bailes infantiles;* et gravissime in Domino

[1] Conc. Trid. sess. 24. cap. 8 de ref. matrim.

monemus parentes ne proprios filios tanto periculo exponant; quamvis *ad excusandas excusationes in peccatis* praetextus plurimi exhibeantur, qui honestatis speciem habere videntur. Similiter improbamus intolerabilem abusum accedendi ad publica balnea haud servata modestiae lege, vel in locis ubi non habetur debita separatio inter personas diversi sexus; et graviter oneramus conscientiam eorum omnium, qui tenentur tam periculosam corruptelam, christianae circumspectioni, immo et ipsi naturali honestati contrariam, impedire, et non impediunt, aut etiam permittunt.

759. Turpiloquium autem, imagines et scripta, cantilenas et theatrales repraesentationes, choreas et spectacula inhonesta, minus honesta vel periculosa, omnino damnamus; et a via salutis aeternae deviasse dicimus parentes, qui hac in re vel pravo exemplo, vel incuria in filiis corrigendis aut ab huiusmodi periculis efficaciter avertendis, tantarum iniquitatum complices et fautores existunt.

760. Negligentia officiorum religionis et morum corruptio *suicidia* multiplicant, *duella* ac *homicidia*. Suicidae in laqueum diaboli incidentes, gravissimam iniuriam Deo auctori vitae ac Domino irrogant, semetipsos exponunt manifesto et immediato aeternae damnationis periculo, cognatis et notis diram afflictionem et proximo perniciosum exemplum praebent, propriumque nomen et memoriam foedissima infamiae nota deturpant.

761. Nec dissimilis est *duellantium* conditio, immo maioris infamiae nota damnantur. *Detestabilem* igitur *ac divina naturalique lege damnatum duellorum abusum, a barbaris gentibus atque superstitiosis, non sine ingenti corporum animarumque clade, in Christianam rempu-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

blicam, auctore diabolo invectum [1], execramur et damnamus: et monemus omnes fideles excommunicationi Romano Pontifici reservatae subiacere « duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis et imperialis » [2].

762. Horrendum *homicidii* crimen, quod et multorum vitiorum effectus esse solet, gravissime Deum offendit, Deique et reipublicae iura quam maxime laedit et homini iniuriam in temporalibus infert maximam; immo non raro causa efficitur irreparabilis animae ruinae.

CAPUT II.

De varia personarum conditione.

763. Archiepiscopi et Episcopi in hoc Plenario Concilio in Urbe congregati, supremis Rerumpublicarum Americae Nostrae Latinae Moderatoribus et Rectoribus gratulantur, quod religionis et patriae decoris solliciti, eorum Romam itineri positive faverint. Laeto hoc et fausto initio, sibi et omnibus Latino-Americanis Nationibus fidelissimam auspicantur unionem, tum utriusque potestatis civilis et ecclesiasticae, cum omnium inter se Latino-Americanarum Nationum, in perpetua integritate et christiana libertate singularum, ut sarta tecta semper permaneant totius Americae Latinae civilia et religiosa Instituta in filiali erga Catholicam Ecclesiam devotione,

[1] Bened. XIV. Const. *Detestabilem*, 10 Nov. 1752.
[2] Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis*, 12 Octob. 1869.

et in unitate catholicae et apostolicae fidei ad veram populorum prosperitatem.

764. Ad publicae rei incrementum necessarium omnino est, ut debitus servetur ordo. Nonnisi religiosa disciplina, cuius interpres et custos est Ecclesia, efficaciter componere invicem potest et coniungere superiores et subditos, utrumque videlicet personarum ordinem ad officia mutua revocando. Hinc omnes et singulos Magistratus hortamur, ut constantes sint et fideles iustitiae administri; populos autem ut debitum illis obsequium praestent, legitime constitutis legibus pareant, pacemque publicam omnes in caritatis vinculo servent et tueantur.

765. Speciatim vero ad opifices quod attinet, eos in Christo Iesu monemus, ut omnes et opifices et domini, tum iustitiae, tum caritatis leges religiose observent. Illi nihil in damnum et detrimentum dominorum moliantur et dominorum iura tueantur: isti vero debitam illis solvant mercedem, sufficientem nimirum ad eorum congruam sustentationem et proportionatam impenso labori, secundum varias temporum et locorum, personarum et rerum circumstantias; ac necessitatibus etiam pro viribus prospiciant familiarum eorumdem operariorum, secundum rectum caritatis ordinem. Dominorum item partes sunt efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex: non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi, neque ullo pacto a cura domestica parsimoniaeque studio abducere [1].

766. Patres Concilii Plenarii, ardentes illo caritatis igne, quem Dominus Noster Iesus Christus venit mit-

[1] Cfr. Encycl. Leonis XIII *Rerum novarum*, 15 Maii 1891.

tere in terram, Praecones Evangelii vehementissime hortantur, ut sacras missiones, maiore semper ardore, continuare velint apud reliquias illas infidelium tribuum, quae in umbra mortis adhuc miserabiliter iacent, ut omnes tandem aborigines nostri ad lucem perveniant veritatis et christianae urbanitatis. Digni sane munere apostolico, qui scilicet maiorum exemplo vitae commoda et incolumitatem, immo et vitam ipsam, si salus ovium errantium id postulaverit, pro Christi signo amplificando ponere non dubitent, ut omnes tandem Iesu Christi fidei et obedientiae auspicato subiiciantur.

767. Advenarum etiam conditioni prospicientes, optamus, ut catholicae virorum et matronarum societates magis magisque excitentur, illae in primis quae temporali et maxime spirituali ipsorum necessitati auxilio esse possint, et quorum etiam cura praecipua sit invigilare ne miseri advenae ex malitia impiorum et seductorum hominum decipiantur. Dolentes enim intelligimus advenas saepe nimiam praestare fidem hominibus flagitiosis, qui immodicas opes et promissa iactant ingentia: quod, re deinde pro votis non succedente, ipsos in maiores coniicit angustias et difficultates.

768. Igitur, si tot advenae, rite in fide catholica instituti, fallacias seductorum fugiant et eiusdem catholicae fidei praescripta rite servent, non solum nihil ex eis detrimenti regiones nostrae capere possunt, verum etiam non exiguae utilitati, et publico et privato bono esse possunt: tunc enim et amico foedere cum catholicis nostris in verae fidei professione coniuncti, fortiores in dies evadent populi nostri contra insidias inimicorum avitae religionis et christianae urbanitatis, sive ab exteris veniant regionibus, sive apud nostrates pestilentiae sedem fixerint.

769. Ad christianum tutamen omnium operariorum contra praefatas insidias, quibus ad socialismum etiam pedetentim adducuntur, magnopere commendamus institutionem sodalitatum, vulgo « *Circulos Católicos de Obreros* », quae regantur iuxta statuta a singulis Ordinariis, seu melius ab Episcopis uniuscuiusque Provinciae Ecclesiasticae praescribenda, servata in unaquaque regione unitate directionis centralis, uti vocant, et uniformitate agendi rationis, ut vires operariorum unitae sub tutela et paterna sollicitudine Episcoporum fortes et efficaces efficiant christianos eorumdem operariorum conatus ad impiorum et vafrorum fraudes devitandas. Quem in finem, directores spirituales huiusmodi *Circulorum* prudenter et constanter operarios ad pietatem et Sacramentorum frequentiam mediis opportunis trahere curent.

CAPUT III.

De sacris missionibus apud infideles.

770. Infidelium tribus, ad civilem vitae cultum evangelica praedicatione revocari curare, omnium est gravissimum officium, quo ecclesiastica et civilis auctoritas constringitur: id vero assequi aliquando, maximum inter omnia bonum, secum afferens religiosae et politicae societatis amplificationem et incrementum [1].

771. Neque Episcopi, neque parochi, qui in propriae iurisdictionis territorio existere sciunt Indos nondum ad fidem conversos, proprio pastorali officio satisfacerent, si solis fidelibus intenti, illos ab infidelitatis

1 Cfr. Conc. Prov. Quitense II. an. 1869, decr. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tenebris eruere et ad Christum vocare non studerent; si, cum possint, de baptismo parvulorum vita periclitantium haud solliciti forent; si ad tantum opus auxilium et iuvamen aliorum sacerdotum et religiosarum Congregationum utriusque sexus opportune non implorarent. Ideo Episcopi serio perpendant illa SS. D. N. Leonis XIII verba: « Si quos ergo noveritis divinae gloriae studiosos et ad sacras expeditiones suscipiendas promptos et idoneos, his addite animos, ut, explorata compertaque voluntate Dei, non acquiescant carni et sanguini, sed Spiritus Sancti vocibus obtemperare festinent. A reliquis autem sacerdotibus, a religiosorum virorum utriusque sexus ordinibus, a cunctis denique fidelibus curae vestrae concreditis, magnopere contendite, ut, numquam intermissis precibus, coeleste auxilium satoribus divini verbi concilient... Precationi supplici eleemosyna accedat, cuius quidem ea vis est, ut vel loco dissitos et alienis curis distentos apostolicorum virorum adiutores, eorumque cum in laborando tum in bene merendo socios efficiat... Revera, si, ipso Iesu Christo auctore, non perdet mercedem suam qui uni ex minimis eius poculum dederit aquae frigidae, amplissima profecto merces illum manebit, qui, insumpto in sacras missiones aere vel exiguo, precibusque adiectis, plura simul et varia caritatis opera exercet, et, quod divinorum omnium divinissimum sancti Patres dixerunt, adiutor fit Dei in salutem proximorum » [1].

772. Quoniam, teste experientia, maximum impedimentum propagationi fidei inter infideles est ignorantia linguarum, quibus ipsi utuntur, curandum est omnino

[1] Leo XIII. Encycl. *Sancta Dei civitas*, 3 Dec. 1880.

ut sacerdotes ad eorum conversionem destinati, vel qui paroecias regunt in quorum territorio vel locis vicinioribus existunt infideles, linguam respectivae tribus addiscant. Cum autem nonnulli gravitatem huius obligationis haud intelligere videantur, eos monendos volumus hisce verbis S. Congregationis de Propaganda Fide: « Cum enim fides, docente Apostolo, per auditum sit, auditus per verbum Christi, nemo autem credat, nisi audiat praedicantem, necesse est hunc eo uti sermone, quem auditores probe noverint et intelligant. *Nisi enim*, ait Apostolus Paulus (1. Corinth. XIV. 9), *vos per linguam... manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes. Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo: et nihil sine voce est. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquar, barbarus; et qui loquitur, mihi barbarus...* Quare nihil crebrius atque instantius ab Apostolica Sede desideratum est, expetitum, iussum, quam, ut Missionarii tempestive addiscerent et probe callerent linguas, quibus populi ab ipsis erudiendi uti consueverunt » [1].

773. Scholae pro Indis baptizatis erigendae facillimum praebebunt adiumentum sacerdotibus et religiosarum familiarum sodalibus ad linguas Indorum infidelium addiscendas. Sed, praeter huiusmodi scholas, aliae, servatis iisdem normis, erigendae sunt in territorio ipsorum infidelium vel in civitatibus seu locis vicinioribus, ad quae commercii causa accedunt, ut in ipsis pueri infidelium vel neo-conversorum in fide et humanis litteris rite instituantur, et planior reddatur praxis lin-

[1] Litt. Encycl. S. C. de Prop. Fide 22 Iulii 1883, ad Praef. Mission. (Coll. P. F. n. 327).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

guae regionis sacerdotibus et religiosis sodalibus Indorum conversioni addictis.

774. Ad tollendos abusus, decretis et instructionibus Sanctae Sedis contrarios, in regionibus nostris passim irrepentes, circa conversionem et christianam institutionem Indorum, praesertim vero circa instructionem christianam adultorum, et baptismum puerorum parentes habentium infideles, commendamus omnibus Episcopis, Seminariorum professoribus et sacerdotibus conversioni Indorum quomodolibet addictis, assiduam lectionem decretorum et instructionum eiusdem Sanctae Sedis circa hanc gravissimam rem [1].

CAPUT IV.

De piis Sodalitiis.

775. Laudatissimus in Ecclesia inolevit usus sodalitatum piarum, ut nimirum fideles, spiritualium communione sacramentorum et bonarum exercitiis virtutum fortius quam carnalibus vinculis unirentur, ac per mutua caritatis officia experirentur *quam sit bonum et quam iucundum habitare fratres in unum*. Quoniam igitur fideles omnes, societatibus huiusmodi adscriptos, oportet animae suae necessitatibus consulere; id unum studeant semper, *servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (Ephes. IV. 3), ab omni discordiarum occasione abhorrentes, ut verbo Dei audiendo sedulo assistant, Poenitentiae sacramentum frequentent, et Sanctissimae

[1] Haec documenta habentur praesertim in opere, cui titulus: *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, seu decreta, instructiones, rescripta pro apostolicis Missionibus*, Romae in typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide edita an. 1893.

Eucharistiae communione, pro suo quisque statu, de confessarii consilio reficiantur.

776. In erectionibus et aggregationibus confraternitatum, servandae sunt ad legitimitatem sequentes conditiones ab Apostolica Sede praescriptae, videlicet: 1° quod unica tantum confraternitas eiusdem instituti ac generis constitui et aggregari possit in ecclesiis tam saecularium quam regularium: 2° quod id fiat de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus eiusdem: 3° quod confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae Ordini vel archiconfraternitati instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea quibus per privilegium communicationis gaudet: 4° quod statuta confraternitatum examinentur atque approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint: 5° quod gratiae et indulgentiae confraternitati communicatae, praevia cognitione Ordinarii dumtaxat, promulgentur: 6° quod confraternitas eleemosynas excipiat et eroget, iuxta formam per Ordinarium praescribendam: 7° quod litterae creationis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede, etiam a sponte dantibus, sub praetextu quoque merae eleemosynae accepta, expediri et concedi debent; at solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, cordulis, cera, secretarii notariique labore vel mercede, aliisque omnibus, eam quantitatem quae non excedat summam libellarum *(seu francorum)* triginta, pro singula aggregatione vel institutione sive confirmatione, recipere liceat [1].

777. Ex speciali privilegio Apostolico, nonnullae

[1] Cfr. Const. Clem. VIII *Quaecumque*, 7 Dec. 1604. S. C. In-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Confraternitates erigi possunt in omnibus paroeciis etiam eiusdem loci, ut Sodalitates Sanctissimi Sacramenti, Doctrinae Christianae [1], Sacratissimi Cordis Iesu et Filiarum Mariae [2].

778. Nemini licet, inconsulto Episcopo, in sua dioecesi erigere et creare de novo Confraternitates mere dioecesanas vel alias. Absque delegatione Episcopi, nequit Vicarius Generalis, auctoritate ordinaria, erigere Confraternitates, earumque statuta approbare. Et absque speciali indulto apostolico, non potest Vicarius Generalis uti facultate erigendi Confraternitates cum indulgentiis, quae a Sancta Sede delegata fuerit Episcopo; neque potest valide concedere litteras testimoniales pro aggregatione obtinenda [3].

779. Ad tollenda quamplurima, quae exinde oriri possunt incommoda, neque in monasteriis Monialium neque in Communitatibus piarum feminarum quae scholas dirigunt, erigi possunt Confraternitates laicorum [4]. Haec tamen prohibitio non comprehendit puellas, quae, sub monialium aut religiosarum tutela, precibus et christianis operibus magna cum laude incumbunt; ut sunt prae caeteris *Filiae Mariae*.

780. Episcopus non potest mutare statuta Confraternitatum, quae confirmata fuerint ab Apostolica Sede. Potest tamen visitare omnes Confraternitates,

dulg. 22 Aug. 1842 (Decr. auth. n. 308, 312); 8 Ian. 1861 (n. 388). Cfr. Const. Leonis XIII *Ubi primum*, et Sum. Indulg. SS. Rosarii. V. Appen. n. CXII.

[1] S. C. Indulg. 22 Aug. 1842 (Decr. auth. n. 308).

[2] Pius VII, 23 April. 1805 (Mach, n. 392). Vid. Mocchegiani, n. 1728. S. C. Indulg. 30 Aug. 1866 (n. 416).

[3] S. R. C. 7 Oct. 1617 (n. 357); S. C. Indulg. 18 Augusti 1868 (n. 420).

[4] S. C. Indulg. 29 Febr. 1864 (n. 403).

sive mere dioecesanas, sive ab Apostolica Sede approbatas [1].

781. Confraternitates erectae in ecclesiis Regularium subiacent iurisdictioni Episcopi, una cum illarum capellis, in dictis ecclesiis Regularium existentibus, in iis tamen, quae Confraternitatum administrationem respiciunt [2]. Absque licentia Ordinarii, sodalibus non licet acceptare legata aliaque pia relicta cum perpetuo onere Missarum, anniversariorum et similium, in contrarium non obstante antiqua consuetudine [3]. Erectae autem in aliis ecclesiis subiacent iurisdictioni Episcoporum, quoad omnia.

782. In pia sodalitia illi cooptentur, qui honestam vitam agunt; et si qui ab instituto desciverint, a sodalium albo expungantur, praevia tamen generatim trina monitione, servatisque omnino propriis statutis, et salvo iure recursus ad Ordinarium. Sodales autem contumaciter in fide vel moribus scandalosi, praesertim qui solo matrimonio civili coniuncti sunt, vel qui nomen dederunt sectis ab Ecclesia prohibitis, omnino excludi debent a piis sodalitiis; et si qui admissi se emendare et scandalum reparare recusent, omnino dimittantur.

783. In tabulario Confraternitatum et aliarum piarum sodalitatum diligenter custodiantur libri, in quibus nomina sodalium, dies eorum cooptationis, resolutiones Congregationum et praesertim onera pia, legata et inventaria reditnum, bonorum sive mobilium sive immo-

[1] Cfr. Ferraris, verb. *Confraternitas*, art. 3; S. C. C. 23 Iun. 1719; S. C. EE. RR. 31 Iul. 1737 (ap. Mocchegiani, n. 1740 seq.).

[2] Cfr. Ferraris, verb. *Confraternitas*, art. 3; S. C. C. 23 Iun. 1719; S. C. EE. RR. 31 Iul. 1737 (ap. Mocchegiani n. 1740 seq.).

[3] S. C. C. 24 Martii 1725, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 7, n. 156. Vid. alia ibid. n. 157 seq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bilium et sacrarum supellectilium describantur, et Ordinario in sacra visitatione exhibeantur.

784. Nequeunt confratres libere quaestuare, tam intra ecclesiam quam extra, per civitatem et districtum, absque licentia Curiae Episcopalis; qua obtenta, quaestuare valent per parochiam irrequisito parocho [1]. Non possunt autem libere disponere de eleemosynis.

785. Sodales laici, etiam piae cuiuscumque Congregationis in honorem SS. Sacramenti specialiter institutae, ingredi nequeunt presbyterium, ibique per aliquod tempus orationi vacare; sed extra presbyterium paretur aliquod scamnum, ubi se sistere possint congregati tempore orationis [2].

786. Ad vitandas omnes controversias, quae inter parochos et Confraternitates laicorum earumque capellanos et officiales, super iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis nonnullisque praeeminentiis seu praerogativis oriri possunt, prae oculis habeatur et accurate servetur decretum *Urbis et Orbis*, a S. Congregatione Rituum editum die 10 Decembris 1703, et de speciali mandato Clementis XI promulgatum die 12 Ianuarii 1704, quod in Appendice inseri iussimus, quodque frequenter ab eadem S. Congregatione in suis responsionibus citatur [3].

787. Enixe commendamus Sodalitates *SS. Sacramenti, Doctrinae christianae, SS. Cordis Iesu, Immaculatae Conceptionis et Septem dolorum* eiusdem B. M. Virginis, *Filiarum Mariae*, nec non Sodalitates *pro animabus Purgatorii*, aliasque ab Ecclesia probatas, quae, inspectis omnibus loci et temporis circumstantiis,

1 S. R. C. 9 Iulii 1718, ad 13 (n. 2250).
2 S. R. C. 22 Ian. 1876, ad 3 (n. 3387).
3 Decreta authent. Congr. Sacr. Rit. n. 2123. V. Appen. n. V.

aptiores videantur ad spiritualem utilitatem fidelium. Summopere etiam commendamus *Apostolatum Orationis*, *Conferentias S. Vincentii a Paulo* et Pia Opera *Propagationis Fidei*, *Sanctae Infantiae et Scholarum Orientis*.

788. Quamvis Tertius Ordo S. Francisci, aut aliorum Ordinum, Confraternitatum conditionem non habeat, cum de vita religiosa quodammodo participet, et sodales tertiarii, proprii Ordinis habitu incedentes, praecedant omnes Confraternitates etiam SS. Sacramenti, ut pluries a Sancta Sede declaratum fuit; hoc tamen in loco illum opportune commendandum iudicamus, tamquam nobilissimum piarum Sodalitatum exemplar et christianorum morum tutamen. Quare omnes Episcopos his verbis SS. D. N. Leonis XIII hortamur: « Date operam ut (fideles) *Tertium Ordinem* vulgo noscant atque ex veritate aestiment: providete, ut qui curam gerunt animarum, doceant sedulo qualis ille sit, quam facile unicuique pateat, quam magnis in animarum salutem privilegiis abundet, quantum utilitatis privatim et publice polliceatur » [1].

789. Leges Tertii Ordinis, et praesertim Constitutio *Misericors Dei Filius*, data die 30 Maii 1883, circa Tertium Ordinem Franciscalem, accurate serventur. Ad dirimenda autem praecipua dubia, quae in erectione et moderatione Tertii Ordinis S. Francisci et aliorum Ordinum occurrere possunt, serventur resolutiones sacrarum Congregationum Urbis, praecipue decretum S. Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum, diei 31 Ian. 1893 [2].

1 Leo XIII. Encycl. *Auspicato*, 17 Sept. 1882.
2 V. Append. n. LXXVI.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT V.

De Institutis caritatis.

790. Insignia inter caritatis opera atque instituta merito habentur hospitales domus, quae pauperibus, peregrinis aegrotisque hominibus, nec non pueris ac senibus indigentibus seu derelictis excipiendis, iuvandis recreandisque, vel a prima Ecclesiae aetate, sunt erectae ac tantopere commendatae. Illae igitur, quas pia maiorum religio erexerat et temporum calamitate hic illic perierunt, vel quae, in egestatem redactae, pauperum solamini ereptae fuerunt, pro viribus instaurentur vel aliae erigantur, ad praesentes necessitates pauperum tum spirituales tum temporales accommodatae, implorata catholicorum liberalitate. *Beatus* enim, *qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus* (Ps. XL, 1).

791. Administratores, tam ecclesiastici quam laici, hospitalium, confraternitatum, eleemosynarum, montis pietatis, et quorumcumque piorum locorum, singulis annis, teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, ad mentem Concilii Tridentini. Quod si ex consuetudine aut privilegio, aut ex constitutione, aliis ad id deputatis ratio sit reddenda, tunc cum his adsit Ordinarius vel ipsius delegatus [1].

792. Si loca pia per vim maiorem bona immobilia vel mobilia amittant, administratores aliique ad quos spectet, ea ne sibi eripiantur, etiam via iudiciaria, satagant; neque unquam cessent divino cultui et operibus caritatis, quoad poterunt, vacare, et officiis christianis et proximorum aedificationi studere. Et si quos libros vel documenta fisco tradere cogantur, non exhibeant nisi emissa protestatione, et servatis eorumdem exemplaribus. Nemini vero liceat sine proprii Ordinarii licentia assumere et exercere officium administratoris locorum piorum a civili auctoritate demandatum, nisi stetur conditionibus ab eodem Ordinario statutis [1].

[1] Cfr. Conc. Trid. sess. 22. c. 9 de ref.

CAPUT VI.

De Denario Sancti Petri.

793. *Denarium Sancti Petri*, quo fideles gravissimis indigentiis Romani Pontificis subveniunt, religio commendat et ratio suadet: « *Naturalis enim ratio dictat*, ait S. Thomas [2], *ut illi, qui habet curam de communi multitudinis statu, provideatur de bonis communibus, unde possit exequi ea, quae pertinent ad communem salutem.* » Unde antiquissimus fuit in Ecclesia usus piarum collectarum ad subsidia pecuniaria pro Pontifice Summo indigente comparanda.

794. Igitur, cum, ex temporum calamitate et impiorum malitia, multiplicentur in dies indigentiae Supremi Ecclesiae Patris ac Pastoris, multiplicari etiam debent piae fidelium largitiones, quibus dum mitigatur egestas augusta Pontificis Maximi, mirifice promoventur saluberrimi fructus apostolatus tum inter fideles tum inter infideles, et confunduntur proposita sectariorum, qui salutiferam actionem et influxum, uti dicunt, Supremi Pontificatus ad nihilum reducere vellent, aut saltem inefficacem reddere.

[1] Cfr. Encycl. S. C. EE. et RR. 18 Sept. 1891 (Mon. Eccl. VII. p. 1. pag. 197), et Synod. Dioec. Ostien. et Velitern. a. 1892, p. 4. art. 10.
[2] S. Th. 2. 2. q. 87. a. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

795. Quapropter hortamur omnes, qui Ecclesiam Catholicam matrem et Romanum Pontificem patrem habere gloriantur, ut, si possint, saltem semel in anno, aliquod subsidium respectivis parochis vel Episcopis offerant pro Denario Sancti Petri. Qua in re, omnes animarum pastores et alii Dei ministri verbo et exemplo caeteris fidelibus praecedant. Et sane, sicut filii patri naturali subministrare debent alimenta, ut lex naturae docet, utque iura omnia sanciunt, ita etiam patrem et matrem spiritualem filii spirituales iuvare tenentur, eisque subsidia non negare.

796. Singulis annis, tempore et modo Episcopis bene viso, fiat collecta pro Denario Sancti Petri, et communes fidelium oblationes tuto et directe ad Romanum Pontificem per respectivos Ordinarios transmittantur.

CAPUT VII.

De Seminario Pio-Latino-Americano Urbis fovendo et sustinendo.

797. Ad spiritualem utilitatem totius Americae Latinae, enixe commendamus Seminarium Pio-Latino-Americanum, in quo multi et praeclari evangelici praecones et animarum rectores, in Urbe totius christiani orbis principe et sub ipsis Romanorum Pontificum oculis, educati fuerunt, plurimique futuri illorum imitatores educantur. Igitur ab omnibus nostrarum Provinciarum Episcopis tuendum fovendumque esse mandamus; et in illud mitti debere volumus illos tantum alumnos, qui non modo bona corporis sanitate fruantur, sed quibus praeterea sit et animi robur et ingenii acumen.

798. Omnes Curiae Episcopales fideliter singulis annis solvere curent tributa a Sancta Sede pro sustentatione praefati Seminarii statuta, quae quidem solutio sub gravi debetur, neque ex toto vel ex parte omitti potest, absque speciali indulto Apostolico. Quapropter, in omnibus Curiis Dioecesanis habeatur liber specialis, in quo omnia tributa laudato Seminario sive solvenda sive iam soluta accurate notentur, ut, vacante Sede, Vicarius Capitularis et deinde novus Episcopus perfecte sciant an et quantum sive solutum sive solvendum sit [1].

CAPUT VIII.

De collectionibus eleemosynarum ab Ecclesia commendatis.

799. Laudabiles sunt collectae in Ecclesia fieri solitae, dicente Apostolo (1. Cor. XVI. 1): *De collectis autem, quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiae, ita et vos facite.* Igitur licitae sunt et omnino commendabiles omnes illae publicae collectiones eleemosynarum, quae, legitima de causa ab auctoritate ecclesiastica probata, fiunt, in pios usus erogandae, scilicet ad opera religionis et caritatis, seu ad necessitates tum spirituales tum temporales sublevandas; quibus collectis lex eleemosynae privatim pauperibus impertiendae non solum non debilitatur, sed mirifice confirmatur. Improbamus collectiones eleemosynarum, quae sub nomine chorearum caritatis « *Bailes de caridad* » vitium constituunt contrarium verae caritati, quae morum honestatis et christianae moderationis nutrix ac tutrix existit, non autem mundanae dissolutionis. Idem dicendum est de mundanis spectaculis theatralibus et taurorum exercitationibus, sub eodem praetextu peractis.

800. Inhaerentes canonicis praescriptionibus et pra-

[1] V. Appen. n. XXII; XXVII; LXXXV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vos eleemosynarum quaestorum abusus tollere volentes, prohibemus, ne clerici aut laici ad officium huiusmodi exercendum admittantur et eleemosynas colligant pro ecclesiis aut piis operibus, sine expressa Ordinarii licentia, salvis privilegiis a Sancta Sede concessis, de quorum authenticitate omnino constet.

801. Si quis quaestor absque debita licentia colligat oblationes, opportune per parochos vel per Curiam Dioecesanam moneatur populus fidelis, ut ei eleemosynas non suppeditet.

802. Collectores venientes ex alienis nationibus americanis non admittantur, nisi authentico et indubitato documento commendabiles dicantur, tamquam vera religiositate ac probitate praediti et legitimo mandato muniti. Si vero ex regionibus ultramarinis vel pro piis operibus ultramarinis huiusmodi collectores deputati dicantur, nullatenus admittantur, nisi authentice constet tum de mandato proprii Ordinarii, tum de licentia S. Congregationis de Propaganda Fide, si de locis eius iurisdictioni subiectis, vel alterius Romanae Congregationis, si de aliis locis agatur [1].

803. Quoniam collectiones eleemosynarum, ad pias causas particulares extra dioecesim existentes, novissimis hisce temporibus, in regionibus nostris, quam maxime multiplicatae, gravi nocumento esse possunt dioecesanis operibus caritatis et religionis, mandamus, ut, praeter requisita in art. praecedenti, Episcopi opportunas normas in singulis casibus praescribant.

804. Quotannis fiat collecta pro Terra Sancta, ad normam Litterarum Apostolicarum SS. D. N. Leonis XIII *Salvatoris*, diei 26 Dec. 1887 [2], quibus praescribitur, ut

[1] V. Appen. n. LXXX, ubi de sacerdot. oriental.
[2] Coll. P. F. n. 1638.

« totius terrarum orbis locorum Ordinarii sub sanctae obedientiae vinculo curare teneantur, ut respective, in cuiuscumque Dioecesis parochiali Ecclesia, una saltem singulis annis vice, nempe Feria Sexta Maioris Hebdomadae, vel alio ad uniuscuiusque Ordinarii lubitum similiter semel tantum quotannis eligendo die, fidelium caritati Sanctorum Locorum necessitates proponantur. Pari autem auctoritate expresse interdicimus atque prohibemus, ne quis audeat vel praesumat eleemosynas pro Terra Sancta quomodolibet collectas in alios usus convertere atque immutare. Propterea iubemus collectas, ut superius dictum est, eleemosynas, Parochum Episcopo, Episcopum tradere proximiori Ordinis S. Francisci pro Terra Sancta Commissario, hunc autem curare volumus ut eaedem quam citius Hierusalem ad Sanctorum Locorum Custodem, ut moris est, transmittantur ».

805. Similiter, ad normam Litterae Encyclicae SS. D. N. Leonis XIII *Catholicae Ecclesiae*, diei 20 Novembris 1890, quotannis, qua die in quibusque locis Epiphaniae Domini celebrantur mysteria, in subsidium operis pro Afris a servitute liberandis, et ad doctrinam Christi adducendis pecunia, stipis instar, corrogetur in ecclesiis et sacellis Episcoporum iurisdictioni subiectis, in singulis Dioecesibus. Pecunia autem praedicta die collecta Romam mittatur ad S. Congregationem de Propaganda Fide.

806. Commendamus pariter collectas pro piis operibus *Propagationis Fidei, Sanctae Infantiae, Scholarum Orientis*, nec non pro *Conferentiis S. Vincentii a Paulo*, aliasque praesertim, quae respiciunt conservationem et praeservationem fidei inter aborigines uniuscuiusque dioecesis.

807. Monemus autem collectores, parochos et offi-

ciales Curiarum Episcopalium, nemini licere, contra canonicas praescriptiones, absque speciali licentia Sanctae Sedis, partem aliquam eleemosynarum ad determinatum pium opus collectarum, ad alia pia opera sive dioecesana sive extradioecesana adhibere; sed eleemosynas omnes erogandas esse iuxta praescripta canonica, vel designationem Sanctae Sedis, vel dantium intentionem, servatis de iure servandis.

808. In eleemosynis colligendis sive in collectis faciendis, ut omnis abusus vitetur, nemo publice per vias et domos eleemosynas pro aliquo pio fine colligere audeat, absque licentia scripta Ordinarii loci, in quo eleemosynae colliguntur. Quae ordinatio ipsos quoque Regulares et personas religiosas comprehendit, salvis tamen privilegiis, quae Ordinibus mendicantibus sunt concessa. Praeterea, ad collectionem eleemosynarum nunquam personae deputentur, quae notorie non sint piae et honestae. In modo autem petendi eleemosynas ad opera pia, omnia sedulo vitentur, quae inhonesta sunt, quaestum sapiunt, populi christiani pietatem laedunt. Quare Ordinariorum erit, abusus, qui forte irrepserint in eleemosynis istis colligendis, omni studio eliminare. Si vero extra Ecclesiam fieri non possit collectio eleemosynarum, licita erit vel ad ianuam Ecclesiae vel intra illam, sive per clericum sive per laicum ad hoc deputatum, dummodo ordinationes ab Episcopo datae accurate observentur. Quoad Sorores eleemosynarum collectrices, servetur decretum *Singulari quidem* S. Congregationis Episcoporum et Regularium, diei 27 Martii 1896 [1].

[1] V. Appen. n. LXXXIX.

TITULUS XII.

DE MODO CONFERENDI ECCLESIASTICA BENEFICIA

CAPUT I.

De subiecto Beneficiorum.

809. In conferendis beneficiis ecclesiasticis, et praesertim parochialibus ecclesiis, personis dignis et habilibus, quae in loco residere et per se ipsos curam exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexandri III in Lateranensi, et Gregorii X in Lugdunensi generalibus Conciliis, ac Innocentii similiter III et aliorum Romanorum Pontificum editae Constitutiones testantur [1]. Et sanctae Tridentinae Synodi decretis provide consultum est, regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas, a puerilibus exordiis ad perfectiores annos, per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios provectione, ac potiori doctrinae, morum, ac diuturni laboris suffragio, nefas esset dubitare [2].

810. Non sufficit igitur indignorum exclusio, sed requiritur accurata dignorum electio vel designatio; et contraria praxis ab Ecclesia damnata fuit, ut sapienter

[1] S. Pius V. Const. *In conferendis*, 18 Mart. 1567.
[2] Bened. XIV. Const. *Cum illud*, 14 Dec. 1742.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ciales Curiarum Episcopalium, nemini licere, contra canonicas praescriptiones, absque speciali licentia Sanctae Sedis, partem aliquam eleemosynarum ad determinatum pium opus collectarum, ad alia pia opera sive dioecesana sive extradioecesana adhibere; sed eleemosynas omnes erogandas esse iuxta praescripta canonica, vel designationem Sanctae Sedis, vel dantium intentionem, servatis de iure servandis.

808. In eleemosynis colligendis sive in collectis faciendis, ut omnis abusus vitetur, nemo publice per vias et domos eleemosynas pro aliquo pio fine colligere audeat, absque licentia scripta Ordinarii loci, in quo eleemosynae colliguntur. Quae ordinatio ipsos quoque Regulares et personas religiosas comprehendit, salvis tamen privilegiis, quae Ordinibus mendicantibus sunt concessa. Praeterea, ad collectionem eleemosynarum nunquam personae deputentur, quae notorie non sint piae et honestae. In modo autem petendi eleemosynas ad opera pia, omnia sedulo vitentur, quae inhonesta sunt, quaestum sapiunt, populi christiani pietatem laedunt. Quare Ordinariorum erit, abusus, qui forte irrepserint in eleemosynis istis colligendis, omni studio eliminare. Si vero extra Ecclesiam fieri non possit collectio eleemosynarum, licita erit vel ad ianuam Ecclesiae vel intra illam, sive per clericum sive per laicum ad hoc deputatum, dummodo ordinationes ab Episcopo datae accurate observentur. Quoad Sorores eleemosynarum collectrices, servetur decretum *Singulari quidem* S. Congregationis Episcoporum et Regularium, diei 27 Martii 1896 [1].

[1] V. Appen. n. LXXXIX.

TITULUS XII.

DE MODO CONFERENDI ECCLESIASTICA BENEFICIA

CAPUT I.

De subiecto Beneficiorum.

809. In conferendis beneficiis ecclesiasticis, et praesertim parochialibus ecclesiis, personis dignis et habilibus, quae in loco residere et per se ipsos curam exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexandri III in Lateranensi, et Gregorii X in Lugdunensi generalibus Conciliis, ac Innocentii similiter III et aliorum Romanorum Pontificum editae Constitutiones testantur [1]. Et sanctae Tridentinae Synodi decretis provide consultum est, regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas, a puerilibus exordiis ad perfectiores annos, per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios provectione, ac potiori doctrinae, morum, ac diuturni laboris suffragio, nefas esset dubitare [2].

810. Non sufficit igitur indignorum exclusio, sed requiritur accurata dignorum electio vel designatio; et contraria praxis ab Ecclesia damnata fuit, ut sapienter

[1] S. Pius V. Const. *In conferendis*, 18 Mart. 1567.
[2] Bened. XIV. Const. *Cum illud*, 14 Dec. 1742.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

monet Benedictus XIV dicens: « Quia vero perniciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non praescriptam esse dignioris electionem, sed caveri tantummodo, ne indignis ecclesiae parochiales aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur, s. m. Innocentius XI, Praedecessor Noster, erroneam doctrinam a vera et sincera Patrum mente longius deflectentem damnavit, et edocuit quam prudens ac diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio » [1].

811. Quapropter, quicumque ad praesentationem, designationem, nominationem, admissionem vel confirmationem huiusmodi beneficiatorum concurrere debet, seu ius patronatus legitimum habet, sedulo perpendat gravissima haec verba laudati Benedicti XIV, scilicet: « Nihil gravius toto vitae cursu ipsi evenire posse, quam probatissimum hominem parochiae praeficiendum suis suffragiis renuntiare... Ob eam causam non esse temere festinandum, sed assiduis precibus exorandum Deum, ut coeleste lumen liberaliter impertiat... Nam sicuti detrimenta omnia, quae ab imperitis medicis, nautis atque imperatoribus dimanant, ad illos, a quibus electi sunt, merito referuntur, ita, qui privatis suis cupiditatibus obsecundans, sacerdotem idoneum omnique laudis genere praestantem negligit, aliumque suffragio suo nuncupat ad animarum regimen minus accommodatum, malorum omnium, quae inde consequentur, velut auctor a Deo iudicabitur. Bona vero, quae praestantior sacerdos excitasset, si ipsi parochiae administratio delata fuisset, ab iis severissime Deus exiget, qui suffragium impertiri recusarunt. Hanc sententiam pietatis Magister

[1] Bened. XIV. Const. *Cum illud*, 14 Dec. 1742.

Ludovicus Granatensis scriptam reliquit: *Praeferens indignum reus est omnium animarum, quae ob eius indignitatem periclitantur; reus est omnium flagitiorum, quae ex hoc crimine consequuntur; reus denique omnium, aut eleemosynarum aut aliorum bonorum, quae boni Rectoris studio perficerentur* » [1]. Et ovium Christi sanguinem, quae ex malo negligentium et sui officii immemorum pastorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus de manibus eorum est requisiturus [2].

812. Candidati autem, propriam idoneitatem ad normam iuris et ecclesiasticae modestiae comprobaturi, « verecunde, divinique obsequii desiderio, et salutis animarum causa solum adducti, suae virtutis testimonia proferant, et voluntatem obtinendae parochiae declarent, si bene atque utiliter *parochianis* ita consulatur; deinde curas abiiciant, omnemque rei exitum ad supremam Dei providentiam penitus referant » [3].

813. Magistratus autem vel alii, si qui sint, quibus forte ius patronatus vel praesentationis ad aliqua beneficia competit, omnino abstineant a promissionibus circa beneficia nondum vacantia; et sciant huiusmodi promissa, adveniente etiam vacatione, nullius ponderis esse. Caeterum neminem recte iudicantem latet, « non sine piaculo huiusmodi nominationes amicitiae, aut cognationis habita ratione, fieri, sed unice spectandum esse, an cum Dei obsequio et Ecclesiae utilitate coniungantur » [4].

814. Potentes vero et magnates huius saeculi omnino abstineant ab importunis precibus circa bene-

[1] Bened. XIV. Instit. 12. n. 3-5.
[2] Conc. Trid. sess. 24. cap. 1 de ref.
[3] Bened. XIV. Instit. 12. n. 11.
[4] Bened. XIV. Ibid. n. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ficia conferenda, dicente Benedicto XIV cum Angelico Doctore: « Quando fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo potente, qui periculum comminatur, quae *preces armatae* dicuntur, manifeste simonia committitur, si propter hoc beneficium ecclesiasticum datur; si autem pro digno fiant... si tamen principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis, quantum ad divinum iudicium, simoniam committit et rogatus et rogans, si hoc intendat, sive aliquis pro se roget, sive pro alio » [1]. Unde, si grave foret peccatum Praelati, qui ad aliquod beneficium conferendum principaliter moveretur favore precum vel timore rogantis, sine comparatione gravius esset peccatum huiusmodi potentatuum, qui conscientiae et auctoritati Praelatorum vel aperte vel, quod damnabilius quodammodo est, indirecte et per obliquum violentiam inferrent; nec eos excusarent, immo moralis violentiae reatum aggravarent, rationes quae dicuntur *politicae* vel *Status*: et gravissimum undequaque dicendum esset crimen Clericorum, qui pro beneficio obtinendo ad huiusmodi intercessiones recurrerent.

815. Denique meminerint omnes Clerici protectionem potentatuum quaerentes, eorumque iniusti protectores, excommunicationi latae sententiae, Romano Pontifici reservatae, subiacere: « Reos simoniae realis in beneficiis quibuslibet, eorumque complices » [2]. Igitur, si quis Clericus, quod Deus avertat, hac labe infectus fuerit, et realem simoniam sibi condonari voluerit, ante omnia hoc monitum perpendat et citissime executioni mandet, scilicet: « *Dimittat, moneat, restituat;* videlicet *dimittat* beneficium, quod malis artibus acquisivit; *moneat* eum, qui pretium accepit, ut illud in Ecclesiae

[1] Ben. XIV. Inst. 12. n. 12.
[2] Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis.*

vel egenorum commodum convertat; *restituat* fructus omnes, quos ab Ecclesia perceperit » [3].

CAPUT II.

De Beneficiis parochialibus.

816. Episcopus unicuique parochiae vel determinatis paroeciis, si id paucitas sacerdotum exigat, suum parochum assignet [4], ita ut « nullus alterius parochiae terminos aut ius invadat; sed sit unusquisque suis terminis contentus, et taliter Ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal aeterni Iudicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat; et non iudicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat » [5].

817. Quoad resignationes autem paroeciarum titulo inamovibili collatarum, « Episcopi et alii facultatem habentes, eorum dumtaxat resignationes recipere et admittere possint, qui, aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti vel vitiati, aut crimini obnoxii censurisque ecclesiasticis irretiti, nequeunt aut non debent ecclesiae vel beneficio inservire..., qui etiam, ob capitales inimicitias, nequeunt vel non audent in loco beneficii residere securi » [6]; caeterique de quibus agitur in Constitutione S. Pii V. *Quanta Ecclesiae Dei*. « Sed nec horum ullus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus, valeat ullo modo beneficium vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari. Ad haec, beneficiorum et

[3] Bened. XIV. Institut. 12. n. 12.
[4] Conc. Trid. sess. 24. c. 13 de ref.
[5] Cap. *Ecclesias*, caus. 13. q. 1.
[6] S. Pius V. Const. *Quanta Ecclesiae Dei*, 1 April. 1568.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

officiorum permutationes admittere, quae canonicis sanctionibus et apostolicis constitutionibus permittuntur » [1].

818. Sicubi aliqui ex Parochis titulo inamovibili donati tali abutantur conditione ut turpiter et scandalose vivant, postquam praemoniti fuerint, Episcopi eos coërceant, ac castigent; et, si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, iuxta sacrorum Canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant [2]. Quando vero ob imperitiam, et inidoneitatem, vel ex gravi odio et aversione plebis, parochus paroeciae suae amplius consulere non potest, tunc, per oeconomicam provisionem, ab exercitio muneris parochialis removeri potest etiam invitus, sive ad tempus sive in perpetuum, prout natura impedimenti postulet, retento tamen beneficio: quo in casu, per Oeconomum seu Coadiutorem pleno iure paroecia regenda erit, servatis de iure servandis quoad congruam ab Ordinario designandam. Talium vero Oeconomorum seu Coadiutorum designatio a solo Ordinario fiat, non autem a parocho, qui a sua parochia quacumque de causa separetur [3].

819. Ut autem omnes, ad quos spectat, normam habeant tutam ad dignoscendas causas privationis paroeciarum, ubi titulo inamovibili habeantur, imprimis attendant necesse est causas in iure communi et praesertim in Concilio Tridentino (*sess. 21. cap. 6. de ref.*) iam expressas, propter quas privatio officii et beneficii parochialis, sive ipso facto incurrenda, sive per sententiam condemnatoriam infligenda statuitur.

820. Praeterea implorata, quatenus opus sit, Apostolica declaratione pro tota America Latina, causae *speciales* privationis ab officio et beneficio parochiali nominatim declarantur sequentes:

I. Publica, perdurans graviterque culpabilis infamatio quoad mores sacerdotales, etiam post legitimam admonitionem non correctos, qua cura animarum grave damnum patiatur;

II. Temeraria et post legitimam monitionem contumaciter repetita ad matrimonium admissio eorum, qui publicis impedimentis rite non dispensatis detinentur;

III. Omissio temeraria instructionis catecheticae, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, per maiorem anni partem, et post legitimam monitionem pertinaciter continuata. Item temeraria et post legitimam monitionem iterata negligentia in administratione Sacramentorum fidelibus in articulo mortis constitutis, etiam ex sola causa distantiae ab ecclesia parochiali admissa;

IV. Gravis, publica et post legitimam monitionem repetita iniustitia et inobedientia in exigendis taxis, praesertim occasione matrimoniorum contrahendorum aut funerum, contra leges dioecesanas de taxis latas;

V. Gravis, publica, per maiorem anni partem temere protracta, atque post legitimam admonitionem pertinaciter continuata, negligentia spiritualis curae et institutionis christianae Indis et Nigritis paroeciae, impendendae secundum normas in legibus dioecesanis praescriptas.

821. Quod si, ullo in casu, ex hisce legitimis causis, ad privationem ab officio et beneficio parochiali procedatur, id nunquam fiat, nisi servata forma canonica saltem processus summarii, confecti ad tramites Instructionis S. Congregationis Episcoporum et Regularium, diei 11 Iunii 1880 [1].

[1] S. Pius V. Const. *Quanta Ecclesiae Dei*, 1 April. 1568.
[2] Conc. Trid. sess. 21. cap. 6 de ref.
[3] Cfr. Conc. Trid. ibid.

[1] V. Appen. n. XLV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT III.

De lege concursus.

822. Cum in pluribus regionibus nostris perdifficilis sit celebratio concursuum, pro collatione beneficiorum praesertim parochialium, volumus ut, in huiusmodi regionibus, implorata Apostolicae Sedis venia, omnes paroeciae titulo amovibili conferantur.

823. Quoad regiones vero ubi concursus de iudicio Episcoporum Provinciae haberi possunt, serventur normae a Sancta Sede praescriptae (imploratis, si opus fuerit, apostolicis indultis quoad modum), praesertim Constitutiones S. Pii V, *In conferendis*, et Benedicti XIV, *Cum illud* [1].

[1] V. Appen. n. XII.

TITULUS XIII.

DE IURE ECCLESIAE ACQUIRENDI ET POSSIDENDI BONA TEMPORALIA

CAPUT I.

De iure Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia.

824. Ecclesia Catholica, cum sit societas visibilis atque perfecta, quae ad fines sibi proprios necessario indiget bonis temporalibus, ius quoque habet nativum et legitimum acquirendi et possidendi bona temporalia [1].

825. Quod ius Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia, ex natura rei et fine proprio, minime ad sola bona mobilia est limitatum, sed ad immobilia quoque bona extenditur. Quare Ecclesiae iura eiusque libertatem graviter laedunt, qui facultatem eidem denegant acquirendi servandique bona immobilia, ad normam sacrorum Canonum.

826. Quoad modos acquirendi dominium, nemini dubium esse potest Ecclesiam omnibus illis modis bona temporalia acquirere posse, a quibus quilibet homo honestus ac dominii capax non est exclusus. Nulla

[1] Syllab. Pii IX, prop. 26-27.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT III.

De lege concursus.

822. Cum in pluribus regionibus nostris perdifficilis sit celebratio concursuum, pro collatione beneficiorum praesertim parochialium, volumus ut, in huiusmodi regionibus, implorata Apostolicae Sedis venia, omnes paroeciae titulo amovibili conferantur.

823. Quoad regiones vero ubi concursus de iudicio Episcoporum Provinciae haberi possunt, serventur normae a Sancta Sede praescriptae (imploratis, si opus fuerit, apostolicis indultis quoad modum), praesertim Constitutiones S. Pii V, *In conferendis*, et Benedicti XIV, *Cum illud* [1].

[1] V. Appen. n. XII.

TITULUS XIII.

DE IURE ECCLESIAE ACQUIRENDI ET POSSIDENDI BONA TEMPORALIA

CAPUT I.

De iure Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia.

824. Ecclesia Catholica, cum sit societas visibilis atque perfecta, quae ad fines sibi proprios necessario indiget bonis temporalibus, ius quoque habet nativum et legitimum acquirendi et possidendi bona temporalia [1].

825. Quod ius Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia, ex natura rei et fine proprio, minime ad sola bona mobilia est limitatum, sed ad immobilia quoque bona extenditur. Quare Ecclesiae iura eiusque libertatem graviter laedunt, qui facultatem eidem denegant acquirendi servandique bona immobilia, ad normam sacrorum Canonum.

826. Quoad modos acquirendi dominium, nemini dubium esse potest Ecclesiam omnibus illis modis bona temporalia acquirere posse, a quibus quilibet homo honestus ac dominii capax non est exclusus. Nulla

[1] Syllab. Pii IX, prop. 26-27.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

igitur ratione prohibetur, quominus per occupationem, accessionem, praescriptionem, contractus, dominium bonorum temporalium acquirat. Inter istos autem modos magis expedire in praxi videntur liberales oblationes fidelium, fundationes piae, legata et testamenta ad causas ecclesiasticas.

827. Bona temporalia ab Ecclesia acquisita, cum, ex intentione sive dantium sive Ecclesiae, ad fines sacros destinentur, atque vere et proprie in dominio sacrarum personarum existant vel Ecclesiae vel Institutorum ecclesiasticorum, sine sacrilegio invadi, rapi et ad usus profanos converti nequeunt. Unde secundum Tridentinum excommunicationis poena, ipso facto incurrenda ac Summo Pontifici reservata, in eos infligitur qui, ausu prorsus sacrilego, cuiusque ecclesiae aut pii loci bona invadere vel usurpare vel ea emere ab usurpatoribus [1] non reformident; a qua non liberantur quamdiu Ecclesiae non satisfecerint, ac deinde absolutionem non obtinuerint [2]. Quam poenam Pius IX confirmavit in Constitutione *Apostolicae Sedis*.

828. Omnia bona temporalia, quae ex legitimis titulis huc usque recensitis ab Ecclesia acquiruntur, sub suprema potestate et tutela Romani Pontificis, quae interdum altum rerum ecclesiasticarum dominium appellatur, sunt constituta. At utile et directum dominium bonorum ecclesiasticorum pertinet ad illas ecclesias particulares vel instituta ecclesiastica vel causas et societates pias, quibus in foro ecclesiastico tituli possessionis addicti sunt [3]. Quod si instituta illa ecclesiastica, ex iure civili alicuius reipublicae, per summam iniuriam,

[1] S. Off. 8 Iulii 1874 (Coll. P. F. n. 1631).
[2] Conc. Trid. sess. 22. cap. 11 de ref.
[3] Conc. Prov. Neo-Granat. an. 1868, tit. 9. cap. 1.

non admittuntur tamquam subiecta capacia possidendi bona temporalia, Episcoporum vel aliorum competentium Praelatorum ecclesiasticorum erit, consultis viris in iure civili peritis, et approbante Sede Apostolica, eos definire modos, quibus per titulos iure civili validos assecurentur bona ecclesiastica.

CAPUT II.

De bonis mobilibus.

829. Oblationes fidelium, quemadmodum sunt antiquissimus fons proventuum ecclesiasticorum, ita menti Ecclesiae atque pietati et caritati Christifidelium maxime sunt conformes. Decet enim, ut christiani, aequitate et caritate erga pastores suos et pauperes ducti, atque reverentia in cultum divinum excitati, potius sponte bona temporalia Ecclesiae afferant, quam legibus atque poenis ad ea praestanda compellantur. Quae oblationes, quamvis saepissime sint liberae, tamen non raro etiam stricta obligatione a fidelibus sunt dandae. Id quod potissimum obtinet, si oblatio debetur per modum census vi conventionis antea factae, aut propter votum vel testamentum vel legatum, aut ob cultum divinum, pauperum subsidium, ministrorum Ecclesiae sustentationem, si aliunde non sit provisum, aut ex consuetudine legitime praescripta, aut expressa legis ecclesiasticae sanctione. Etenim ipso iure naturali obligantur fideles, ut ad sustentationem Cleri aliasque Ecclesiae necessitates suis oblationibus pro viribus concurrant. Hinc Ecclesia, auctoritate sua, oblationes illas praescribere et exigere potest, quas singuli

fideles, iuxta mensuram ab Ecclesia definitam, solvere tenentur [1]. In nostris autem regionibus Ecclesia haud raro destituta est reditibus, quos ex fundationibus stabilibus pro clericis, cultu divino, seminariis, hospitalibus aliisque piis operibus percipere possit; firma igitur manet obligatio fidelium pro viribus et ex aequa Episcoporum determinatione solvendi contributiones sibi impositas ad onera Ecclesiae sustentanda. Attamen firmiter speramus, ut fideles, pro avita sua pietate et liberalitate, spontaneis oblationibus Ecclesiae concedant, quod ipsa optimo iure postulare posset [2]. Ne autem inanes fiant fidelium donationes, ad ecclesias aliaque pia loca instituenda in regionibus Missionum, videlicet quando in praefatis Missionibus verae paroeciae erigi poterunt et Ordinario tradi, volumus ut, in omnibus huiusmodi fundationibus, dotationibus etc. ecclesiarum et piorum locorum, specialis inseratur clausula, qua expressis verbis declaretur omnimodae Episcoporum iurisdictioni, proprietati et liberae administrationi tradenda fore omnia bona mobilia Missionis, quando ipsae Missiones in paroecias ordinarias constitui contigerit, servatis normis in Constitutione *Romanos Pontifices* praescriptis.

830. Oblationes mere voluntariae, quae etiam nunc sive in ecclesia parochiali sive in aliis ecclesiis vel sacellis fiunt, impendantur iuxta intentionem offerentium. Quod si de particulari offerentium intentione non constet, distributio oblationum pro prudenti arbitrio Ordinarii fiat. Administratio huiusmodi voluntariarum oblationum pertinet ad parochum, nisi ecclesia vel sacellum proprium habeat administratorem. Talis autem

[1] S. Poenit. 25 Aug. 1887 (Mon. Eccl. V. p. 1. pag. 150).
[2] V. Appen. n. CXXVII.

administrator approbatus sit oportet ab Ordinario, cui etiam rationem de administratione reddere debet.

831. *Iura stolae*, sicuti optimo iure, iuxta laudabiles consuetudines [1], occasione quarumdam sacrarum functionum, veluti baptismi, benedictionis matrimonii, sepulturae, parochis solvenda sunt, ita a vere pauperibus perperam expetuntur, et summo cum scandalo atque animarum pernicie sub comminatione dilationis baptismi vel benedictionis matrimonii exiguntur vel extorquentur, aut privato arbitrio ad sacras functiones ab omni taxa immunes, contra canonicas sanctiones, extenduntur. Quare inprimis, in omnibus et singulis dioecesibus, taxae, occasione sacrarum functionum solvendae, ab Ordinariis locorum iuxta laudabiles consuetudines accurate definiantur atque specialibus decretis vel ordinationibus tum viris ecclesiasticis tum fidelibus apta ratione notificentur. Et ipsi Ordinarii, inspectis populi cui praesunt moribus et indole, statuent, ubi opus fuerit, quinam dicendi sint vere pauperes, in ordine ad solutionem taxarum. Sedulo omnino curandum, ut omnis avaritia et simonia, vel quoad ipsam speciem, a viris ecclesiasticis longe absit. Hinc nemo unquam vere pauperem, propter incapacitatem ad solvendum ex quocumque titulo oblationem, a sepultura in coemeterio benedicto atque a quibuscumque functionibus sacris, quas merito expetit, repellere audeat. Districte vero prohibetur parochis et quibuslibet confessariis, sub quocumque praetextu aliquid exigere pro audienda confessione cuiuslibet fidelis, sive sani sive infirmi vel moribundi, adeo ut has oblationes susceptas suas facere non possint. Quod si fideles ad solvendum sint pares,

[1] Cap. 42. de simon.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

multoque magis si divites sint, atque extraordinaria postulent, taxas praescriptas pro sepulturis omnino solvere tenentur. Similiter non prohibetur quominus parochus, pro more recepto, eleemosynam accipiat a mulieribus post partum ad ecclesiam accedentibus, vel ob recitationem responsorii pro defuncto, praesertim die Commemorationis omnium fidelium defunctorum; dummodo, praecipue in ista responsoriorum recitatione, sacerdotalis dignitas servetur, et omnis species avaritiae atque scandalum fidelium vitetur.

832. *Decimae*, praediales sive reales, ubicumque legitime abrogatae vel commutatae non fuerint, ab omnibus, qui obligantur, integre, legitimo tempore et loco, iuxta probatas consuetudines particulares, iis sunt solvendae, quibus debentur. Quae obligatio adeo gravis est, ut, ex iure Tridentino, qui decimas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicandi sint, neque ab hoc crimine absolvendi, nisi plena restitutione secuta. Ubi vero, attentis praesentis temporis conditionibus, difficultas in casibus particularibus ex decimarum solutione oriatur, ad Episcopum est recurrendum, ut is, pro facultatibus quas a Sede Apostolica obtinuerit, congruum remedium per conventiones ineundas afferat.

833. Meminerint quoque fideles, qui ad solvendas decimas praediales non tenentur, ipsorum obligationem solvendi decimas personales pro sublevandis Ecclesiae necessitatibus, iuxta mensuram ab Episcopis stabilitam vel stabiliendam, ex disciplina apud nos vigente non esse sublatam.

834. Primitiae, secundum normas per laudabiles consuetudines statutas et ab Episcopis approbatas, omnino conserventur atque praebeantur.

CAPUT III.
De bonis immobilibus.

835. Inter bona immobilia Ecclesiae, quae rebus benedictione vel consecratione sacris non adnumerantur, principem quemdam locum occupant bona beneficialia. Quae bona imprimis comprehendant necesse est decentem beneficiati habitationem. Maxime Episcopis atque parochis incumbit obligatio residendi penes ecclesias suas, in domo propria beneficii, ab ordinaria habitatione suorum consanguineorum distincta. Ubicumque igitur huiusmodi domus propriae Episcoporum vel parochorum non existant, Episcopi, pro iure suo, ex reditibus ecclesiasticis, et sibi et parochis decentes domos aedificare possunt; atque ubi reditus speciales desint, clero et populo ad eumdem finem prudenter contributiones imponere non prohibentur.

836. In singulis dioecesibus sit domus episcopalis dignitati pontificali conveniens et prope Ecclesiam Cathedralem, quantum fieri potest, sita; in eaque, separatim ab ordinaria habitatione consanguineorum aliarumque personarum saecularium, Episcopus habitualem suam figat residentiam, nisi ratione officii alio avocetur, vel in casibus a iure permissis legitime absit [1].

837. Qua in domo Episcopus non prohibetur, quominus oratorium sibi constituat, quod iuribus atque privilegiis oratoriorum publicorum gaudet [2]; verum ut ibidem Sanctissimum Sacramentum asservare possit, indulto apostolico munitus sit oportet.

838. Universa autem domus episcopalis ab Antistite, cui in usum concessa est, sarta tectaque conser-

[1] Cfr. decr. S. C. C., ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 2. n. 6-9.
[2] Cfr. Ferraris, verb. *Oratorium*, n. 69-70. S. R. C. 19 Maii 1896 (n 3906).

vetur, et si opus sit, restauretur et reparetur, quatenus huiusmodi onera reparationis ex titulo speciali ad alios non spectent. Curent quoque Episcopi, ut, accurato inventario confecto, omnia utensilia vel bona mobilia domui episcopali forte addicta atque in dominio Ecclesiae constituta ad successorem secure transmittantur; idque potissimum valet de utensilibus sacris, iuxta normas denuo statutas a Pio IX in Constitutione *Quum illud*, diei 1 Iunii 1847 [1]. Quae Pii IX ordinatio, si, obstantibus legibus civilibus, exeeutioni mandari nequeat, praesules testamento legitime facto vel alia convenienti ratione efficere debent ut quae ibidem praescribuntur, debitum sortiantur effectum etiam in foro civili. Insuper, ad normam moniti SS. D. N. Leonis XIII, per Cardinalem Urbis Vicarium die 26 Martii 1889 editi [2], omnes Episcopi SS. Crucis Ligni particulas, quas thecis inclusas pectore prae se suspensas ferunt, successoribus suis transmittendas curent, adeo ut post ipsorum mortem (studio et opera Capituli cathedralis, vel eius qui, vacante Sede, Episcopi vices gerit) ad hos perveniant legitimo haereditatis iure. Quod de Crucis dumtaxat reliquiis intelligendum est; nam de thecis ex pretioso metallo in crucis formam affabre factis, statuant quid opportunius videbitur.

839. Inter bona beneficialia, quorum ususfructus parocho est concessus, recensenda est domus parochialis, quae ex mente Ecclesiae sit propria beneficii parochialis atque distincta a domo consanguineorum et saecularium personarum, in eaque parochus habitualiter prope ecclesiam parochialem resideat [3].

1 V. Appen. n. XVII.
2 S. C. C. pluries, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 3. n. 218 seq.
3 Coll. P. F. n. 140.

840. Parochorum est domum illam sartam tectamque servare. Quare omnino prohibentur, ne quid agant, quo domus parochialis detrimentum capiat; secus suis sumptibus damna resarcire tenentur. Statis temporibus, reparationes, quae ipsis iuxta laudabiles consuetudines aut statuta dioecesana incumbunt, diligenter perficiant; neque quidquam remunerationis postulare possunt, si ordinarias reparationes ab Episcopo praescriptas peregerint, quippe quae iure accessionis in legitimum dominium Ecclesiae transierunt. Denique parochi omnino caveant, ne domum suam parochialem alii usui, quam propriae habitationis aut utilitatis ecclesiae, addicant.

841. Capta possessione beneficii, parochi inventarium faciant rerum domui parochiali adscriptarum, in forma legitima ab Episcopo approbata, ut quid acceperint accurate constet. Quod si accepta servare negligant, ea propriis sumptibus reparare tenentur, quae postea in visitatione facta iuxta tenorem inventarii non reperiantur.

842. Praeterea bona beneficialia, quantum fieri potest, ex mente Ecclesiae, sint bona immobilia, quorum reditus in usum beneficiariorum iuxta legem fundationis cedant. Quamvis beneficiarius bona immobilia sui beneficii per se excolere possit, tamen haud raro magis expediet, ut illa probis honestisque viris colloeet. Quo in casu, circa durationem locationis, leges ecclesiasticae sunt observandae. Maxime vero in administratione bonorum beneficialium, praesertim sylvarum, cavendum est, ne beneficiarius iura domini sibi vindicet.

843. Reditus beneficiales interdum etiam percipiuntur ex censibus pecuniarum, quae in obligationibus status vel hypothecis securis frugifere sunt collocatae, quaeque proinde aliqua ratione bonis immobilibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aequiparantur. Haec species bonorum beneficialium, quamvis Ecclesiae per se minus probetur, tamen, ob temporum necessitatem, quatenus acquisitio bonorum immobilium Ecclesiae interdicatur aut parum tuta sit, ad tuenda et conservanda bona ecclesiastica utilis esse potest. Verumtamen in collocandis illis pecuniis beneficialibus leges ecclesiasticae religiose servandae sunt. Pensiones, quae a Gubernîis solvuntur beneficiariis, rationem reditiuum beneficialium habent.

844. Omnes beneficiarii memores sint obligationis gravis superfluos reditus beneficiales, non ad ditandos consanguineos, finesque profanos, sed in pauperum eleemosynas vel ad causas pias erogandi.

845. *Bona fabricae Ecclesiae*, quae potissimum ad opera cultus divini sunt destinata, quantum fieri potest, ut immobilia sint pariter exoptandum est, aut saltem ut ex certis et determinatis constent reditibus. Ea vero ab iis administrentur, ad quos de iure vel legitima consuetudine spectat. Quod si laicis partes quaedam in administratione bonorum fabricae ex legitimo titulo competant, nihilominus universa administratio nomine Ecclesiae fiat, atque salvo iure Episcopi visitandi et exigendi rationes et praescribendi modum administrationis.

846. Nihil est quod magis conducat ad publicam dioeceseos utilitatem, quam *Seminarium* clericorum recte constitutum. Quod ut fini suo undequaque satisfaciat, tum quoad sanitatem, tum quoad studia litterarum ipsamque disciplinam et educationem religiosam, in domo salubri, solida, apta, dignitati status clericalis convenienti, situm sit oportet. Quare Episcopi nullis parcant curis et laboribus, ut, in singulis dioecesibus, quantum fieri potest et quamprimum, Seminarium iuxta

normas Tridentinas constituatur, ubi iuvenes clerici in valetudine bona, animo hilari, in studiis litterarum atque virtute proficientes, crescant in spem Ecclesiae. Ut provideatur expensis, quae ad hunc finem sunt necessariae, Episcopi utantur iure suo, a Concilio Tridentino ipsis concesso; atque ut in universo negotio rerum temporalium Seminarii tutius procedant, ne in subsidium vocare omittant deputationem pro rebus temporalibus, ex praecepto Concilii Tridentini instituendam [1].

847. *Domibus* sive *institutis religiosis* merito accensentur domus scholis habendis destinatae, quae nomine Ecclesiae ex piis fidelium elargitionibus et fundationibus erectae, in dominio Ecclesiae constituuntur, atque partem immobilium bonorum ecclesiasticorum efficiunt. Hae domus scholarum praesertim elementarium sive parochialium, secundum normas ab Episcopo approbatas, ita sunt aedificandae, ut non solum valetudini discipulorum, sed etiam disciplinae morum et exercitiis scholasticis optime consulatur. Hinc imprimis parochi, quorum curae atque vigilantiae instructio religiosa et moralis scholarum parochialium est commissa, etiam rem temporalem illarum domorum ita curent, ut bene conserventur, atque, ubi opus sit, augeantur, neque unquam dominio Ecclesiae subducantur.

848. *Hospitalia*, aliaeque domus ad causas pias atque opera caritatis et beneficentiae destinatae, quae vere et proprie in dominio Ecclesiae sunt constituta vel saltem auctoritate ecclesiastica erecta, iurisdictioni et visitationi Episcoporum, etiam tamquam delegatorum Sedis Apostolicae, sunt subiecta; nisi ex speciali iuris titulo probetur exceptio [2]. Ubi frequens est incendio-

[1] V. Appen. n. XCV.
[2] Conc. Trid. sess. 22. cap. 9 de ref.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum periculum, curent Episcopi, ut de omnibus et singulis aedificiis ecclesiasticis contra damnum ex incendio oriturum ab una vel pluribus societatibus fiducia publica gaudentibus tempestive caveatur.

CAPUT IV.

De administratione bonorum ecclesiasticorum.

849. Ecclesia catholica, cum habeat ius nativum et legitimum acquirendi et possidendi bona temporalia pro sua natura societatis perfectae, etiam maxima gaudere debet libertate et independentia in iisdem bonis administrandis [1]. Quare suo iure utitur si bona sua temporalia, titulis iustissimis acquisita, diligenter conservare, omni cura meliorare, rite applicare, contra dilapidationem munire, et deperdita recuperare studet.

850. Ius leges ferendi super administratione bonorum ecclesiasticorum, supremo perfectoque gradu competit Romano Pontifici. Summa igitur reverentia et obedientia leges pontificiae de administratione bonorum ecclesiasticorum latae atque ordinationes Sacrarum Congregationum, quibus huiusmodi negotium commissum est, constanter sunt servandae. Episcopi vero sunt supremi administratores bonorum ecclesiasticorum, quae in dioecesi reperiuntur et iure speciali iurisdictioni Episcoporum non sunt subducta [2]. Hinc omnes inferiores administratores bonorum ecclesiasticorum, qui in dioecesi constituti sunt, Episcopo dioecesano subiiciuntur eique rationem reddere tenentur, nisi specialis probetur ex-

[1] Syllab. Pii IX, prop. 19, 26, 27.

[2] Cap. 2. de relig. dom. in Clem.; Conc. Trid. sess. 7. cap. 15 de ref.

ceptio. Ipsae quoque Moniales exemptae et Praelatis regularibus subiectae, singulis annis, Episcopo dioecesano rationem reddere debent [1].

851. Administratio bonorum ecclesiasticorum fiat nomine Ecclesiae et iuxta normas iure communi et particulari ecclesiastico, atque in instrumento fundationis praescriptas [2]. Quicumque igitur bonorum ecclesiasticorum administratores deputati sunt, imprimis omnium rerum, redituum, bonorum sive mobilium sive immobilium suae curae commissorum accuratum conficere debent inventarium. Cuius inventarii unum exemplar tradendum est Episcopo, ut in archivio episcopali conservetur, alterum exemplar, propria administratoris manu subscriptum, inter libros ecclesiasticos est retinendum.

852. Porro boni administratoris est omnia documenta et instrumenta, quibus iura ecclesiastica in bona temporalia nituntur, caute conservare et rite ordinare et in archivio vel armario convenienti et apto custodire. Cum nostra aetate, ex tolerantia vel ex benigna concessione Sanctae Sedis, causae Clericorum mere civiles velut contractuum, debitorum, haereditatum, non raro a iudicibus saecularibus cognoscantur et definiantur, omnia documenta ibidem ad praescripta iuris civilis accurate sint exacta [3].

853. Administrator ecclesiasticus etiam libros teneat bene ordinatos accepti et expensi, quot pro maiori minorive ambitu administrationis necessarii sunt; insuper rationem administrationis suae legitimo tempore et ordine servato reddat, neque futurarum expensarum et redituum annuum elenchum praeparare omittat.

[1] Greg. XV. Const. *Inscrutabili*, 5 Februarii 1602.

[2] Cit. cap. 2. de relig. domib. in Clem.; Conc. Trid. l. c.

[3] Cfr. decr. S. Off. 23 Ianuarii 1886 (Coll. P. F. n. 1011).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

854. Si forma ordinata administrationis non est negligenda, multo magis res ipsa est curanda. Hinc probus administrator bonorum ecclesiasticorum substantiam bonorum conservare, meliorem efficere atque augere debet. Damna quoque a bonis ecclesiasticis avertere, domus, quae reparatione indigent, restaurare, praedia male culta melius excolere, bona dilapidata vindicare, atque iura Ecclesiae contra violationes defendere tenetur. At ne inferior administrator inutilibus litibus implicetur, lites de iuribus suae admistrationis non intentet, nisi praeviam Episcopi dioeceseos licentiam obtinuerit. Maxime vero caveat, ne, debitis incaute et illegitime contractis, bona ecclesiastica aere alieno gravet.

855. Quod si bona ecclesiastica constent pecunia, ex cuius legitimo foenore expensae ecclesiasticae sunt sustinendae, maxime curandum est, ut substantia rei salva existat. Idcirco pecunia cum necessariis cautionibus tuto et utiliter est investienda. Quae pecunia, iuxta sacros Canones et itenatas declarationes S. Congregationis Episcoporum et Regularium, per se et ordinarie in bonis stabilibus, tutis et frugiferis, esset investienda; et nonnisi secundo loco, et cum certis limitationibus, in subsidium admittitur investimentum pecuniae ecclesiasticae in censibus aut in tabulis debiti publici.

856. Aeditus ecclesiastici a provido administratore accurate et iusto tempore exigantur et percipiantur, ne ex dilatione Ecclesia damnum patiatur, praescriptioni locus fiat, aut saltem actio vel executio iudicialis impediatur.

857. Percepti reditus, quatenus opus sit, in armario vel alio loco, pro ipsorum natura, rite conserventur, et tandem iuxta mentem fundatorum vel iuxta praescriptiones iuris communis vel particularis applicentur. Ab arbitrariis autem expensis omnino est abstinendum; extraordinariae quoque ne fiant, nisi omnibus solemnitatibus servatis, quae iure communi vel particulari praescribuntur. Idque potissimum valet, si expensae extraordinariae non ex reditibus ordinariis, sed ex debitis contrahendis essent solvendae. Maxime vero noverint omnes administratores, sibi nefas esse quamcumque summam pecuniae ecclesiasticae ex privato suo arbitrio mutuam dare, aut illa in proprium vel propinquorum commodum uti.

858. Quum non pauca, ad aptam bonorum ecclesiasticorum administrationem requisita, iuribus et consuetudinibus particularibus sint ordinanda, Episcopi, specialibus instructionibus, quibus ad minutas usque quaestiones et solemnitates sive formalitates descendatur, universum administrationis negotium ordinare curent. Qua in re praesertim commendandum est, ut ob oculos habeant normas et instructiones iam a Sede Apostolica editas vel approbatas, atque ut tribunal rationum, sive quaestorium dioecesanum, rite instituant et in praxi constanter prudenterque adhibeant.

CAPUT V.

De taxa dioecesana et parochiali, vulgo « Arancel ».

859. Ecclesia, quum, nostro praesertim saeculo, in non paucis regionibus, privata fuerit bonis immobilibus atque stabilibus reditibus, praeter liberales oblationes fidelium, etiam taxas suis subditis impositas, tamquam modos percipiendi reditus ecclesiasticos iure merito retinuit. Quod ius imponendi taxas, optimo sane con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

silio exercetur circa reditus ecclesiasticos et bona temporalia, quae sunt in dominio Ecclesiae.

860. Quare Episcopus, singulis annis, quamdiu sit necessarium, secundum tramites a Concilio Tridentino statutos, a beneficiariis aliisque personis ecclesiasticis in iure expressis, *seminaristicum* postulare valet [1] atque *cathedraticum* pariter in forma legitima exigere non prohibetur [2]; dummodo caveat, ne iustam mensuram excedat [3].

861. Quamvis ex iure communi Episcopus *subsidium caritativum* ab ecclesiis et clericis sibi subiectis tantum extraordinarie, iusta et gravi interveniente causa, atque cum consensu Capituli, exigere possit [4]; tamen, deficientibus stabilibus reditibus pro propria sustentatione et communibus expensis dioecesis, pro more aliarum regionum, certam et determinatam contributionem annuam, aequitate canonica servata, exigere valet.

862. Merito quoque Episcopi exigunt *taxas* statutas pro quibusdam documentis per cancellariam episcopalem expeditis. Qua in re, adamussim observetur quod praescribitur a S. Congregatione Concilii, per litteras datas die 10 Iunii 1896 [5].

[1] Sess. 23. cap. 18 de ref.; S. C. Episc. et Reg. 21 Iun. 1889 (Mon. Eccl. VI, p. 1. pag. 243).

[2] Cap. 9. 20. de censibus.

[3] Cfr. Conc. prov. Westmonaster. III. an. 1859, tit. 2. decr. 17, in Collect. Lac. tom. III, p. 1022 seq.

[4] Cap. 6. de censibus; S. C. C. in *Gerunden.* 17 Feb. 1663, 26 Ian. 1760. Cfr. Collect. Pallottini, v. *Episcopus* § XVIII.

[5] V. Appen. n. XC.

CAPUT VI.

De stipendiis Missarum.

863. Cum qui altari serviunt de altari quoque vivere debeant, fideles, inde ab antiquis temporibus, etiam intra Missam, suas oblationes Ecclesiae exhibuerunt. Ex his oblationibus ad sustentationem Cleri factis, paulatim orta sunt stipendia Missae; aequum enim et iustum videbatur, ut is, qui speciali ratione operam spiritualem sacerdotis implorabat, etiam speciali oblatione ad illius concurreret sustentationem.

864. Quare, cum stipendium Missae accipiatur non ut pretium, sed ex titulo sustentationis, citra omnem simoniam, licitum est sacerdoti accipere stipendium manuale consuetum aut sponte et liberaliter oblatum pro Missa, quae ex nullo alio titulo est debita. Sedulo autem ab omnibus sacerdotibus cavendum est, ne ultra stipendium ab Episcopo vel iure consuetudinario taxatum, aliquid exigant, nisi omnino sponte sit oblatum, aut nisi accedat ratio specialis incommodi non consueti, praesertim loci vel temporis causa. At propter circumstantiam favoris mere spiritualis, pro celebratione Missae v. g. in altari privilegiato vel in sanctuario miraculis claro, sine manifesta simonia, maius stipendium exigi non potest.

865. Stipendio accepto, sacerdos ex iustitia sacrum promissum sub gravi obligatione celebrare tenetur; insuper eae observandae sunt circumstantiae, quae a dante stipendium rite fuerunt impositae. Quae obligatio nullatenus patitur notabilem celebrationis dilationem, nisi de consensu eius qui stipendium dedit, aut de speciali Apostolicae Sedis indulto.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

866. Tot Missae sunt celebrandae, quot stipendia fuerunt accepta. Hinc ab Alexandro VII a. 1663 damnata est propositio n. 10: « Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram ». Atque Innocentius XII, sub interminatione divini iudicii, mandavit, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, quantumcumque exigua stipendia collata fuerint [1]. Qua in re, vel ipsis Episcopis nulla hodie relicta est facultas reducendi Missas, nisi testator ipse hanc facultatem tribuisse dignoscatur; secus, ad reductionem numeri Missarum, auctoritas Sedis Apostolicae omnino est imploranda.

867. Denique mercimonium in stipendiis Missae omnino est fugiendum. Hinc nulla pars stipendii detrahi potest, si alteri sacerdoti Missae celebratio committatur, modo pro sola Missa celebranda a donatore stipendium fuerit collatum. Multo magis autem damnanda est et omnino prohibetur sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae, turpissima illa mercatura circa stipendia Missarum, qua quidam colligunt eleemosynas maioris pretii pro Missis et ex iis lucrum captant, faciendo eas celebrare in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent [2]. Similiter omnino abstinendum est a palliata illa stipendiorum mercatura per bibliopolas aliosque mercatores exercita, quam S. Congregatio Concilii iterum proscripsit [3].

868. Cum ad Episcopum pertineat definire, quaenam fundationes piae et sub quibus conditionibus acceptari possint, nemo fundationes ad Missarum onera sive perpetua sive ad longum tempus admittat, absque Episcopi approbatione. Quae onera iam recepta sunt, in tabella, quae in sacristia pendeat, describantur et fidelissime adimpleantur [1].

[1] Const. *Nuper*, 23 Dec. 1697.
[2] Cfr. decr. S. C. C. 21 Nov. 1898 (Mon. Eccl. XI. pag. 9).
[3] S. C. C. Decret., *Vigilanti*, 25 Mai 1893. V. Appen. n. LXXVIII.

CAPUT VII.

De alienatione bonorum ecclesiasticorum et de contractibus prohibitis.

869. Nomine bonorum ecclesiasticorum intelliguntur bona quae ad Ecclesiam pertinent, nempe ad mensam episcopalem, paroecias, aliaque beneficia, seminarium, hospitalia auctoritate ecclesiastica erecta, confraternitates, capitula, instituta religiosa, templa. Porro bonorum ecclesiasticorum alienatio prohibita est atque nulla et irrita existit, nisi iusta causa adsit et solemnitates a iure praescriptae fuerint servatae. Quae iustae causae sunt: Ecclesiae necessitas, evidens utilitas, pietas, incommoditas ipsius rei alienandae. Quod si bona immobilia vel mobilia pretiosa sint alienanda, inter solemnitates imprimis requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae [1], nisi agatur de casibus a iure exceptis; secus lex ecclesiastica graviter laeditur, obligatio contrahitur restitutionis, atque excommunicatio ex Pii IX Constitutione *Apostolicae Sedis* incurritur. Bona exigui valoris, sive immobilia sive mobilia; absque beneplacito

[1] Decret. Urbani VIII 21 Iun. 1625; Innoc. XII. Const. *Nuper*, 23 Dec. 1697.
[2] Cap. 2 de rebus Eccles. in Sext.; Paul. II. Const. *Ambitiosae*, 1 Mart. 1468, in cap. unic. de reb. Eccles. in Extravag. com. V. Appen. n. I; II.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sedis Apostolicae alienari possunt, dummodo saltem consensus Ordinarii exquiratur, et eorum quorum interest [1].

870. Cum multum pendeat a circumstantiis loci et temporis, quinam valor exiguus dici possit, a Sede Apostolica pro singulis regionibus expetenda erit hac super re opportuna declaratio.

871. Quoniam alienatio bonorum in foro ecclesiastico non tantum censetur fieri illis actibus, quibus ius proprietatis in aliud subiectum transfertur, sed comprehendit etiam omnes actus, quibus bona ecclesiastica, saltem quoad dominium utile, transferuntur, aut periculo amissionis exponuntur, aut ad longius tempus directae possessioni Ecclesiae subducuntur, aut generatim peioris fiunt conditionis; idcirco, praeter donationem, venditionem, permutationem similesque actus, etiam pignus, hypotheca specialis, emphyteusis, locatio ultra triennium, inter prohibitas alienationes recensentur [2]. Omnino quoque abstinendum est a locationibus bonorum ecclesiasticorum, quae in praeiudicium successorum in officio ecclesiastico, praesertim per anticipatas solutiones, fiunt [3].

[1] Can. *Terrulas*, 53. C. XII. q. 2; S. C. C. in caus. *Forosempr.*, 21 Iul. 1827. Cfr. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 7. n. 276 seq.

[2] Paul. II. Const. *Ambitiosae*. V. Appen. n. II.

[3] Conc. Trid. sess. 25 cap. 11 de ref.

TITULUS XIV.

DE REBUS SACRIS

CAPUT I.
De Ecclesiis.

872. Quemadmodum invisibilia Dei, testante Apostolo [1], per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sic virtus quoque ac divinitas sanctissimi Redemptoris nostri, in universa Ecclesia catholica, per cultum singulari sapientia et pulchritudine ordinatum refulget, piasque fidelium mentes admiratione perfundit. Cuius mirabilis cultus sedes principales sunt ecclesiae, ubi Iesus Christus, Agnus immaculatus, in sacrificio eucharistico immolatur suaque reali praesentia fideles recreat, ac pretiosissimo suo Corpore et Sanguine pascit mortales. Vere igitur ecclesiae nostrae sunt « domus Dei et porta coeli ».

873. Quapropter, ut divina mysteria in ecclesiis tanto sacrificio atque sacramento dignis celebrentur atque populi fidelis crescat pietas et devotio, in memoriam revocamus, ut omnia et singula, quae sacri Canones, Apostolicae Constitutiones et praesertim decreta S. Rituum Congregationis de ecclesiis statuunt, filiali et integra obedientia observentur.

874. Nova ecclesia, sive cleri saecularis sive regu-

[1] Ad Roman. 1. 20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sedis Apostolicae alienari possunt, dummodo saltem consensus Ordinarii exquiratur, et eorum quorum interest [1].

870. Cum multum pendeat a circumstantiis loci et temporis, quinam valor exiguus dici possit, a Sede Apostolica pro singulis regionibus expetenda erit hac super re opportuna declaratio.

871. Quoniam alienatio bonorum in foro ecclesiastico non tantum censetur fieri illis actibus, quibus ius proprietatis in aliud subiectum transfertur, sed comprehendit etiam omnes actus, quibus bona ecclesiastica, saltem quoad dominium utile, transferuntur, aut periculo amissionis exponuntur, aut ad longius tempus directae possessioni Ecclesiae subducuntur, aut generatim peioris fiunt conditionis; idcirco, praeter donationem, venditionem, permutationem similesque actus, etiam pignus, hypotheca specialis, emphyteusis, locatio ultra triennium, inter prohibitas alienationes recensentur [2]. Omnino quoque abstinendum est a locationibus bonorum ecclesiasticorum, quae in praeiudicium successorum in officio ecclesiastico, praesertim per anticipatas solutiones, fiunt [3].

[1] Can. *Terrulas*, 53. C. XII. q. 2; S. C. C. in caus. *Forosempr.*, 21 Iul. 1827. Cfr. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 7. n. 276 seq.

[2] Paul. II. Const. *Ambitiosae*. V. Appen. n. II.

[3] Conc. Trid. sess. 25 cap. 11 de ref.

TITULUS XIV.

DE REBUS SACRIS

CAPUT I.
De Ecclesiis.

872. Quemadmodum invisibilia Dei, testante Apostolo [1], per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sic virtus quoque ac divinitas sanctissimi Redemptoris nostri, in universa Ecclesia catholica, per cultum singulari sapientia et pulchritudine ordinatum refulget, piasque fidelium mentes admiratione perfundit. Cuius mirabilis cultus sedes principales sunt ecclesiae, ubi Iesus Christus, Agnus immaculatus, in sacrificio eucharistico immolatur suaque reali praesentia fideles recreat, ac pretiosissimo suo Corpore et Sanguine pascit mortales. Vere igitur ecclesiae nostrae sunt « domus Dei et porta coeli ».

873. Quapropter, ut divina mysteria in ecclesiis tanto sacrificio atque sacramento dignis celebrentur atque populi fidelis crescat pietas et devotio, in memoriam revocamus, ut omnia et singula, quae sacri Canones, Apostolicae Constitutiones et praesertim decreta S. Rituum Congregationis de ecclesiis statuunt, filiali et integra obedientia observentur.

874. Nova ecclesia, sive cleri saecularis sive regu-

[1] Ad Roman. 1. 20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

laris, non aedificetur, nisi obtenta in scriptis licentia Episcopi dioecesani [1]. Quae licentia non est deneganda, nisi iusta obsistendi causa subsit [2], ut si de dotatione necessaria in forma legitima non constet [3], certumve iuri alterius praeiudicium inferatur [4]. Neque fabrica est inchoanda, antequam ipse Episcopus, aut alius ab eo delegatus, locum inspexerit et approbaverit, crucem in eo fixerit ac primum lapidem benedictum in fundamentis posuerit [5]. Ne autem quod Deo dicatum est, ad profanos usus iterum destinetur, et ne ex humana cupiditate, malitia vel inconstantia, Ecclesia amittat quod ipsi pro Deo et propter Deum datum est, mandamus ut in omnibus erectionibus novarum ecclesiarum, sacellorum, capellarum seu oratoriorum publicorum, per instrumentum publicum, in tuto ponatur tum perpetua destinatio dictarum ecclesiarum et oratoriorum publico cultui catholico, tum perpetua dependentia eorumdem sacrorum aedificiorum a respectivis Ordinariis, tum liber accessus Sacerdotum ab Ordinario approbatorum et omnium fidelium ad huiusmodi templa vel oratoria publica, iuxta normas ab Episcopo praescribendas.

875. Prae caeteris, in nova ecclesia aedificanda, *locus* aptissimus et sacris aedibus conveniens seligatur. Quare, ut servetur traditio ecclesiastica, in memoriam Iesu Christi, qui, cruentum sacrificium oblaturus, in montem Calvariae ascendit, atque ad significandam civitatem illam sanctam in monte positam, idest Ec-

[1] Cap. *Auctoritate* 4, de privileg. in Sext.; Concil. Trid. sess. 25, cap. 3 de reg.; Leo XIII, Const. *Romanos Pontifices*, 8 Maii 1881.
[2] Cap. *Ad audientiam* 3, de ecclesiis aedif.
[3] Pontificale Roman., P. II. De bened. et impos. primi lapidis etc.
[4] Cap. *Intelleximus* 1, *Cum ex iniuncto* 2, de novi oper. nunt.
[5] Pontif. Rom. l. c.

clesiam, quantum fieri potest, ecclesiae novae in edito atque prominenti loco aedificentur [1]. Quod si fieri non possit, saltem ita super solum eleventur, ut per aliquot gradus, ut plurimum numero impares, ad ecclesiae pavimentum ascendatur [2]. Quo maior sacris aedibus honor accrescat, Episcopus, in novo opere approbando, curet, ut novae ecclesiae ab aedibus profanis, et praesertim sordidis, prorsus separatae existant. At si ex rationabili causa prope ipsam ecclesiam domus sint aedificandae, cavendum est, ne prospectus, decor et quies domus Dei impediantur.

876. Fabricae dispositio, secundum formas ab Ecclesia receptas, est ordinanda, et antequam executioni mandetur, ab Episcopo est examinanda et approbanda. Commendandum est ut novae ecclesiae, quatenus locorum dispositio permittit et naturae aedificii sacri convenit, secundum antiquissimam Ecclesiae traditionem [3], exhibeant speciem crucis, in qua salus mundi pependit; item convenit, nisi loci dispositio obsistat, ut altare principale cum presbyterio versus orientem situm sit, porta autem principalis construatur in parte occidentali ecclesiae sive in frontispicio, nisi pro dispositione Ecclesiae, a sacerdote versa ad populum facie Missae sacrum in altari maiori fieri solet [4]. Quod frontispicium, ex antiquo more, singulari semper ornatu decoratum est; et S. Carolus Borromaeus monet [5], ut in uniuscuiusque ecclesiae, praesertim parochialis, frontispicio, extrinsecus pingatur vel sculpatur in superiori

[1] Act. xx. 7. seq.; Matth. v. 14, 16, 18; Apoc. xxi. 10.
[2] Conc. Prov. Prag. an. 1860, tit. 5. cap. 2; Conc. Prov. Vallisolet. an. 1887, p. 4. tit. 9.
[3] Conc. Prov. Prag. ibid.
[4] Act. Eccles. Mediol. I. 470.
[5] Ibid. p. 468.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

parte principalis portae imago B. V. Mariae vel Sancti vel Sanctae, cuius nomine ipsa ecclesia appellatur. Denique externae ecclesiae dispositioni interna structura partium respondeat.

877. Quod si in aedificandis ecclesiis leges Ecclesiae et traditiones artisque christianae praecepta observentur necesse est, non minus cavendum est ab *abusibus* per Sedem Apostolicam reprobatis. Quare, in fornicibus et tectis ecclesiarum vel oratoriorum, in quibus sacra fiunt, ambulacra vel conclavia ad profanos usus, aut cubicula dormientibus destinata, aut loca ubi columbae vel alia altilia alantur, omnino non construantur [1]. Nemini absque apostolico privilegio ex contigua domo, nisi regularis vel parochialis sit, ianuam aut fenestram habere vel aperire liceat, quae in ecclesiam praebeat prospectum aut ingressum, neque tribunam vel angustam [2]; quod si habeatur praedictum privilegium, expedit, ut fenestrae vel tribunae crates apponantur [3].

878. Ubi ecclesia iam erecta novis constructionibus sit *amplificanda* aut *restauranda*, nihil est attentandum, nisi novi operis delineatio vel reparationis modus examini Episcopi fuerint subiecti atque approbatione et licentia muniti.

879. Rectores ecclesiarum statuas, imagines aliasque res similes a suis locis absque licentia Episcopi non removeant, atque, obtenta licentia, curent, ut omnes amplificationes vel innovationes, secundum delineationem ab Episcopo approbatam, adamussim executioni

[1] S. R. C. 11 Maii 1641 (n. 756); 31 Aug. 1867, ad 5 (n. 3157); 4 Febr. 1898, ad 2 (n. 3978). Cfr. Mach, Tes. del Sac. n. 418.
[2] S. R. C. 4 Febr. 1898, ad 5 (n. 3978).
[3] S. R. C. 4 Sept. 1875, ad 2 (n. 3376).

mandentur. Haec autem quae de aedificatione et restauratione ecclesiarum decernenda vel ad memoriam revocanda esse duximus, salvis legitimis privilegiis, praesertim Regularium, dicta intelligantur oportet.

880. Quoad imagines Servorum Dei, qui nondum beatificationis et canonizationis honores consecuti sunt, depictas vel depingendas in parietibus vel vitris coloratis ecclesiarum, accurate serventur cautelae a S. Rituum Congregatione praescriptae [1].

881. Parochi aliique sacerdotes, ne sint plane peregrini in opere satis difficili aedificandi et restaurandi ecclesias, archaeologiae sacrae, artis christianae, iurisprudentiae canonicae principia in hoc genere tenenda diligenti studio sibi faciant familiaria, ne per ignorantiam in non leves incidant errores atque defectus. Quaecumque tamen sit Sacerdotum vel Parochorum peritia in hac re, nihil ipsi faciant absque expressa licentia Episcopi, ut praescriptum est in art. 878, 879.

882. Nova ecclesia, antequam ad divina mysteria celebranda adhibeatur, ab Episcopo est consecranda; aut, dilata ex aliqua causa consecratione, saltem est benedicenda [2]. Quae consecratio ecclesiarum soli Episcopo loci, in quo existit ecclesia consecranda, est reservata, atque sine indulto apostolico presbyteris delegari non potest [3]; at a delegando presbytero ad benedictionem ecclesiae Episcopus non prohibetur [4]. In consecrationibus et benedictionibus, ritus praescripti in Pontificali Romano et Rituali Romano diligenter sunt

[1] S. R. C. 14 Aug. 1894 (n. 3835).
[2] S. R. C. 7 Aug. 1875, ad 1 (n. 3364).
[3] Cap. *Aqua* 1. 10. de relig. domib.; Cap. 9 de consecr. eccl.; Conc. Trid. sess. 6. cap. 5 de ref.; S. R. C. 14 April. 1674 (n. 1505).
[4] Rit. Rom. de Benedict.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

servandi; item recentiora S. Rituum Congregationis decreta omnino servanda sunt. Prorsus vero abstinendum est a consecratione vel benedictione solemni oratorii privati; at non prohibetur, immo decet, ut oratorium privatum simplici « benedictione loci » sanctificetur.

883. Ecclesia, quae per exsecrationem penitus consecrationem vel benedictionem amisit, divinis mysteriis celebrandis non iam inservire potest, nisi denuo benedicatur vel consecretur; censetur autem ecclesia exsecrata, si tota ecclesia vel maior pars murorum eversa sit [1]. Pariter functiones sacrae in ecclesia consecrata vel benedicta prorsus interdicuntur, si illa fuerit polluta, donec macula, quae ipsius sanctitati, per consecrationem vel benedictionem quaesitae, illata fuit, per reconciliationem legitime factam denuo tollatur [2]. Polluitur vero ecclesia per homicidium publicum, voluntarium et iniuriosum quocumque modo in ecclesia perpetratum, per voluntariam graviterque peccaminosam et publicam humani sanguinis vel seminis effusionem, per sepulturam infidelis vel excommunicati vitandi, ad formam decreti Martini V « *Ad evitanda* » [3]. Quae reconciliatio quam primum fieri debet, ne diutius laudes divinae intermittantur [4]. Si ecclesia, quae polluitur, consecrata sit, nonnisi per proprium Episcopum aut per alium Episcopum de ipsius mandato, reconciliari valet, iuxta ritum in Pontificali Romano praescriptum, cum aqua ab Episcopo ad hunc usum rite benedicta [5]; et iuxta tenorem facultatum, quae a Sede Apostolica concedi

[1] Cap. *Ligneis* 6. 10, de consecr. eccl.
[2] Cap. *Is qui* 18, de sent. excom. 5, 11 in Sext.
[3] Cap. *Proposuisti* 4, *Consuluisti* 7, *Si Ecclesia* 10, de consecr. eccl. S. R. C. 23 April. 1875 (n. 3344).
[4] Cap. *Si Ecclesia* 10.
[5] Cap. *Aqua* 9.

solent, in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab Episcopo. Si ecclesia fuerit solummodo benedicta, eius reconciliatio fieri potest a quolibet sacerdote, quem Episcopus delegaverit [1], atque in casu necessitatis etiam absque delegatione [2].

884. Etiamsi ecclesia solummodo polluatur propter delicta in iure speciatim expressa, tamen vi consecrationis vel benedictionis eam consecuta est *immunitatem*, quae non solum quoslibet actus illicitos, sed etiam simpliciter profanos atque sanctitati loci contrarios omnino excludit. Quare vetantur in ea negotiationes, iudicia saecularia, civiles conventus, profana colloquia, multoque magis ludi theatrales, cantus lascivi, et quidquid officium divinum perturbet ac reverentiam domo Dei debitam offendat [3]. Cum autem verba moveant, exempla trahant, ipsi sacerdotes sancta sua conversatione atque reverentia et devotione in ecclesia populum christianum efficaciter excitent ad fidelem imitationem. Quo exemplo fiet, ut ipsorum monita, quibus pro officio suo modestiam fidelibus praesertim mulieribus inculcant, discolos et per ecclesiam vagantes, paterna gravitate et patientia redarguunt, eo maiorem habeant vim atque auctoritatem.

885. Rectores ecclesiarum illud praesertim curent, ut in ecclesiis omnia a squalore et sordibus et pulvere sint immunia. Quare ecclesiae, altaria, confessionalia aliaque, statis temporibus, a pulvere mundentur. Neque exteriores ecclesiae partes negligendae sunt, ne domus Dei hederis, vepribus aliisque modis suam pulchritudinem atque dignitatem amittat.

[1] Ritual. Roman. de Benedict.
[2] Cfr. Mach, Tes. del Sac. n. 432.
[3] Cap. *Decet* 2. de immunit. eccles. 3. 23. in Sexto.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

886. Cum inter praecipua ecclesiarum rectorum officia illud sit, ut ecclesias sibi commissas apte et decenter ipsi conservent, nullo modo id melius effieere possunt, quam *reparationes* necessarias suo tempore peragendo. Quae reparationes faciendae sunt expensis illorum, qui, ex iure communi aut ex speciali consuetudine, ad reparandas ecclesias obligantur. Ne autem fideles, in praesenti temporum malitia, per potestatem ecclesiasticam compellantur, ut taxis concurrant ad expensas reparationum, exoptandum est, ut pastores precibus et consiliis populi fidelis studium excitare nitantur ad necessarios reparationis sumptus liberalibus donationibus sponte subministrandos. Quod si ecclesia est iuris patronatus (nisi obstent leges fundationis) reparationes faciendae sunt patroni sumptibus; adeoque patrono congruus terminus praefigatur, ut ecclesiam reparet; quo inutiliter elapso, omni patronatus iure cecidisse declarari poterit [1].

887. Cum a domo Dei non solum arcendum sit quidquid indecorum atque profanum est, sed etiam in cunctis ornatus atque splendor templorum christianorum sit procurandus; etiam singulae ecclesiarum partes omniaque instrumenta cultui divino addicta, aptitudine, ordine, veraque pulchritudine emineant, atque, inprimis, legibus ecclesiasticis conformentur.

888. Quare *altare*, in quo in ecclesiis nostris sacrificium eucharisticum offertur atque augustissimum Sacramentum asservatur, uniuscuiusque ecclesiae principale sit ornamentum. Hinc, ubi fieri potest, saltem altare principale ecclesiae sit altare fixum ex una tabula lapidea, suae basi perfecte coniuncta riteque consecrata.

[1] Benedict. XIV. Instit. C. n. 14; S. C. EE. et RR. in *Bononiensi. Aedif. Eccles.*, 15 Iunii 1855, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 1. n. 52.

Quod si huiusmodi altaria fixa haberi non possunt, ea erigantur altaria, quae, sive lateritia sive lignea sint, ad altaria fixa quam proxime accedant, ideoque parieti vel pavimento sint colligata, si lignea fuerint, atque mensae altaris inseratur altare portatile, quod constare debet ex vero lapide duro, non ex lapide puniceo sive ex gypso, et pro qualitate altaris, sufficientis sit magnitudinis ad continendum calicem et patenam. Praeterea mensa altaris tribus mappis, seu tobaleis lineis et mundis operiatur, quarum superior ex utroque latere decenter perpendeat usque ad solum. Super gradum mensae inter candelabra sit *eminens effigies* sculpta seu picta Christi Domini e cruce pendentis, collocata eiusque magnitudinis, ut, sacerdos celebrans et populus sacrificio assistens, Crucifixum, non vero solam Crucem, commode intueri possint [1].

889. Cum parochis potissimum incumbat cura deferendi ad infirmos sacrum Viaticum, ne sine Communione moriantur (Can. *Presbyter* 93. D. II. *de consecrat.*), in Ecclesiis parochialibus et in Cathedrali, quae princeps est singularum dioecesium ecclesia, decenter asservari debet sanctissima Eucharistia. Regularibus etiam permissum est, ut in suis Ecclesiis Conventualibus Eucharistiam custodiant, dummodo servetur quod Tridentina Synodus praescripsit quoad Moniales, eas videlicet non posse, ex quovis indulto aut privilegio, Eucharistiam servare intra claustra, sed in parte exteriori Ecclesiae [2]. Hoc tamen indulto gaudent dumtaxat Ordines religiosi proprie dicti; nam Congregationes quae simplicibus votis obligantur, et religiosae domus episcopali tantum auctoritate erectae, ut sacram Eucha-

[1] S. R. C. 17 Sept. 1822, ad 7 (n. 2621).
[2] Conc. Trid. sess. 25 de regul. c. 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ristiam asservare valeant, indigent Apostolica facultate [1]. Ecclesiae vero collegiales, nisi sint simul parochiales, et multo minus aliae minores ecclesiae, quae curam animarum adnexam non habent, Eucharistiam asservare absque apostolico indulto minime possunt. Neque Episcopus, si de custodia perpetua agitur, illud concedere valet, cum excedat fines suae auctoritatis; facultatem solum idem elargiri poterit pro custodia temporanea [2].

890. *Tabernaculum in medio altaris positum* ad asservandam sacratissimam Eucharistiam, quod in ecclesiis parochialibus et regularibus collocari ordinarie debet tanquam in digniori loco in ipso altari maiori, non autem in cathedralibus [3] propter functiones quae ibidem fiunt, sit, pro cuiusque ecclesiae facultatibus, affabre elaboratum, eleganterque ornatum conopeo [4] coloris officio congruentis, sin minus albi vel saltem cortinula in exteriori parte, intus vero vel deauratum vel panno serico albi coloris circumvestitum [5]; et in eo candidum sternatur corporale, quod frequenter mutandum erit. In ipso autem tabernaculo nihil praeter augustissimum Sacramentum reponere licet, non sacra olea, non Sanctorum reliquias, non calices, non parvam pyxidem ad Viaticum deservientem aut aliud quidpiam, quantumvis sanctum sacrumque videatur. Nihil quoque supra tabernaculum praeter crucem collocare licet, non imagines, non candelabra, non vasa cum floribus, non denique sacras reliquias, cuiuscumque sint dignitatis,

[1] Bened. XIV. Const. *Quamvis iusto*, 30 Apr. 1749.

[2] S. C. C. in *Cassanen.* 12 Aug. 1747, ap. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 1. n. 98.

[3] S. C. EE. et RR. in *Lucensi* 10 Febr. 1579. Cfr. Lucidi, ibid. n. 91.

[4] Ritual. Rom. de Euchar.

[5] S. R. C. 20 Iun. 1899, ad 4 (n. 4035).

etiam SS. Crucis [1], ne illud sit veluti basis ad alia sustentanda. Nequit etiam ante eiusdem ostiolum vas florum neque aliud retineri, neque in ipso imagines sculpi aut pingi, nisi Domini Salvatoris vel sacrae Eucharistiae allegoriam referentes. Ostiolum sit satis firmum suaque sera et clavi munitum, atque tale, ut sacra pyxis facile et reverenter introduci ac extrahi possit. Clavis sit argentea vel saltem deargentata et duplex, ne, una amissa, fabri ferrarii manus adhiberi necesse sit ad illud aperiendum; semperque sit apud parochum vel rectorem ecclesiae, numquam vero apud sacristam laicum.

891. *Baptisterium*, quod semper et merito ut ecclesiae nobilissima pars reputatum est, quoad fieri potest, debet esse prope ianuam maiorem ecclesiae in cornu evangelii et cancellis occlusum sera munitis; in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur imago S. Ioannis Christum baptizantis. Fons baptismalis sit marmoreus vel saltem ex alio lapide polito et minime poroso; sin minus conficiatur ex congruo metallo; in interiori parte geminam habere potest partitionem, ut hinc sit aqua salutaris illinc eadem aqua ex capite infantis defluens accipiatur; operculo ligneo vel metallico bene tegatur atque in eius vertice crux affabre facta et deaurata emineat. Bis autem per annum, occasione nimirum novae benedictionis, sabbatis Paschae et Pentecostes faciendae, per ipsum parochum aut alium sacerdotem diligenter purgetur, aqua vero residua in sacrarium mittatur.

892. *Sedes confessionales* in ecclesiis sufficienti numero existant atque in patenti, conspicuo et apto ec-

[1] S. R. C. 22 Ian. 1701, ad 10 (n. 2067); 31 Mart. 1821, ad 6 (n. 2613); 12 Mart. 1836, ad 1 (n. 2740).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

clesiae loco sint positae, et crate tenuiter perforata inter poenitentem et sacerdotem instructae. Exterius autem expedit, ut aliquam habeant Crucifixi vel Bmae Virginis imaginem, ad pios affectus in poenitentium corde excitandos. Denique sedes confessionalis non solum affabre et apte, quantum fieri potest, sit facta; sed praesertim ut decentiae, dignitatis sacerdotis atque sigilli sacramentalis ratio habeatur et legitimo commodo fidelium consulatur, summopere est curandum.

893. *Suggestus* pro concione ad populum habenda, si elegantior haberi non possit, saltem in forma decenti conficiatur, atque a latere evangelii, quantum fieri possit, in loco apto et conspicuo sit positus. Rectores quoque ecclesiarum non negligant *chorum*, in quem cantores ad sacrum concentum conveniunt, et ubi organum pulsatur; curentque, ut a populi conspectu omnis distractionis occasio, quantum fieri potest, tollatur. Item *subsellia* et *sedilia*, quae clericis in presbyterio et laicis in ecclesiis sunt destinata, apte conficiantur riteque disponantur.

894. *Sacristia*, quae partibus ecclesiae adnumerari potest, quatenus fieri valet, versus meridiem vel orientem sita sit, ut functionibus sacris commode inserviat atque aptum habeat armarium ad conservanda utensilia liturgica. In loco conspicuo sacristiae sit Crucifixi imago; tabella quoque affigatur Missarum onera descripta referens, neque sacrarium desit. Maxime vero Rectores ecclesiarum sedulo invigilent, ut in sacristia omnia sint munda ac nitida et quantum ministrorum officia patiuntur, religiosum servetur silentium et confabulationes nugaeque puerorum arceantur, neque ibidem morentur qui ad ministerium illius non pertinent.

895. *Turris* ecclesiae ab usibus mere profanis aliena

sit oportet. Item campanae ad usum ecclesiasticum destinatae, quae omnino debent benedici ab Episcopo, vel, si habeatur necessarium indultum Apostolicum, a presbytero cum aqua ab Episcopo benedicta [1], usibus profanis inservire non possunt [2], nisi in casibus necessitatis aut ex legitimis consuetudinibus ab Ecclesia adprobatis.

896. Quae de ecclesiis aedificandis, conservandis, restaurandis statuta sunt, servata proportione, etiam *oratoriis publicis vel semipublicis* sunt applicanda. Oratoria publica sunt aedes sacrae quae « ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata ianuam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum. Privata e contra stricto sensu dicuntur Oratoria, quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae ex indulto S. Sedis erecta sunt. Quae medium inter haec duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, Oratoria semipublica sunt et vocantur » [3]. Ut oratoria publica et semipublica erigantur, requiritur et sufficit licentia Episcopi dioecesani [4]. Qua licentia obtenta, sacrificium Missae ibi celebrari atque aliae functiones sacrae iuxta modum ab Episcopo definiendum peragi possunt, salvo iure Episcopi visitandi atque reformandi.

897. Quamvis nemo prohibeatur, quominus sibi constituat oratorium *privatum*, tamen ut in illo sacrificium Missae celebrari possit, indultum Sedis Apostolicae omnino requiritur [5]. Conditiones in indulto Apo-

[1] S. R. C. 19 April. 1687 (n. 1781); 9 Mail. 1857, ad 2 (n. 3042).
[2] S. R. C. 16 Iul. 1594, ad 1 (n. 52).
[3] S. R. C. 23 Ian. 1899 (n. 4007), super Oratoriis semipublicis. V. Appen. n. CXVI.
[4] Can. 9. de consecr.; cap. *Auctoritate* 4, de privil. in Sext.
[5] Conc. Trid. sess. 22. decret. de obser. et evit. in celebr. Missae. Cfr. Lucidi, de Vis. SS. Lim. cap. 1. n. 98.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
BIBLIOTECA GENERAL DE BIBLIOTECAS

stolico expressae accurate sunt servandae, neque ulla ratione permitti potest, ut usus privilegii, contra tenorem verborum, ad personas, loca, tempora, officia ibi non expressa, arbitrarie extendatur. Quod ne fiat, Episcopi per parochos diligenter invigilent, atque, ubi opus sit, iure suo visitandi atque reformandi utantur, prae oculis habita Encyclica *Magno cum* Benedicti XIV, 2 iun. 1751, *de tollendis abusibus ab Oratoriis privatis, quae sunt in domibus laicorum* [1]. Qua in Encyclica exposita habentur quae Episcopus tuto possit circa communiones et confessiones fidelium in privatis Oratoriis.

CAPUT II.

De sacra supellectili.

898. Si in veteri lege, quae fuit umbra futurorum, ipse Deus per famulum suum Moysen sacrificiorum ritus, sacrorum vasorum numerum, vestes pretiosas Pontificis, sacerdotum, levitarum, praescripsit; multo magis decet, ut in nova lege quidquid in oblatione incruenti sacrificii eucharistici et sacramentorum administratione adhiberi debet, divinorum mysteriorum maiestatem commendet, atque ingerat populo fideli reverentiam et devotionem.

899. *Calices*, qui ad sacrificium Missae adhibentur, itemque patenae debent esse ex auro vel argento aut saltem habere cuppam et patenam argenteam, intus deauratam [2]. Calices et patenae, antequam ad sacrificium eucharisticum adhibeantur, ab Episcopo conse-

[1] Vid. Appen. n. XIV.

[2] Missale Roman., Rit. celebr. 1. 1; Defect. in celebr. 10. 1, ubi toleratur et calix stanneus.

crari debent [1]. Quae consecratio sine indulto Apostolico a simplice sacerdote fieri non potest [2]. Calices et patenae exsecrantur, quando ita immutantur vel franguntur, ut sancto sacrificio non iam inservire possint. Idque locum habet, si perforentur, vel cuppa calicis a pede, cui fixa est, per fractionem divellatur, vel si pars interior cuppae deaurationem amittat: nec tamen debent exsecrari antequam artifici tradantur [3]; sed sufficit ut post novam deaurationem vel reparationem denuo consecrentur. Permittitur *catinum* seu patena specialis ad usum fidelium ad Sacram Synaxim accedentium, dummodo omnino etiam quoad formam distincta sit ab ea qua sacerdotes utuntur in Sacrosancto Missae Sacrificio, toties quoties inspicienda et purificanda, decentique in loco, vel in speciali bursa prope tabernaculum, non autem in ipso tabernaculo asservanda.

900. *Pyxis*, sive *ciborium*, in qua conservatur vel etiam exponitur sacrosancta Eucharistia, si fieri possit, ex argento vel auro [4], utcumque vero ex solida decentique materia [5] sit confecta, atque saltem intus deaurata [6]. Quae pyxis ante usum ab Episcopo vel a sacerdote per ipsum delegato est benedicenda. Praeter ciborium maius habeatur etiam pyxis minor, eodem modo confecta, in usum infirmorum [7].

901. *Ostensorium*, in quo maior hostia publicae venerationi exponitur, quamvis summopere desiderandum

[1] Cap. *Cum venisset* 1. § 8. de sacr. unct. 1. 15.
[2] S. R. C. 9 Maii 1857, ad 1 (n. 3042).
[3] S. R. C. 20 Apr. 1822, ad 1 (n. 2620).
[4] Caeremon. Episc. lib. II. cap. 30. n. 3.
[5] Rituale Rom. de Euchar.
[6] S. R. C. 31 Aug. 1867, ad 6 (n. 3162).
[7] Caerem. Ep. lib. II. cap. 33. n. 14.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ut aureum sit vel argenteum, saltem expedit ut lunulam habeat ex auro vel argento rite confectam, cum reliquae ostensorii partes etiam ex aere vel stanno vel decenti metallo albo formari possint. Permittitur tamen ut Pyxis, Monstrantia et Lunula sint ex cupro deaurato [1]. In summitate ostensorii crux visibilis omnino requiritur [2]; ipsum autem ostensorium cum lunula ab Episcopo vel, si habeatur indultum S. Sedis, a sacerdote per ipsum delegato benedicatur [3].

902. Vestes sacrae sacerdotum atque levitarum, quamvis pro dignitate tanti sacrificii pretiosae sint oportet, tamen ubi paupertas ecclesiarum obstat, saltem integrae et decenter mundae et pulchrae existant, praesertim autem quoad formam, materiam, colorem in omnibus sint liturgicis praescriptionibus conformes [4].

903. Quoad formam vero vestium sacrarum, ex disciplina nunc in Ecclesia latina vigente receptam ac praesertim usu Ecclesiae Romanae probatam, absque venia Sedis Apostolicae nihil innovetur [5].

904. *Lintea*, quae propius inserviunt sacrificio eucharistico, nimirum mappae altaris, corporalia, pallae, purificatoria, non alia adhibenda sunt quam ex tela linea aut cannabina [6]. Albae quoque atque amictus, superpelliceа et rochetta, mappa ad dispensationem sacrae Communionis destinata, aliaeque tobaleae vel mappulae, pariter ex lino aut cannabe sint, non ex gossypio vel alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabim aemulante

[1] S. R. C. 31 Aug. 1867, ad 6 (n. 3162).
[2] S. R. C. 11 Sept. 1847 (n. 2957).
[3] S. R. C. 16 Nov. 1649, ad 5 (n. 926).
[4] Missale Roman. Rubr. Gen. XVIII-XX; Ritus celebr. I. 2.
[5] Conc. prov. Ultraiect. an. 1865, tit. 5. cap. 2.
[6] S. R. C. 23 Iun. 1892, ad 1. 2 (n. 3779); 15 Maii 1819 (n. 2600).

et aequante. Quod si S. Rituum Congregatio permisit, ut, si quae iam haberentur ex gossypio, adhiberi possent, donec consumerentur, huiusmodi permissio ad purificatoria, pallas, corporalia non est extendenda [1], atque ea permissione pauperes tantum ecclesiae utantur oportet. Signum crucis amictui in medio est omnino insuendum [2]; ad albas vero exornandas reticulata texta minime requiruntur.

905. *Cingula* sint funiculi linei seu cannabini et albi coloris; possunt tamen esse serici vel lanei et coloris paramentorum. Quoniam vero per cingulum significantur funes et flagella, quibus Christus Dominus ligatus et caesus est, penitus reprobamus cingula, quae ex panno plus minusve ornato confecta sunt atque potius zonam sive fasciam referunt. Tolerari tamen possunt huiusmodi cingula hucusque adhibita donec consumentur [3].

906. Planetae, dalmaticae, tunicellae, stolae, manipuli, pluvialia, ex tela linea vel gossypio vel lana, quamvis coloribus praescriptis tincta vel depicta sint, omnino prohibentur, sed ex pannis sericis vel argenteis vel aureis conficiantur; at etiamsi omnino desiderandum sit, ut paramenta sacra ex opere holoserico tantum confecta sint, tamen, attenta ecclesiarum paupertate, pro paramentis sacris etiam illud panni genus *tolerari* potest, quod ex parte externa et oculis intuentium apparente, integre ex filo serico contegitur, operis autem textilis fulcimentum in gossypio, lana vel in lino habet [4].

[1] S. R. C. 15 Maii 1819 (n. 2600).
[2] Missal. Rom., Rit. celebr. I. 3.
[3] S. R. C. 24 Nov. 1899, ad 6 (n. 4048).
[4] S. R. C. 23 Martii 1882 (n. 3543).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

907. *Coloris* [1] tantum albi aut rubri aut viridis aut violacei aut nigri sint paramenta sacra. Quare color aureus et flavus coloribus liturgicis non sunt adnumerandi [2], sed ab omnibus paramentis sunt exclusi. Item paramenta sacra ex serico confecta atque aliis coloribus et floribus ita contexta, ut vix dignoscatur color primarius et praedominans, pro albo, rubro et viridi mixtim usurpari non valent [3]; hinc conficiantur ex panno sive textili unius coloris, vel saltem unus color in fundo ita dominetur, ut facile uti primarius dignoscatur atque unius potius quam alterius coloris dici possint. Paramenta sacra, quae ex auro sint contexta, pro albis, rubris, viridibus tolerari possunt [4]; coerulei autem coloris adhiberi nequeunt [5], nisi ex privilegio Apostolico in Missis Immaculatae Conceptionis Bmae Virginis Mariae. Velum humerale subdiaconi, in Missa solemni adhibendum, coloris sit Missae convenientis; illud vero celebrantis, in expositione Smi Sacramenti vel in benedictione cum ipso danda, nunquam nisi coloris albi sit; similiter vela ciborii et baldachinum pro deferendo venerabili Sacramento [6].

908. In paramentis nigri coloris nullae imagines mortuorum vel cruces albae ponantur et multo minus ethnicorum signa appareant [7]. Stemmata vero gentilitia donantis in sacris paramentis licet apponere [8].

909. Bursa corporalium crucem habeat in parte

[1] Missale Roman. Rubr. gen. XVIII.
[2] S. R. C. 26 Martii 1859 (n. 3082); 5 Dec. 1868, ad 4 (n. 3191).
[3] S. R. C. 23 Sept. 1837, ad 5 (n. 2769).
[4] S. R. C. 5 Dec. 1868, ad 4 (n. 3191).
[5] S. R. C. 23 Febr. 1839, ad 2 (n. 2788).
[6] Caeremon. Ep. l. II cap. 14. n. 1; Rit. Rom. de Euchar. Cfr. S. R. C. 9 Iul. 1678, ad 7 (n. 1615).
[7] Caerem. Episc. lib. II. cap. 9. n. 1.
[8] S. R. C. 7 Dec. 1844 (n. 2875).

superiori. Manipulus et stola tres cruces habeant necesse est, scilicet in medio et in extremitatibus. Velum, quo calix tegitur, debet esse sericum et eiusdem coloris atque paramenta sacra et tam longe lateque patens, ut ex omni parte calicem tegat [1].

910. Paramenta sacra ab Episcopo iuxta sanctiones iuris sunt benedicenda. Quam facultatem benedicendi, Episcopus, si indulto Sedis Apostolicae sit munitus, etiam simplicibus sacerdotibus delegare potest. Praelati autem regulares, qui huiusmodi privilegio benedicendi paramenta sacra instructi sunt, meminerint, illud pro suarum tantum, non aliarum ecclesiarum usu, ipsis a Sede Apostolica esse concessum.

911. Vestimenta sacra, lacera et usu trita, quae restaurari iam non possunt, certe in usus sordidos et profanos non sunt convertenda, sed comburantur et cineres in sacrarium proiiciantur. Quod si, ratione artis christianae, alicuius pretii reputentur, quid agendum sit, ab Episcopo expetatur.

912. Denique universos rectores ecclesiarum monemus, ut in sacris paramentis reficiendis et renovandis atque augendis, assidui sint et diligentes. Quod si ipsorum ecclesiae forte pretiosis vestibus sacris non praestent, saltem omnia munda sint atque decentia, ideoque praesertim sacra lintea in forma a iure praescripta frequenter abluantur. Qua cura illi proprio satisfaciunt officio, populi fidelis sibi commissi excitant devotionem et maiorem divinae maiestatis procurant gloriam.

[1] Rit. celebr. Miss. I. n. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT III.

De Coemeteriis.

913. Ecclesia catholica fideles, quos sacro baptismate renatos per totam vitam suorum beneficiorum consortes effecit, etiam post mortem suis officiis prosequitur; firma enim fide credit in vitam aeternam carnisque resurrectionem atque in purgatorium, ubi animae fidelium detentae suffragiis Ecclesiae militantis iuvari possunt. Hinc, iam a primis saeculis, corpora fidelium in loco sacro sive in coemeteriis recondita sunt; nam christiani in suis monumentis non tam quiescere quam dormire censentur, usquedum in universali resurrectione corpora veluti a prolixiore somno ad aeternam felicitatem suscitentur. Nostra autem aetate, Ecclesia merito damnat et reprobat machinationes eorum, qui, pravis doctrinis imbuti, cremationem cadaverum [1] propugnant et promovent, aut coemeteria mere civilia erigunt, ubi, neglecto discrimine inter eos qui cum pace Ecclesiae mortui sunt aut qui extra illam decesserunt, contemptisque sacris ritibus ecclesiasticis, omnes pari honore sepeliuntur.

914. Quapropter haec Plenaria Synodus, inprimis solemniter asserit ius Ecclesiae in omnia coemeteria catholica in dominio ipsius constituta vel saltem sacra benedictione iurisdictioni ecclesiasticae subiecta; omnesque Praesules ac fideles hortatur et obsecrat, ut totis viribus omnibusque mediis legitimis usurpationes et profanationes ab huiusmodi coemeteriis avertant, aut si quid iniuriae iam sit Ecclesiae illatum, in defen-

[1] S. Off. 19 Martii 1886 (Coll. P. F. n. 1609).

dendis et recuperandis sacris illis iuribus, nullo parcant labori.

915. Quod si de novis coemeteriis erigendis agatur, ad Ecclesiam spectat ius indubitatum ea pro suis fidelibus constituendi, quae illis solis sint reservata. Ordinarie autem unaquaeque parochia proprium habeat coemeterium, nisi forte in civitatibus, quae pluribus constant parochiis, unum coemeterium sit praeferendum.

916. Nemo, etiamsi sit parochus, ad novum coemeterium ecclesiasticum constituendum procedat, antequam Episcopus loci consilium ratum habuerit atque universi negotii conditiones approbarit. Quae approbatio eo facilius obtinebitur, si locus eligatur aptissimus, sat amplus, siccus, quatenus regionis natura permittit, aliquatenus saltem editior, omnibusque qualitatibus hygienicis praeditus; insuper, non nimis dissitus, sed commodus, ut exequiae absque impedimento celebrari et ipsa coemeteria a fidelibus, suadente devotione et caritate, frequentari queant.

917. Ut a coemeteriis, utpote locis sacris, cuiuscumque profanationis periculum facilius arceatur, firmis undique septis ea munita sint valvisque bene instructa. Potissimum crux in medio coemeterio est collocanda, in altum erecta, solidissima basi suffulta et pro facultatum modo decorata. Decet quoque ut in coemeterio oratorium erigatur, congruo altari et necessaria supellectili provisum, ut ibidem sacrificium Missae celebrari possit.

918. Coemeterium, ut Christifidelium sepulturis sit aptum, praevia benedictione est sanctificandum. Quae benedictio aut ab Episcopo loci [1] aut per presbyterum

[1] Pontifical. Rom. P. II. De bened. coemet.

ab Episcopo delegatum, in forma a iure praescripta [1], est perficienda.

919. Qua benedictione cum coemeterium fiat locus vere sacer, omnino a rectoribus ecclesiarum curandum est, ut, in epitaphiis, elogiis, statuis, monumentis, omnia quae sunt absona et profana, omnino arceantur. Quamvis autem non deceat, ut coemeteria veluti voluptuarii horti colantur, tamen cavendum quoque est, ne sacrata christianorum coemeteria iusto decore et ordine sint destituta.

920. Sacerdotum et clericorum cuiuscumque ordinis sepulchra, ubi fieri potest, a tumulis laicorum separata sint, et, prout Rituale Romanum praecipit, decentiori loco sita.

921. Pro vetusta et laudabili ecclesiarum consuetudine, etiam infantes baptizati, et parvuli, qui ante annos discretionis obierunt, speciales in coemeteriis sepulturas habeant, quatenus commode fieri potest; alias sepeliri possunt in sepulchris maiorum vel in promiscuis coemeteriorum tumulis [2].

922. In coemeterio parochiali, praesertim ubi coemeterium peculiare pro acatholicis non habetur, pars aliqua non benedicta separetur muro vel crate, vel alio modo convenienti, a parte benedicta, ut ibidem ii sepeliri possint, qui a sepultura ecclesiastica excluduntur.

923. Cum sepultura ecclesiastica sit ritus sacer atque coemeterium locus sacer, ad solam Ecclesiam spectat ius declarandi quibusnam sepultura ecclesiastica sit danda vel quibus sit deneganda. Quo iure Ecclesia sapienter usa est, atque a suis coemeteriis et sepultura ecclesiastica praesertim excludit omnes qui per baptismum in Ecclesiam non sunt ingressi; tum etiam notorios apostatas, haereticos, schismaticos, excommunicatos, qui usque ad mortem contumaces permanserunt [3]; item morientes in duello, etiamsi ante mortem non incerta dederint poenitentiae signa [4], et seipsos occidentes ob desperationem vel iracundiam, non tamen ex insania. Et si dubium supersit, utrum quis ob desperationem vel iracundiam, an ex insania, seipsum occiderit, sepultura ecclesiastica est concedenda, sed vitatis pompis et solemnitatibus exequiarum [5]. Denique a sepultura ecclesiastica repelluntur omnes publici et manifesti peccatores, qui absque poenitentia impie decesserunt. Quod si in casu aliquo particulari dubium occurrat, res ad Episcopum est deferenda [6]. Si vero, ratione distantiae vel alterius gravis impedimenti, Episcopus adiri non possit, parochi normam christianae lenitati et misericordiae magis conformem teneant, praesertim cum res sit de fidelibus subitaneo languore e vivis sublatis, qui poenitentiae signa haud exhibere potuerunt.

924. Coemeterium iisdem modis polluitur, quibus ecclesiae pollui dicuntur; atque polluta ecclesia, etiam coemeterium polluitur, si illud ecclesiae sit contiguum [7]; attamen ex sepultura indignorum coemeterium fit pollutum, non solum si infideles, sed etiam si haeretici, apostatae, schismatici eorumque fautores publice denuntiati, aut excommunicati vitandi in eo sepeliantur.

[1] Ritual. Roman. de Benedict.
[2] Ritual. Rom. de Exequiis.

[1] Ritual. Rom. de Exequiis.
[2] Conc. Trid. sess. 25. cap. 19 de ref.; Bened. XIV. Const. *Detestabilem*, 10 Nov. 1752.
[3] S. Off. 16 Maii 1866 (Coll. P. F. n. 1605).
[4] Ritual. Rom. l. c.
[5] Cap. *Si Ecclesiam* unic. de consecr. in Sext.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

925. Quoniam aliquibus in locis Confraternitates existunt, quae exemptionem totalem habere contendunt circa sepulturam ecclesiasticam; ut omnia rite procedant et in tuto posita sint iura parochorum, volumus, ut Ordinarii diligenter examinent tenorem documentorum, quibus tales exemptiones concessae dicantur, omnes abusus contrarios litterae et menti praefatorum documentorum et praetensiones parochis iniuste gravosas e medio tollant; et si aliqua gravis difficultas occurrat, rem deferant Sanctae Sedis iudicio solvendam.

926. Ne autem multiplicentur difficultates in sepultura indignorum, parochi, paternae praevidentiae normas prae oculis habentes, et praesertim caritatis officia totis viribus adimplentes, infirmos catholicos qui vitam a christianis institutis alienam duxerunt, cum publico fidelium scandalo, prudenter et sollicite disponant, ut christianus sit eorum ab hac mortali vita discessus: quod si inanes fuerint vel inutiles futuri praevideantur conatus ad conversionem obtinendam, opportuna consilia et mandata ab Episcopo exquirere non omittant.

927. Ad vitandas profanationes christianae fidelium sepulturae, nullae fiant exhumationes cadaverum vel cinerum eorum, qui in Domino quiescunt, absque expressa Episcopi licentia, quamvis agatur de coemeteriis saecularizatis vel profanatis; quod si casus ita urgeat ut recursus ad Ordinarium fieri nequeat, exquiratur saltem licentia Vicarii foranei vel parochi, qui sollicitam curam habebunt de honestate et religiositate novae sepulturae.

928. Si coemeterium fuerit pollutum, reconciliatione opus est, quae aut ab Episcopo loci, in forma

a iure statuta [1], aut a sacerdote per ipsum delegato, iuxta formam Ritualis Romani [2] est perficienda.

929. In locis ubi coemeteria saecularizata vel profanata fuerunt per civiles leges, prae oculis habeatur responsum Sancti Officii diei 13 Febr. 1862 [3], quo dantur normae opportunae parochis catholicum coemeterium haud habentibus, scilicet: 1.° curandum est Episcopo, ut catholici coemeterium habeant a coemeterio acatholicorum distinctum; 2.° si id effici non possit, experiendum est utrum saltem in eodem coemeterio distinctus locus pro tumulatione catholicorum haberi possit; 3.° si neque id possibile sit, usquedum praedicta facultas non obtineatur, singulis vicibus, cum catholici cadaver ad sepulchrum defertur, sepulturae locus debet benedici.

1 Pontificale Rom. P. II. De reconc. coemet.
2 De Benedict.
3 Coll. P. F. n. 1604.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TITULUS XV.

DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS

CAPUT I.

De Curiis episcopalibus et earum Officialibus.

930. Episcopi, quasi magnae familiae patres, cum omnia per seipsos administrare non valeant; ut eo, quo par est, studio, grave absolvant atque perplexum « ius cuique suum tribuendi » officium; et « ut negotiorum et causarum ordinatissima ratio constet, sublatisque rerum confusionibus et noxiis dilationibus, iudiciales controversiae non minus rectum, quam expeditum cursum et finem obtineant » [1]; ad id muneris idoneos viros destinant, qui proinde curiam episcopalem constituunt.

931. Quaelibet episcopalis curia constat in primis *Vicario Generali*, qui deputatus habetur cum generali potestate, ut, exceptis iis quae mandatum speciale postulant, vel iis quae Episcopus expresse sibi reservaverit, ordinariam ipsius Episcopi iurisdictionem exerceat; eique, virtute officii, competit cognitio causarum totius dioecesis. Unum idemque tribunal cum Episcopo

[1] Benedictus XIV. Const. *Iustitiae et pacis*, 9 Oct. 1746.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

constituit; quocirca a Vicarii Generalis sententia ad Episcopum non datur appellatio.

932. Alter episcopalis curiae officialis est *promotor fiscalis*, qui etiam procurator fiscalis nuncupatur. Generale eius officium est iustitiam et legem tueri. Quapropter ad ipsum spectat, quotiescumque adversus aliquem criminaliter agendum est, libellum seu querelam iudici porrigere. Quemadmodum enim in civilibus necessaria est petitio actoris, sic in criminalibus querela promotoris fisci, quatenus non adsit accusator privatus, vel non procedatur per viam inquisitionis aut denuntiationis. Et usque ad exitum litis, omnia, quae in civilibus praestare solent periti, probi atque diligentes actores, in causis criminalibus explet fisci procurator. Officium promotoris fiscalis non cessat, cessante iurisdictione Episcopi: hinc, vacante sede, ille assistentiam suam praestare debet Vicario Capitulari.

933. Tertius demum officialis est *cancellarius*, qui etiam actuarius vel notarius audit. Cancellarii munus est acta curiae, nedum iudicialia, verum etiam extraiudicialia, fideliter conscribere: actis, decretis, sententiis, eorumque authenticis exemplaribus subscribere. Nec quidquam pro singulis sui officii actibus ei licet accipere ultra taxam a legitimo superiore determinatam. Etsi Concilium Tridentinum [1] haud vetet notarium e laicali coetu eligi, hortamur tamen, ut hoc munus nonnisi ecclesiasticis viris committatur.

934. Vicario Generali, procuratore fiscali et cancellario, ut plurimum, constant episcopales curiae. Nonnunquam tamen, in gravioribus potissimum causis, vel quandocumque Vicarius non censeatur ab omni prorsus

1 Sess. 22. cap. 10 de ref.

partium studio immunis, Episcopus per seipsum Vicarii Generalis partes explet. Notarius quoque sive cancellarius, ad actus iudiciales omnino requiritur. Praeterea, in omnibus actis causarum criminalium necessarius est procurator fiscalis, quando proceditur iuxta instructionem S. Congregationis Episcoporum et Regularium [1], et quando non adest accusator privatus, neque proceditur per viam inquisitionis aut denuntiationis.

935. Praeter Vicarium Generalem, ab antiquissimis temporibus, in more habuerunt Episcopi constituere *vicarios foraneos*, qui, extra civitatem, in pagis et oppidis sibi adsignatis, ius dicerent in quibusdam levioris momenti causis et iurisdictionem exercerent, ad certos dumtaxat actus limitatam, non unum idemque tribunal cum Episcopo constituentes, permissa proinde ab eorum sententiis ad eumdem Episcopum provocatione. Quoniam vero clericorum vitae honestas et exemplaris integritas, studiumque diligens in adimplendis officiis, salutare praestat remedium, ne mala impune grassentur, cum magno populi scandalo et animarum pernicie, volumus ut, ubi nondum forte existant, quamprimum constituantur, in praecipuis saltem dioecesium locis, vicarii foranei, quocumque demum nuncupentur nomine (Archipresbyteri, Decani etc.), qui, prout ipsorum exigit munus, ex mera ipsius Episcopi delegatione acceptum, excubent, ut parochi, aliive presbyteri suae iurisdictioni suppositi, ea qua par est diligentia, prudentia et caritate officium suum adimpleant; statim ac compererint quempiam in sibi commisso munere deficere aut non omnem effugere peccati suspicionem, eum paterne mo-

1 Instructio S. C. EE. et RR. 11 Iun. 1880. V. Appen. n. XLV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

neant, quatenus paternam monitionem profuturam esse confidant; si vero insordescat, vel monitio inutilis prorsus appareat, aut adhibita optatum effectum sortita minime sit, illum absque mora Ordinario denuntient.

936. Cum autem maxime expediat Praelatis, ut sint apprime edocti de suorum subditorum statu, et praesertim de clericorum vita, officiis et beneficiis quae habent et possident in Ecclesia, statuimus et mandamus, ut vicarii foranei, sub finem cuiuslibet anni, scriptam relationem ad Ordinarium mittant, qua ipsum de statu et vita parochorum aliorumque sacerdotum et clericorum proprii districtus, deque eorumdem gestis praecipuis instruant, potissimum vero de excessibus et delictis quae forte commisisse repererint, ut eorum spirituali saluti et morum reformationi, ut decet, consuli valeat. Quod si excessus talis fuerit, ut dilationem non patiatur correctio, illum absque mora denuntient. Hanc autem relationem Ordinarius in secreto tabulario episcopali asservabit, notitias inibi contentas prae oculis habiturus, nedum cum adversus quempiam illorum forsan agendum erit, verum etiam cum officia vel beneficia erunt conferenda, ut ea meritis, viribus atque ingenio cuiusque accommodet.

CAPUT II.

De modo procedendi in causis matrimonialibus.

937. Quanti sint momenti matrimoniales causae, vel ex eo liquet, quod per eas in discrimen adducitur coniugale illud foedus, quod indissolubile ab initio institutum (« *erunt duo in carne una* ») sacramenti dignitate et virtute a Christo Domino auctum est. Indissolubilis

scilicet viri uxorisque societas perpetuam et summam Christi ipsius cum Ecclesia coniunctionem atque ineffabilem et immensum eius erga suam sponsam amorem mirifice significat. Ait enim Paulus Apostolus (*Eph.* v, 25, 32): « *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea... Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* ».

938. Eapropter matrimonialium causarum cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quocumque privilegio ac praescriptione, sublata est, atque Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata, etiam prae Abbatibus *vere nullius*, licet cardinalitia dignitate fulgentibus, iuxta S. Congregationis Concilii resolutiones; hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, verum etiam acta processus per Episcopum, vel per ecclesiasticum virum specialiter ab eo delegandum, conficiantur [1].

939. Adamussim servetur quod Benedictus XIV in Constitutione *Dei miseratione* decrevit [2], ut nempe omnibus hisce iudiciis intersit matrimonii defensor ex officio adhibitus, cuius est voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit. Quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, erunt nulla, irrita, cassa et pro nullis atque irritis habenda, perinde ac si citata et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam, iuxta legum et canonum praescripta, ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.

[1] Instruct. S. C. C. 22 Aug. 1840. V. Appen. n. XVI.
[2] Bened. XIV. Const. *Dei miseratione*. V. Appen. n. X.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

940. Meminerint tamen illi, ad quos spectat, praefatam Benedicti XIV Constitutionem *Dei miseratione*, ac Instructionem S. Congregationis Concilii, diei 22 Augusti 1840 [1], agere solummodo de causis, in quibus disputatur de ipso matrimonii vinculo, non vero de causis in quibus res est de simplici coniugum cohabitatione seu separatione, aut de sponsalibus. Rursum matrimonialibus causis accensentur ea quae concernunt matrimonialia vincula, in facie Ecclesiae, non autem solo actu civili contracta; ceu declaravit S. Congregatio Concilii in *Treviren.*, die 29 Ianuarii 1853.

941. Si agatur solummodo de matrimonio rato et non consummato, supplex libellus Romano Pontifici, sive directe, sive per Episcopum, porrigendus est; in quo, ut praescripsit Benedictus XIV in citata Constitutione, plena et accurata totius facti species contineatur, et causae omnes exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur. Episcopi vero in huiusmodi causis prae oculis habeant declarationem S. Congregationis Concilii, in *Varsavien.*, die 16 Iunii 1894 [2].

942. Igitur, cum Episcopus inquirere debeat, an de nullitate alicuius matrimonii constet vel an consulendus sit Romanus Pontifex pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, iudicem, si velit, delegabit; deinde ipse vel iudex delegatus in ius vocabit defensorem matrimonii, quatenus in curia iam existat, et sin minus, Episcopus illum constituet pro illa vice, eligendo virum idoneum, si fieri poterit, ex coetu ecclesiastico, iuris scientia pariter et vitae probitate praeditum. Defensor, cui munus matrimonii

[1] V. Appen. n. X; XVI.
[2] V. Appen. n. LXXXI.

tuendi committitur, iuramentum inprimis praestabit fideliter officium suum obeundi.

943. Deinde matrimonii defensor facta ab actore in supplici libello enarrata attente perleget, et post maturum examen concinnabit quaestiones coniugi actori proponendas; quas quaestiones ita digeret, ut, antequam de principali controversiae facto, de aliis facto huic affinibus quaerat; et quaestiones concipiet verbis, ex quibus ille, qui examini supponitur, non facile arguere possit nexum, qui inter factum, de quo in ea quaestione agitur, et factum principale intercedit: quod etiam in proponendis quaestionibus alteri coniugi ac testibus servabit.

944. In actu vero examinis, iudex et matrimonii vindex curabunt, ne responsiones ad propositas quaestiones, datae ab examinato, sint incompletae. Studeant scilicet circumstantias eruere, quae in causae decisionem influxum exercent: urgeant examinatum ut rationem seu causam scientiae reddat. Nam testis respondere debet assignando causam dictae scientiae, ita ut si respondere nolit aut nequeat, multo magis si neget vel falsam causam aut ineptam alleget, fides ei omnino adimatur et probatio nulla sit.

945. Nec facile contenti sint iis responsionibus, quibus examinatus non ipsa facta peculiaria una cum circumstantiis refert, sed factis ipse proprio marte pondus et consequentiam adscribit. Testes, nisi facta ipsa cum singulis circumstantiis atque adiunctis temporis et loci in medium afferant, nihil vel fere nihil probant. Testium enim est facta cum circumstantiis narrare, ut exinde possit iudex narrata facta pensare et dignoscere iuris consequentiam.

946. Tolerandi pariter non sunt, sive coniuges,

sive testes, qui, examini suppositi, divagantur a quaestione sibi proposita, prolixam recitantes orationem. Ii adducendi sunt, ut ad singula quaestionis membra conceptis verbis respondeant. Nam ii, quandoque, antequam ad examen accedant, memoriae mandant depositionem in iudicio faciendam, studio partium, potius quam veritatis amore moti. Caeterum profusi sermones molem processus augent absque necessitate; dum e contra, ut veritas eniteat, evitanda est nedum sterilitas, verum etiam orationis superfluitas: inimicus enim veritatis aeque est excessus ac defectus actorum.

947. Post examen coniugis actoris, excutiendus est alter. Compluries hic aegre fert iudicio se sistere. Tunc iudex, hortationibus, suasionibus, eum monens non tam agi de iure tuendo, quam de adimplendo conscientiae onere, studeat adducere, ut vadimonium obeat. Nemo enim melius quam alter coniux cognoscere potest causae cardinem; et veritas sine contradictore non facile erumpit. Deinde, si hic vadimonium promittat, matrimonii assertor quaestiones ei proponendas concinnabit, ob oculos habens facta ab actore, nedum supplici in libello, verum etiam in iudiciali examine asserta. Ad finem vero examinis coniugis istius, prout etiam examinis coniugis actoris, iudex illos invitabit, ut testes in causa audiendos designent.

948. Duplici ex causa testes matrimonialibus in controversiis excuti solent. Primum, ut clara in luce ponant facta, quae sive pro, sive contra intentionem actoris militant: deinceps, ut diiudicari possit fides coniugibus habenda.

949. Si alter coniux apud iudicem se sistere vel testes inducere obstinate recuset, aut quomodocumque defensor matrimonii ex actis iam confectis deprehendat,

praeter testes a coniugibus inductos, alios existere de re instructos, hos etiam opportune citabit, ut examini subiiciantur. Si praetendatur coniuges coire non potuisse, corporali obstante aliquo vitio, periti physici, quos coniuges consuluerunt, ad examen adducendi erunt, et subinde corpus per peritos medicos, inter celebriores tum quoad scientiam tum quoad religionem et honestatem a iudice electos, si agatur de viro, si de muliere, per obstetrices, explorandum erit, servata forma a iure praescripta.

950. Ad exitum perductis testium examinibus aliisque probationibus, finis imponitur inquisitioni et publicatur processus, edito super hoc per iudicem decreto, factisque subscriptionibus ab eo, a defensore matrimonii, et a cancellario. Et quatenus res sit de dispensatione super matrimonio rato et non consummato, acta ad Sanctam Sedem sine mora transmittantur. Quatenus vero in controversiam adductus sit matrimonii valor, tunc locus est defensionibus. Iudex scilicet ea ponderat, quae adversus matrimonium in iure deducit actor vel eius patronus, et quae advertit in favorem matrimonii sacramenti assertor. Et cum nihil amplius deducendum censuerit defensor matrimonii, et iudex, auditis etiam, si opus sit, uno sive pluribus in Theologia et sacrorum Canonum disciplina peritis, causam satis ventilatam existimet, definitivam sententiam proferet.

951. Huc rebus perductis, ad normam Benedictinae Constitutionis, n. 8, « *si a iudice pro matrimonii validitate iudicabitur et nullus sit qui appellet, ipse etiam* (defensor matrimonii) *ab appellatione se abstineat: idque etiam servetur, si a iudice secundae instantiae pro validitate matrimonii fuerit iudicatum, postquam iudex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronun-*

tiaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor inter legitima tempora appellabit, adhaerens parti, quae pro validitate agebat; cum autem in iudicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem iudicem provocabit ».

952. Ad normam decreti S. Officii, diei 5 Iunii 1889 [1], rigor Benedictinae Constitutionis aliquantisper remitti potest nonnullis in casibus, videlicet: « Quando agitur « de impedimento disparitatis cultus, et evidenter « constet unam partem esse baptizatam et alteram « non fuisse baptizatam; quando agitur de impedi- « mento ligaminis, et certo constet primum coniugem « esse legitimum et adhuc vivere; quando denique « agitur de consanguinitate et affinitate ex copula licita « aut etiam de cognatione spirituali, aut de impedimento « clandestinitatis, in locis ubi decretum Trident. *Ta- « metsi* publicatum est vel uti tale diu observatum; « dummodo ex certo et authentico documento, vel, in « huius defectu, ex certis argumentis evidenter constet « de existentia huiusmodi impedimentorum, super qui- « bus Ecclesiae auctoritate dispensatum non fuerit: « hisce in casibus, praetermissis solemnitatibus in Con- « stitutione Apostolica *Dei miseratione* requisitis, ma- « trimonium poterit ab Ordinario declarari nullum, cum « interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin « opus sit secunda sententia ».

953. Praecedenti igitur decreto cautum est, ne matrimoniales causae citra necessitatem prolatentur, quod saepe saepius contingeret, si, in causis recensita

[1] Coll. P. F. n. 1575.

impedimenta concernentibus, altera aut etiam tertia sententia indiscriminatim expectanda esset. Hisce enim in causis iudex, ut plurimum, e codicibus parochialibus aliisve monumentis, veritatem, absque ulla errandi formidine, assequi cito potest. Quibus vero in casibus non ita sit, integrum est matrimonii defensori ad alium iudicem provocare. Ii enim casus expresse excipiuntur in memorato decreto, et manet in suo vigore generale Benedicti XIV principium in citata Constitutione, n. 14: *Nullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi defensor matrimonii crediderit non appellandum.*

954. Et certe impedimentum praesertim *disparitatis cultus* controversias plus semel suppeditat, nec facile, nec una tantum sententia dirimendas. Nam inter ipsos catholicos nonnunquam succrescit proles in parochiali baptizatorum libro non adnotata, *secreto* tamen ab alterutro coniuge aqua piaculari abluta. Fere inextricabiles vero esse solent quaestiones, quae ex hoc capite oriuntur circa matrimonia acatholicorum. Qua in re, prae oculis habeantur decreta Sancti Officii, praesertim decretum diei 1 Augusti 1883 [2].

955. Nec suis caret omnino nodis impedimentum *ligaminis*. Coniuges enim ab invicem separati quandoque regiones incolunt inter se longe distantes, et arduum negotium nonnunquam est certiorari de alterutrius coniugis morte. Cum huiusmodi casus contigerit, sive res sit de matrimonio ab alterutra parte contracto sive de contrahendo, ob oculos habenda omnino est Instructio Sancti Officii anni 1868 [3].

956. Frequentius etiam quaestiones difficiles secum fert impedimentum *clandestinitatis*, his Concilii Tri-

[2] Coll. P. F. n. 662.
[3] V. Appen. n. XXX.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dentini verbis definitum [1]: « *Qui aliter, quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat* ». Cum vero nupturientes pluribus in paroeciis versati sunt, quaeritur quandoque an parochus, qui matrimonialem eorum consensum excepit, ille sit qui ex Tridentini Concilii lege assistere debebat. Et quamvis sententia invaluerit iuxta quam duo ad hoc requirantur ac sufficiant, habitatio nempe alterutrius saltem nupturientis in ea parochia, in qua matrimonium contrahitur, atque animus ibidem permanendi per maiorem anni partem; verumtamen argumenta, queis de praedicto nupturientium animo constare possit, nonnunquam praesto minime sunt. Ad indicia tunc recurrendum est: quae res est deceptionum periculis plena.

957. Et quoniam in matrimoniis coram sacerdote de *ipsius parochi seu Ordinarii licentia* celebratis, licentiam reapse intercessisse idoneis argumentis demonstrare, opus quandoque laboriosum est, quia praefata licentia compluries datur oretenus, quod caeteroquin a Concilio Tridentino non improbatur, et nonnunquam parochorum negligentia parochialibus in libris minime adnotatur; in huiuscemodi casibus, quam maxime interest an parochus sive Ordinarius, qui matrimonio assistere debuisset, vel potius nupturientes, licentiam locum non habuisse contendant. Parocho enim vel Ordinario, non autem coniugibus aliisve eam denegantibus creditur, si intentionem suam opportunis argumentis haud communiant.

[1] Sess. 24. cap. 1 de ref. matrim.

958. Sunt etiam aliquando, qui licentiam quidem collatam esse concedunt, eius tamen valorem inficiantur, contendentes eam esse vagam, generalem, non vero, prouti de iure, definitam atque determinatam. Inquiunt enim, sacerdotem, qui sacramenta in ea paroecia administrandi potestate non polleat, posse quidem ad determinatum aliquod matrimonium delegari; sed, si ad plura matrimonia uno eodemque contextu delegetur, delegationem illam, nedum illicitam, verum etiam iuris firmitate destitutam esse. Rursum, iuris effectum existimant non sortiri licentiam eidem vel eisdem matrimoniis assistendi, quae non uni sed pluribus sacerdotibus a parochia extraneis conferatur. Hanc doctrinam, quatenus concernit delegationis valorem, esse a veritate alienam liquet, praesertim ex causa *Colonien.* apud S. Congregationem Concilii ventilata [1].

959. His aliisque istiusmodi salebrosis casibus exceptis, iudicium, in causis concernentibus impedimenta per memoratum Sancti Officii decretum expressa [2], una, in aliis vero, duabus conformibus sententiis absolvitur: et si matrimonium nullum atque irritum iudicatum sit, integrum erit coniugibus alias habilibus, novas nuptias inire, nisi sententia vel sententiae eae sint, ut eis salva conscientia defensor matrimonii acquiescendum non putet.

960. Hoc in casu, sacramenti assertor intra decennium, a lata sententia vel ab eius habita notitia computandum, appellationem interponit; deinde acta ad iudicem, ad quem provocat, in forma authentica transmitti curat. Interim firma manet utrique coniugi prohibitio ad alia vota transeundi; quod si aliud matrimonium contrahere ausi fuerint, priusquam vel alia adversus

[1] Dub. *Matrim.*, 18 Martii 1893. V. Appen. n. LXXVII.
[2] S. Off. 6 Iun. 1889. V. sup. art. 952.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

matrimonium prodeat sententia, vel defensor matrimonii declaret se ab interposita appellatione desistere, poenis contra polygamos a sacris Canonibus constitutis omnino subiacent.

961. Abs re non erit advertere, matrimoniale illud vinculum, quod in locis, in quibus non viget lex Concilii Tridentini (sess. 24. cap. I de reform. matrim.), ex iure Decretalium ipso facto exsurgebat, si vir et mulier, alias de iure habiles, post inita sponsalia, carnaliter copularentur, non amplius obtinere. Etenim SS. D. N. Leo XIII, per Constitutionem *Consensus mutuus* editam die 15 Februarii 1892 [1], ob oculos habitis populorum moribus, decrevit ac mandavit, ut deinceps, illis in locis in quibus coniugia clandestina pro validis habentur, a quibusvis iudicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas eiusmodi matrimoniales agitari et iudicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex iuris praesumptione coniugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur.

962. Causae matrimoniales, quandocumque nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursum in iudicialem controversiam revocari. Idque nedum locum habet, quum sententia, quae errore inniti putatur, contra matrimonium, verum etiam cum in favorem matrimonii lata sit. Etenim sententia, quae per errorem renuntiat validum matrimonium quod reipsa irritum est, vel e contra nullum proclamat matrimonium de facto validum, facere minime potest, ut mutetur rei natura.

963. Iudex autem, antequam decernat an sit novo iudicio locus, summariam causae cognitionem praemittit,

[1] V. Appen. n. LXXIII.

non citato adversario, et nonnisi ea apparente iusta, sinit instaurari iudicium.

964. In extraordinario tamen hoc novo iudicio, circumspectius quam in ordinariis iudex et matrimonii defensor se gerant oportet. Is enim, qui cum se defendere posset, id praestare neglexit, non veritatis amore, ut plurimum, movetur, atque ansam praebet fraudis suspicionibus. Praesertim autem in testibus post attestationum publicationem inductis timenda est subornatio. Hac sane ratione, aliis in iudiciis, post publicatas attestationes et in appellationis causa vetitum est testes audire [1].

CAPUT III.

De modo procedendi in causis Clericorum.

965. Cum praesentium iniquitate temporum arduum sit Episcopis forum agere solemnitate anteactis saeculis invecta, SS. D. N. Leo XIII, die 11 Iunii 1880, per S. Congregationem Episcoporum et Regularium, instructionem promulgavit, ad praesentem Ecclesiae conditionem accommodatam, quam prae oculis habere debent ecclesiastici iudices [2].

966. In praefata Instructione res est solummodo de clericis. Sed si Episcopi, prout certi sumus, eo, quo flagrant, animarum zelo, in clericorum causas praesertim disciplinares et criminales incumbant, laicorum etiam coetus meliorem vitae rationem facile inibit.

967. Episcopus igitur, statim ac comperiat clericum in eo esse, ut pastoralem sollicitudinem excitet, officii sui partes, ea qua par est prudentia et caritate, expleat

[1] Cap. *Testibus* 2. de testib. II. 8. in Clem.
[2] V. Appen. n. XLV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

oportet, mora haud interiecta, nec ullo habito respectu ad personam. Iustitia enim oculos non habet, ut videat personas.

968. Ut autem clericorum vitae rationem penitus cognoscat, parochis urbium, in quibus sedem habet Episcopus vel episcopalis curia, Episcopus eiusve Vicarius in spiritualibus Generalis sollicita cura invigilabit, illisque mandabit ut de clericorum, si qui in parochia versentur, gestis, moribus et conversatione accurate referant. Quod vero spectat ad parochos et clericos aliarum urbium, oppidorum, pagorum, rurium, per vicarios foraneos scriptis et oretenus studeat instrui.

969. Inquisitio instituenda, aut generalis, aut specialis erit, pro diversitate casuum. Inquisitioni generali locus erit, quando Episcopo seu Vicario Generali denuntiatur aliquod delictum, quod secum ferat scandalum aut aliud christianae reipublicae detrimentum, non tamen designatur delinquentis nomen. Tunc Episcopus sive Vicarius Generalis secreto inquiret an facinus illud reapse patratum sit; ita tamen generice quoad delicti auctorem inquiret, ut caveat ne contra quempiam in particulari suspicionem ingerat.

970. Speciali inquisitioni locus erit, quando ad praelatum uno eodemque actu defertur delictum et nomen delinquentis, nec non quando ex inquisitione generali sufficientia indicia contra quempiam emergant. Haud gravia ad hanc inquisitionem instituendam indicia requiruntur, quia non grave exinde inquisitus, si innocens sit, damnum persentit, cum inquisitio sit secreta; alicuius tamen ponderis ea sint oportet, quia nullus omnino potest in suspicionem adduci, nisi ex causa secundum iuris definitionem verisimili.

971. Praeterea considerabit an denuntiatio facta sit

ab iis, qui, ratione officii, clericorum moribus custodiendis invigilare debent, seu potius ab aliquo alio. In posteriori enim hoc casu, perpendendum in primis est, an citra culpam is, cui hoc onus incumbit, rem ignorare atque celare praelato potuerit. Nam parochus vel vicarius foraneus, cui subest insimulatus clericus, quique potissimum in negotiis secretae inquisitionis, ex officii sui debito, praelato auxiliari debet, huic muneri, hoc saltem in casu, impar certe erit, si, nullo intercedente iusto impedimento, ignoravit aut rem ad Superiorem deferre omisit. Quod si ille qui clericum accusavit, non publico, sed privato commodo proprio movetur, seu non *criminalem*, sed *civilem* causam agit, id postulans quod clericus ex contractu vel etiam ex delicto sibi debet, tunc iudex ob oculos habebit S. Caroli monitum, in Concilio Provinciali Mediolanen. VI: « Antequam litis reive alicuius iudicium constituatur, studeant (iudices), omni aequitatis officio paternoque consilio, lites dirimere, controversias sedare et transactionibus litigantes reconciliare » [1].

972. Speciali inquisitione ad exitum perducta, ponderat Episcopus, an indicia adversus inquisitum collecta sint gravia vel levia: si levia, ulteriori processu supersedet, acta in secreto curiae tabulario, pro futuro quocumque eventu, asservat, et interim vigilat. Si gravia sint, ad ulteriora procedit; non tamen iudicium extemplo aggreditur, sed rem paterne componere studet, si natura et gravitas abusus vel delicti de quo inquiritur, sinat. Igitur inquisitum arcessit, accusationes ei manifestat, celatis tamen nomine denuntiantis et habitae notitiae origine, quatenus non res sit de iudicio civili, et inquisito quid agere debeat suadere obnititur. Dum

[1] Acta Eccles. Mediolan. I. pag. 355.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

de hisce eum admonet, abstinet se a quacumque poenae comminatione. Fas vero est Episcopo paternas huiusmodi monitiones facere per epistolam vel etiam per interpositam personam.

973. Si inquisitus accedat, et accusationis vim destruat, vel paratum se ostendat ad meliorem frugem se recipere, scandala vel damna illata sarcire, idque pro viribus praestet, nihil ultra agendum erit. At si accedere detrectet, aut paternas spernat monitiones, Episcopus mature perpendit, adhibito etiam prudentum consilio, an indicia, argumenta, contra inquisitum collecta, attenta quoque eius agendi ratione quoad paternas monitiones, adeo gravia sint ut semiplenam probationem constituant, an non. Nam, si ad semi-probationis gradum minime assurgant, satius erit abstinere a poenarum comminatione et a iudiciali processu. Sed contentus erit Praelatus speciali modo eidem invigilare, poenis negativis eum afficere, nova ei officia denegando, atque subtrahendo, quatenus sine iniustitia et scandalo fieri potest, quae ad vitam haud collata sunt. Si vero semiplenam probationem constituant, inquisito, quid agere debeat quidve vitare, accurate insinuat, eodemque contextu congruum eidem indicit terminum, intra quem ille constare faciat, num ea accepto habeat, quae inibi praefinita sunt, adiiciens iudicium adversus eum necessario institutum iri, nisi ea adamussim praestet.

974. Pastoralis haec praesulis cum subdito agendi ratio peritis est clericis, quos compluries lenibus istis remediis arcet a barathro, ab infamia atque a litibus temerariis: congruit autem Episcopo, ne populorum, quorum filialis amor ad munus suum utiliter gerendum maxime ei necessarius est, animos a se abalienare, sibique molestias et offensiones sine causa parare videatur. Dum vero cum clerico ita agit, poterit quidem ob oculos ei ponere incommoda litium; at sedulo studeat oportet suam celare opinionem circa favorabilem vel adversum litis exitum. Quam maxime enim est inconveniens, ut iudex causam, non visis videndis, nec considerandis consideratis, adiudicet.

975. Antedictae monitiones omittuntur, quando natura delicti aut controversiae ita suadeat. Sed nunquam, in criminalibus causis, antequam in ius vocetur inquisitus, praetermittatur iudicis decretum, quo promotori seu procuratori fiscali fit potestas iudicium adversus illum instituendi, prout de iure, et prosequendi actionem. Quatenus vero agatur de iudicio civili, iudex, instante actore, clericum in ius vocabit, nisi in iis versetur locis, in quibus per Summos Pontifices foro ecclesiastico, sive per concordata sive per speciale indultum, ita derogatum est, ut actori iura sua persequi tantummodo detur apud iudices laicos, servata norma decreti Sancti Officii 23 Ian. 1886 [1]. Hoc enim in casu, actor tenetur veniam petere a proprio clerici Ordinario, qui eam non denegabit, postquam pro viribus controversiae inter partes conciliandae frustra operam dederit.

976. Procurator fiscalis, viso praedicto iudicis decreto, attente perpendit facta, quae ope secretae inquisitionis adversus reum adducta fuerunt, subinde libellum concinnat, quo in libello, nisi, ad normam instructionis S. C. Episcoporum et Regularium (11 Iunii 1880) [2], prudentia vetet, facta per extensum exponit in reum per inquisitionem congesta, et libellum concludit, per generica verba instans ut provideatur, prout

[1] V. Appen. n. LVI.
[2] V. Appen. n. XLV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

de iure. Quod si, ob delicti naturam vel alia ob adiuncta, prudens non sit culpas reo in citatione patefacere, fisci promotor peculiaria facta in libello minime narrat, sed generice affirmat facta ad curiam adversus eum clericum delata esse, quae ea sunt, ut ille in ius vocandus sit.

977. Praedicto a fiscali procuratore oblato libello, iudex reo terminum definit, intra quem ille possit et debeat in iudicium sisti. Quod iudicis decretum, una cum libello, reo insinuatur vel per apparitorem curiae vel alio legitimo modo.

978. Si reus stato tempore ad iudicium non accedat, iudex congruum alium ei indulget terminum, addita hac vel simili clausula: *causam in contumacia decisum iri, si reus vadimonium non obeat.* Huiusmodi vero clausulam iudex nedum secundae, verum etiam primae citationi, si necessitas ita postulet, adiicere potest. Citatio autem hac clausula munita audit peremptoria. Si peremptoriae citationi reus haud obtemperet, promotor fiscalis (actor autem in iudicio civili) instat ut, reo amplius non citato, et habito perinde ac si in sui defensione plene succubuerit, attendatur solummodo quidquid ipse in probatis habeat vel habebit, novis etiam adductis probationibus, quatenus desiderentur, ad intentionem suam concludenter firmandam. Hac habita petitione, iudex decernit procedi ad ulteriora, non obstante rei contumacia. Et quamvis contra contumacem omnia iura clament, obtinebit tamen, si bonum ius faveat.

979. Si vero reus intra praefinitum terminum iudicio se sistat, iudiciali examini supponitur, adstante procuratore fiscali et actuario. Heic iudex ea quae supra dicta sunt prae oculis habebit.

980. Nonnunquam accidit, ut reus confugiat ad

exceptiones: quas inter praeeminent exceptiones contra iudicem, quem ut declinet, non legitimum proclamat aut suspectum. Quorum primum eveniret, si iudex extra territorium suum vel inter homines ius diceret sibi non subiectos, vel iurisdictionis modum excederet; alterum autem si cum reo iudex graves inimicitias gerat, si, quae sit in quaestione animi sui sententia, ante tempus manifestaverit, vel alia praesto sit iusta causa. Huiusmodi exceptiones, ceu planum est, inter exordia litis opponendae sunt, nisi postea innotescant. Si iudex exceptionem tanquam iniustam reiiciat, permissum est reo ab hac iudicis sententia provocare; et tunc iudex supersedet processu, donec de exceptione cognoscat iudex ad quem appellatum est. Nulla vero alia appellatio actorum cursum retardabit, nisi sit a sententia *definitiva, vel a definitivae vim habente, et cuius gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat*, vel nisi causa sit a iudice usque ad biennium retardata [1].

981. Quod si exceptio respiciat omissas iudiciorum solemnitates, non est cur iudex de hac exceptione sit valde sollicitus. Sibi enim licet, vigore saepe memoratae Instructionis S. Congregationis Episcoporum et Regularium, omittere multiplices illas iudiciorum solemnitates, quae intimam iudicii naturam minime attingunt; et sibi dicta habeat verba *cap. 2. de verbor. signif.* in Clementin.

982. In quocumque processu, sive criminali sive civili, principem locum obtinet probatio, per quam iudici in controversiam adductae rei veritas innotescit. Neque enim ipsi, non cognita rei veritate, sententiam ferre licet. Hunc in finem, iamdiu receptum est, ut litigan-

1 Conc. Trid. sess. 24. c. 20 de ref.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tium alter alteri proponat positiones, sive articulos, respicientes facta peculiaria, a quibus universae vel principalis causae solutio pendet. Sint autem oportet positiones ad rem pertinentes clarae et perspicuae, non dubiae aut obscurae, non captiosae; positivae seu assertivae, non interrogativae; factum respicere debent, non ius. Positionum effectus est, ut, iis a ponente constitutis, alteri sit exploratum, quid probare ipse debeat, quid in probatis iam habeat. Ponentis vero emolumentum in eo est, quod alter ad positiones respondere debet; ac si confessus fuerit, urgebitur testimonio suo, tanquam re satis certa et probata; si, respondere iussus, a iudicio discesserit, conscientia sua convictus iudicabitur.

983. Quapropter iudex, post examen inquisiti, cum tum reus tum promotor fisci intelligere iam possint quae facta ad causae decisionem conferant, eos ad concinnandas positiones invitat, atque congruum terminum praestituit ad illas sibi exhibendas. Iudex eas admittit aut resecat, prouti res postulat: et deinde mandat ut alter ad alterius positiones respondeat. Auditis alterius responsionibus, alter eas ex propositis positionibus (seu articulis) secernit quas probare debet.

984. Materia probationi obnoxia hac ratione circumscripta, iudex congruum terminum partibus indicit ad probationem faciendam.

985. Cum multiplex sit probationum genus, animadvertendum est monumenta scripta, v. gr. syngraphas vel etiam instrumenta publica, non statim in pretio habenda esse, sed postquam iudicialia reddita sint; imo testimonia a testibus, iudice et litigantium altero absentibus, scripta minus probare.

986. Quod vero ad testes in iudicio excutiendos,

illos iudex supponit quaestionibus, quas regulariter haurit ex articulis ab inducente eos testes propositis. Et quoniam articuli litigantibus noti sunt, et proinde testes etiam cum ad examen accedunt, ut plurimum, eos articulos cognoscunt, iudex ita quaestiones seu interrogationes digeret, ut testis, etsi fortasse a studio partium non sit immunis, atque praemeditatus sit quas dare velit ad articulos responsiones, attamen a quaestionibus sibi propositis eo perductus, quo se iturum minime cogitaverat, veritatem imminuere iam non audeat. Hac de causa, cautum est, ne quaestiones in antecessum manifestentur; sed iudex ita eas cancellario dictabit, ut testis quaestionem sequentem prorsus ignoret, donec satisfecerit praecedenti.

987. Expleto probationum adducendarum tempore, fit conclusio in causa; quae quidem fieri potest, aut expresse aut tacite. Quod si alteruter litigantium nec expresse nec tacite concludat, iudex, cum congruum tempus ad probationes comparandas litigantibus indulserit, atque de factis ad veritatem dignoscendam opportunis satis sit instructus, vel ex officio vel ad instantiam partis conclusionem decernit. Conclusionis in causa praecipuus effectus est, ut litigantes novas deinde probationes per testes vel etiam instrumenta afferre nequeant, nisi extraordinaria et iusta causa suffragetur.

988. Conclusio in causa non ita intelligenda est, ut, ea cessante, nullitatis vitio processus tabescat; attamen absque necessitate omittenda non est. At si conclusio in causa desideretur, integrum erit litigantibus novas usque probationes, novos testes inducere, postquam contrarias probationes viderint et adversariorum testium didicerint attestationes.

989. Cum in causa conclusum est, iure communi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

inspecto, acta patent contendentibus, qui vel per se vel per iurisconsultos possunt respondere et defensiones facere. In criminalibus vero clericorum causis, quid liceat reo, quid fisci promotor in mandatis habeat, quomodo se gerere debeat iudex, passim citata instructio S. Congregationis Episcoporum et Regularium accurate definit. Quibus omnibus servatis, sententia iustitiae conformis prodibit a iudice.

990. A primae instantiae sententia licet appellare: non tamen a secunda, iuxta apostolicas litteras SS. D. N. Leonis XIII *Trans Oceanum* [1], si sit cum prima conformis, nec a tertia si alteram confirmet, salva semper Sedis Apostolicae auctoritate. Quoad iudicem, ad quem is qui appellat provocare debeat, serventur eiusdem Summi Pontificis dispositiones in citatis litteris contentae. Potissimus appellationis intra legitima tempora interpositae et prosecutae effectus est, ut interim sententia executioni mandari nequeat; exceptis tamen casibus a Benedicto XIV in Constitutione *Ad militantis Ecclesiae* recensitis, in quibus non retardatur sententiae executio [2].

991. In causis quae fidem respiciunt, ac proinde quando agitur de violatione Constitutionis Benedicti XIV, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae*, omnia secretissime fieri debent. Igitur, si de causis sollicitantium agendum sit, « omnes curiae ecclesiasticae administri, et quicumque alii ad has pertractandas vel patroni ad defendendas causas assumantur, iusiurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi Episcopi aliique locorum Ordinarii ad servandum secretum obstringuntur, prout in iure cautum est [3]. Qui vero denun-

[1] V. Appen. n. XCVI.
[2] V. Appen. n. XI.
[3] Cap. *Statuta* fin. de haeret. in 6°, et cap. *Multorum*, § *Porro*, *de haereticis* in Clementin.

tiationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini subiiciuntur, iuramentum ab initio de veritate dicenda et, actu expleto, de secreto servando tactis sacrosanctis Dei Evangeliis, etiamsi sint sacerdotes, praestare tenentur » [1]. Ut autem in huiusmodi causis ad normam iuris procedatur, accurate serventur instructiones S. Officii 20 Februarii 1867 et 20 Iulii 1890, quas in Appendice referri mandamus [2]. De complicis autem absolutione tractandum unice est per confessarium cum Sacra Poenitentiaria, per quam facultates necessariae fiunt et mandata opportuna redduntur [3].

CAPUT IV.

De suspensione ex informata conscientia.

992. Nonnunquam contingit, ut Episcopus comperiat clericum, non sine christianae reipublicae detrimento, graviter delinquere; sed eius delictum persequi servatis tramitibus in praecedenti capitulo descriptis non expediat, vel quia cavendum est, ne in vulgus prodeat crimen occultum, vel quia illi, quibus occultum huiusmodi facinus innotescit, de eo testari recusant, si reo nomen testium reveletur.

993. Concilii Tridentini Patres [4] decreverunt ut, evenientibus huius generis casibus, Episcopo liceat clericum *a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis, quomodolibet, etiam extraiudicialiter*, suspendere, et ut subinde *nulla, contra ipsius Praelati voluntatem, ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores*

[1] Instruct. S. Off. 20 Februarii 1867. V. Appen. n. XXIX.
[2] V. Appen. n. LXVI.
[3] Synod. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2, a. 5.
[4] Sess. 14, cap. 1 de ref.

restitutio suffragetur. Ut ea quae decet, in negotio tam gravi, adhibeatur prudentia, prae oculis habendae erunt certae quaedam normae, a S. Congregatione de Propaganda Fide editae, die 20 Octobris 1884 [1]; quae iacent prout sequitur:

« I. – Suspensio ex informata conscientia, non secus ac illa quae per iudicialem sententiam infligitur, « personam ecclesiasticam a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis exercendis interdicit.

« II. – In hoc praecipue ipsa differt a iudiciali suspensione, quod adhibetur tamquam extraordinarium « remedium in poenam admissi criminis; ideoque ad « eiusdem impositionem non requiruntur nec formae « iudiciales, nec canonicae admonitiones. Satis erit « proinde, si Praelatus hanc poenam infligens simplici « utatur praecepto, quo declaret, se suspensionem ab « exercitio sacrorum officiorum vel ecclesiasticorum munerum indicere.

« III. – Huiusmodi praeceptum semper in scriptis « intimandum est, die et mense designato; ideoque « fieri debet vel ab ipso Ordinario, vel ab alia persona de expresso ipsius mandato. In eadem tamen « intimatione exprimendum est, quod eiusmodi punitio « irrogetur in vim Tridentini decreti (sess. 14. cap. 1 « de reform.) ex informata conscientia vel ex causis « ipsi Ordinario notis.

« IV. – Debent insuper exprimi partes exercitii « ordinis vel officii, ad quas extenditur suspensio; quod « si suspensus interdictus sit ab officio, cui alter « in locum ipsius substituendus est, ut puta Oeconomus in cura animarum, tunc substitutus mercedem « percipiet ex fructibus beneficii, in ea portione, quae

[1] V. Appen. n. LV.

« iuxta prudens Ordinarii arbitrium taxabitur. At si « suspensus in hac taxatione se gravatum senserit, moderationem provocare poterit apud Curiam archiepiscopalem, aut etiam apud Sedem Apostolicam.

« V. – Exprimi item debet tempus durationis eiusdem poenae. Abstineant tamen Ordinarii ab ipsa infligenda in perpetuum. Quod si ob graviores causas « Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus « determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa « habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum iurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis.

« VI. – Suspensioni ex informata conscientia iustam « ac legitimam causam praebet crimen seu culpa a « suspenso commissa. Haec autem debet esse occulta, « et ita gravis, ut talem promereatur punitionem.

« VII. – Ad hoc autem ut sit occulta requiritur, « ut neque in iudicium neque in rumores vulgi deducta sit, neque insuper eiusmodi numero et qualitati personarum cognita sit, unde delictum censeri « debeat notorium.

« VIII. – Verum tenet adhuc suspensio, si ex pluribus delictis aliquod fuerit notum in vulgus; aut si « crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, « deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.

« IX. – Prudenti arbitrio Praelatorum relinquitur, « suspensionis causam, seu ipsam culpam, delinquenti « aut patefacere, aut reticere. Partes alioquin pastoralis sollicitudinis et caritatis eorumdem erunt, ut si « istiusmodi poenam suspenso manifestare censuerint, « ipsa ex paternis, quas interponent, monitionibus, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis, et ad occasionem peccandi « eliminandam inserviant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« X. – Meminerint vero Praesules, quod, si contra « decretum, quo irrogata fuit suspensio, promoveatur « recursus ad Apostolicam Sedem, tunc apud ipsam « comprobari debeat culpa, quae eidem praebuit occa- « sionem. Consultum idcirco erit, ut antequam haec « poena infligatur, probationes illius, quantumvis extra- « iudicialiter et secreto, colligantur; ita ut eo ipso quod « cum omni certitudine culpabilitatis in punitione in- « ferenda procedatur, si deinceps causa examinanda « sit apud Apostolicam Sedem, probationes criminis in « eas difficultates haud impingant, quae, ut plurimum, « occurrunt in istiusmodi iudiciis.

« XI. – A decreto suspensionis ex informata con- « scientia non datur appellatio ad tribunal superioris « ordinis. Postquam idcirco clericus intimationem su- « spensionis habuerit, si nihilominus appellationem in- « terponere, eiusque obtentu, in altari ministrare, seu « quovis modo suum ordinem solemniter exercere prae- « sumat, statim incidit in irregularitatem.

« XII. – Semper tamen patet aditus ad Aposto- « licam Sedem; et in casu quo clericus absque suffi- « cienti ac rationabili causa se hac poena mulctatum « reputet, recurrere poterit ad Summum Pontificem. « Interim tamen in vigore permanet decretum suspen- « sionis, usque dum ab ipso Pontifice, vel a Sacra « Congregatione, quae de recursu iudicare debet, non « fuerit rescissum, aut etiam moderatum.

« XIII. – Caeterum, ex quo istiusmodi poena est re- « medium omnino extraordinarium, quod praesertim ad « expiationem criminum absque formis iudiciariis adhi- « betur; prae oculis habeant Praelati, id quod sapien- « tissime admonet Summus Pontifex s. m. Benedi- « ctus XIV, in suo tractatu de Synodo Dioecesana,

« libro XII, c. 8, n. 6; quod nimirum reprehensibilis « foret Episcopus, si in sua Synodo declararet, se dein- « ceps, ex privata tantum scientia, poena suspensio- « nis animadversurum in clericos, quos graviter de- « liquisse compererit, quamvis eorum delictum non « possit in foro externo concludenter probari, aut illud « non expediat in aliorum notitiam deducere ».

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TITULUS XVI.

DE PROMULGATIONE ET EXECUTIONE DECRETORUM CONCILII

CAPUT UNICUM.

994. Omnia et singula, quae in hoc Concilio Plenario decreta et sancita sunt, pro necessitatibus Ecclesiae et salute animarum nostris in regionibus, filiali reverentia et obsequentissimo animo Apostolicae Sedi submittimus. Quia vero nulla lex vim obligandi habere potest nisi promulgetur, statuimus, ut, postquam a Sancta Sede decreta huius Concilii expensa et recognita fuerint, statim promulgentur; atque decernimus, ut, elapso anno ab hac solemni promulgatione, vim suam obligatoriam et plenarios effectus per universas Americae Latinae Ecclesias habere et obtinere debeant, veluti si promulgata essent in singulis dioecesibus, vicariatibus, praefecturis et missionibus.

995. Si prudens dubium aut gravis difficultas in alicuius decreti vel aliquorum decretorum executione et interpretatione oriatur, in iis quae substantiam et vigorem ipsorum decretorum nullatenus respiciunt, solutio a Metropolitanis, vel etiam a respectivis Episcopis, si agatur de rebus minoris momenti, erit petenda. In reliquis vero ad Sacram Congregationem Negotiis Ec-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

clesiasticis Extraordinariis praepositam omnino recurrendum erit.

996. Nulla privata versio decretorum huius Concilii Plenarii, sive totalis, sive unius tantum et integri tituli, permittatur aut toleretur. Si vero versio totalis vel partialis necessaria iudicetur, accuratissime fiat, et nonnisi obtenta expressa licentia Sanctae Sedis in lucem edatur [1].

997. In omnibus et singulis archiviis uniuscuiusque dioecesis, parocciae et ecclesiae publicae, habeatur unum saltem exemplar decretorum huius Concilii Plenarii, in pastorali visitatione Episcopo seu Visitatori exhibendum et in inventario adnotandum.

998. Leges et consuetudines etiam immemorabiles, sive provinciales, sive dioecesanae, sive locales, quocumque demum nomine designentur, etsi speciali mentione dignae dicantur vel censeantur, decretis huius Plenarii Concilii quomodolibet contrariae, omnino abrogatae et sublatae habeantur, salvis indultis a Sancta Sede concessis, salvoque iure recurrendi ad ipsam Sanctam Sedem Apostolicam.

[1] Qua in re prae oculis habenda est prudentissima haec norma, circa versiones Concilii Tridentini tradita, die 2 Iulii 1629: « Proposito « articulo de ordine SSmi D. N. a Congr. de Prop. Fide remisso: *An « translationes S. Conc. Tridentini in alias linguas sint permissae, an « potius comprehendantur in Constitutione fel. rec. Pii IV prohibente « illius interpretationes et glossas;* S. C. Cardinalium Concilii Tridentini « interpretum censuit translationes eiusdem Concilii Tridentini de lingua « latina in gallicam, vel alias linguas esse prohibitas, ideoque significandum S. Congregationi Indicis, ut omnino prohibeat translationes « huiusmodi factas, quae absque speciali auctoritate huius S. Sedis Apostolicae impressae sint » (*Collectanea S. C. de Prop. Fide* pag. 765, n. 1867).

Quibus omnibus et singulis Nos omnes huius Concilii Plenarii Latino-Americani Patres consentientes et definientes subscribimus:

Ritus Archiepiscopus Praeses ac Delegatus Apostolicus huius ultimae sessionis:

† Ego EMMANUEL Archiepiscopus Limanus, definiens subscripsi.

Ritu Archiepiscopi Praesides ac Delegati Apostolici aliarum sessionum:

† Ego HIERONYMUS Archiep. S. Salvatoris, Primas in Brasilia, definiens subscripsi.

† Ego MARIANUS Archiep. S. Iacobi de Chile, definiens subscripsi.

† Ego BERNARDUS Archiep. Bogoten., definiens subscripsi.

† Ego HYACINTHUS Archiep. de Linares, definiens subscripsi.

† Ego EULOGIUS GREGORIUS Archiep. Antequeren., definiens subscripsi.

† Ego PROSPER MARIA Archiep. Mexican., definiens subscripsi.

† Ego PETRUS RAPHAEL Archiep. Quiten., definiens subscripsi.

† Ego IULIUS Archiep. Portus Principis, definiens subscripsi.

† Ego IACOBUS Archiep. de Durango, definiens subscripsi.

† Ego ULADISLAUS Archiep. Bonaeren., definiens subscripsi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

† Ego Marianus Archiep. Montisvidei, definiens subscripsi.

† Ego Ioachim Archiep. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, definiens subscripsi.

Rñi Episcopi:

† Ego Ignatius Ep. S. Ludovici Potosien., definiens subscripsi.

† Ego Bernardus Augustus Ep. S. Iosephi de Costarica, definiens subscripsi.

† Ego Claudius Ep. S. Petri Fluminis Granden., definiens subscripsi.

† Ego Ioachim Ep. Fortalexien., definiens subscripsi.

† Ego Raphael Ep. Queretaren., definiens subscripsi.

† Ego Fr. Reginaldus Ep. Cordúben. in America, definiens subscripsi.

† Ego Fr. Iosephus Maria O. M. Ep. Saltillen., definiens subscripsi.

† Ego Ismael Ep. Punien., definiens subscripsi.

† Ego Placidus Ep. SS. Conceptionis, definiens subscripsi.

† Ego Florentius Ed. Ep. Serenen., definiens subscripsi.

† Ego Emmanuel Ep. Olinden., definiens subscripsi.

† Ego Silverius Ep. Mariannen., definiens subscripsi.

† Ego Eduardus Ep. Goyasen., definiens subscripsi.

† Ego Ioachim Ep. Medellen., definiens subscripsi.

† Ego Antonius M. Ep. de Guayana, definiens subscripsi.

† Ego Paulus Ep. Tucumanen., definiens subscripsi.

† Ego Emmanuel Ep. Popayanen., definiens subscripsi.

† Ego Athenogenes Ep. Colimen., definiens subscripsi.

† Ego Rudesindus Ep. Paranen., definiens subscripsi.

† Ego Ignatius Ep. Tepicen., definiens subscripsi.

† Ego Ioannes Antonius Ep. Cuschen., definiens subscripsi.

† Ego Io. M. Alexander Ep. Caiesen., definiens subscripsi.

† Ego Iosephus Ep. Chihuahuen., definiens subscripsi.

† Ego Ioannes Augustinus Ep. S. Fidei, definiens subscripsi.

† Ego Marianus Antonius Ep. de Plata, definiens subscripsi.

† Ego Franciscus Ep. Petropolitan., definiens subscripsi.

† Ego Iosephus Laurentius Ep. Amazonum, definiens subscripsi.

† Ego Iosephus Ep. Curytuben. de Paraná, definiens subscripsi.

† Ego Antonius Raymundus Ep. Emeriten. in Indiis, definiens subscripsi.

† Ego Antonius Em. Ep. de Belém de Pará, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes Symphorianus Ep. de Paraguay, definiens subscripsi.

† Ego Stephanus Ep. Tolimen., definiens subscripsi.

† Ego Franciscus Ep. Cuernavacen., definiens subscripsi.

† Ego Emmanuel Ep. de Arequipa, definiens subscripsi.

† Ego Evaristus Ep. Socorren., definiens subscripsi.

† Ego Franciscus Ep. Tabasquen., definiens subscripsi.

† Ego Petrus Ep. Carthaginen. in Indiis, definiens subscripsi.

† Ego Mathias Ep. Salten., definiens subscripsi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

† Ego Raymundus Angelus Ep. S. Caroli Ancudiae, definiens subscripsi.

† Ego Homobonus Ep. Sinaloen., definiens subscripsi.

Notarii Concilii:

Franciscus Orozco Jimenez, Notarius Concilii.
Eduardus Ribault, Proton. Apost., Notarius Concilii.
Leopoldus Ruiz, Notarius Concilii.
Benedictus de Souza, Notarius Concilii.
Albertus Reyes, Notarius Concilii.
Georgius Inda, Notarius Concilii.
Emmanuel Maria Polit, Notarius Concilii.
Carolus Garcia Irigoyen, Notarius Concilii.
Nicolaus Navarro, Notarius Concilii.

Romae, die nona Iulii anni millesimi octingentesimi nonagesimi noni.

Finis.

INDEX

Litterae Apostolicae quibus Decreta Concilii Plenarii Americae Latinae publicantur et promulgantur VII

ACTA CONCILII.

Litterae Apostolicae Indictionis Concilii Plenarii Americae Latinae. XIII
Litterae circulares S. Congregationis Concilii ad Ordinarios dioecesanos Americae Latinae universae de plenario Concilio . . XV
Litterae Patrum Concilii ad SSmum D. N. Leonem Papam XIII. XVI
SS. D. N. Leonis PP. XIII responsio. XVIII

CAEREMONIALE CONCILII.

Methodus servanda in Concilio Plenario Episcoporum Americae Latinae Romae in aedibus Collegii P. L. Americani ex auctoritate Leonis XIII Pont. Max. anno MDCCCIC celebrandi.
Monitum XIX
De iis quae Concilio antecedunt. XIX
De Congregationibus Praeparatoriis XXI
De Congregationibus Generalibus XXI
Sessio Prima XXII
Sessio Secunda. XXX
Sessio Tertia XXXIII
De Solemnibus Exequiis pro omnibus Episcopis defunctis Americae Latinae XXXV
Continuatio Sessionis ultimae post Vesperas ad Concilium dimittendum XXXV

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

† Ego Raymundus Angelus Ep. S. Caroli Ancudiae, definiens subscripsi.

† Ego Homobonus Ep. Sinaloen., definiens subscripsi.

Notarii Concilii:

Franciscus Orozco Jimenez, Notarius Concilii.
Eduardus Ribault, Proton. Apost., Notarius Concilii.
Leopoldus Ruiz, Notarius Concilii.
Benedictus de Souza, Notarius Concilii.
Albertus Reyes, Notarius Concilii.
Georgius Inda, Notarius Concilii.
Emmanuel Maria Polit, Notarius Concilii.
Carolus Garcia Irigoyen, Notarius Concilii.
Nicolaus Navarro, Notarius Concilii.

Romae, die nona Iulii anni millesimi octingentesimi nonagesimi noni.

Finis.

INDEX

Litterae Apostolicae quibus Decreta Concilii Plenarii Americae Latinae publicantur et promulgantur VII

ACTA CONCILII.

Litterae Apostolicae Indictionis Concilii Plenarii Americae Latinae. XIII
Litterae circulares S. Congregationis Concilii ad Ordinarios dioecesanos Americae Latinae universae de plenario Concilio . . XV
Litterae Patrum Concilii ad SSmum D. N. Leonem Papam XIII. XVI
SS. D. N. Leonis PP. XIII responsio. XVIII

CAEREMONIALE CONCILII.

Methodus servanda in Concilio Plenario Episcoporum Americae Latinae Romae in aedibus Collegii P. L. Americani ex auctoritate Leonis XIII Pont. Max. anno MDCCCIC celebrandi.
Monitum XIX
De iis quae Concilio antecedunt. XIX
De Congregationibus Praeparatoriis XXI
De Congregationibus Generalibus XXI
Sessio Prima XXII
Sessio Secunda. XXX
Sessio Tertia XXXIII
De Solemnibus Exequiis pro omnibus Episcopis defunctis Americae Latinae XXXV
Continuatio Sessionis ultimae post Vesperas ad Concilium dimittendum XXXV

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ELENCHUS PATRUM CONCILII XXXVIII
ELENCHUS OFFICIALIUM CONCILII XL
CONSULTORES CONCILII. XLII

EX ACTIS SESSIONUM ET CONGREGATIONUM.

Sessio solemnis prima XLII
I. De aperiendo Concilio XLVI
II. Decretum de modo vivendi in Concilio . . XLVII
III. Decretum de praeiudicio non afferendo . . XLVII
IV. Decretum de non discedendo et de secreto servando XLVIII
V. Decretum de iudicibus excusationum et causarum personalium in Concilio occurrentium XLVIII
VI. Decretum de professione Fidei XLVIII
CONGREGATIO GENERALIS PRIMA LV
CONGREGATIO GENERALIS SECUNDA LVI
CONGREGATIO GENERALIS TERTIA LVI
CONGREGATIO GENERALIS QUARTA LVII
CONGREGATIO GENERALIS QUINTA LVII
Sessio solemnis secunda. LVIII
CONGREGATIO GENERALIS SEXTA LIX
CONGREGATIO GENERALIS SEPTIMA LIX
CONGREGATIO GENERALIS OCTAVA LX
Sessio solemnis tertia. LXX
CONGREGATIO GENERALIS NONA LXI
CONGREGATIO GENERALIS DECIMA LXI
Sessio solemnis quarta LXI
CONGREGATIO GENERALIS UNDECIMA LXII
CONGREGATIO GENERALIS DUODECIMA LXIII
CONGREGATIO GENERALIS DECIMA TERTIA. . . . LXIII
Sessio solemnis quinta LXIII
CONGREGATIO GENERALIS DECIMA QUARTA . . . LXIV
CONGREGATIO GENERALIS DECIMA QUINTA. . . . LXIV
CONGREGATIO GENERALIS DECIMA SEXTA LXV

Sessio solemnis sexta. LXV
CONGREGATIO GENERALIS DECIMA SEPTIMA . . . LXV
CONGREGATIO GENERALIS DECIMA OCTAVA . . . LXVI
CONGREGATIO GENERALIS DECIMA NONA LXVI
CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA LXVI
CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA PRIMA . . . LXVII
CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA SECUNDA . . LXVII
Sessio solemnis septima. LXVII
CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA TERTIA . . . LXVIII
CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA QUARTA . . . LXVIII
CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA QUINTA . . . LXVIII
CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA SEXTA . . . LXIX
Exequiae Solemnes pro defunctis Episcopis . . LXIX
Sessio solemnis octava LXXXIII
CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA SEPTIMA. . . LXXXIV
CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA OCTAVA . . . LXXXIV
CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA NONA. . . . LXXXIV
Sessio solemnis nona seu ultima LXXXV
ACCLAMATIONES IN FINE CONCILII PLENARII SOLEMNITER CANTATAE A RMO EPISCOPO CUERNAVACENSI, RESPONDENTIBUS OMNIBUS RMIS PATRIBUS LXXXVIII
EPISTOLA SYNODICA AD CLERUM ET POPULUM AMERICAE LATINAE XCI
AUDIENTIA SANCTISSIMI. CI
POSTULATA PATRUM CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE SSMO D. N. LEONI PAPAE XIII EXHIBITA PER S. CONGR. NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS PRAEPOSITAM CVII
POSTULATUM PATRUM CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE SSMO D. N. LEONI PAPAE XIII EXHIBITUM PER SACRORUM RITUUM CONGREGATIONEM. CXI
POSTULATUM PATRUM CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE SSMO D. N. LEONI PAPAE XIII PER SACRAM CONGREGATIONEM CONCILII EXHIBITUM. CXVII
INSTRUCTIO CIRCA CONVENTUS EPISCOPORUM AMERICAE LATINAE. CXIX

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DECRETA CONCILII.

DECRETUM DE CONSECRATIONE CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE SACRATISSIMO CORDI IESU ET IMMACULATAE VIRGINI MARIAE 3
Ad Sacratissimum Cor Iesu, Formula Consecrationis . . 5

TITULUS I.

DE FIDE ET ECCLESIA CATHOLICA.

Caput I. De professione Fidei 9
» II. De Revelatione 11
» III. De Fide 14
» IV. De Fide et Ratione 17
» V. De Deo 21
» VI. De cultu Deo et Sanctis exhibendo 25
» VII. De Ecclesia 29
» VIII. De Romano Pontifice 34
» IX. De Societate domestica 42
» X. De Societate civili 44
» XI. De Ecclesia et Statu 48

TITULUS II.

DE FIDEI IMPEDIMENTIS ET PERICULIS.

Caput I. De praecipuis aetatis nostrae erroribus . . . 53
» II. De pravis libris et ephemeridibus 61
» III. De scholis acatholicis et neutris 68
» IV. De conversatione cum acatholicis 71
» V. De ignorantia in rebus fidei et morum . . . 75
» VI. De superstitionibus 79
» VII. De secta Massonica aliisque sodalitatibus illicitis 82

TITULUS III.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

Caput I. De Episcopis 89
» II. De Metropolitis 102
» III. De Vicario Capitulari 104
» IV. De Vicario Generali 108
» V. De Canonicis 110
» VI. De Consultoribus seu Assessoribus Episcoporum 115
» VII. De Examinatoribus Synodalibus 117
» VIII. De Vicariis Foraneis 118
» IX. De Parochis et de regestis parochialibus . . 121
» X. De Vicariis seu Coadiutoribus parochialibus . 126
» XI. De caeteris Rectoribus seu Cappellanis . . . 128
» XII. De aliis Sacerdotibus 129
» XIII. De Synodo Provinciali et Dioecesana . . . 131
» XIV. De Regularibus 134
» XV. De Monialibus seu Mulieribus Votorum solemnium 143
» XVI. De Institutis Votorum simplicium 150

TITULUS IV.

DE CULTU DIVINO.

Caput I. De sacrosancto Missae sacrificio 159
» II. De cultu Sanctissimi Sacramenti et Sacratissimi Cordis Iesu 169
» III. De cultu Beatae Mariae Virginis 176
» IV. De cultu Sanctorum et de Indulgentiis . . . 177
» V. De Sacris Imaginibus et Reliquiis 182
» VI. De Festis de praecepto 186
» VII. De Abstinentia et Ieiunio 190
» VIII. De Sacris Ritibus et de Rituali 193
» IX. De Musica sacra 195
» X. De praecipuis devotionis exercitiis 198
» XI. De devotionis exercitiis non approbatis. . . 200
» XII. De exequiis et suffragiis pro defunctis . . . 202

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TITULUS V.

DE SACRAMENTIS.

Caput I. De Sacramentis in genere 207
» II. De Baptismo. 211
» III. De Confirmatione 222
» IV. De SS. Eucharistiae Sacramento 226
» V. De Poenitentia 235
» VI. De Extrema Unctione 245
» VII. De Ordine 251
» VIII. De Matrimonio 255

TITULUS VI.

DE SACRAMENTALIBUS.

Caput unicum 263

TITULUS VII.

DE INSTITUTIONE CLERICORUM.

Caput I. De electione et praeparatione puerorum ad statum clericalem in Seminario. 265
» II. De minoribus Seminariis. 267
» III. De Seminariis dioecesanis maioribus. . . . 269
» IV. De examine iuniorum sacerdotum. 273

TITULUS VIII.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

Caput I. De Clero dioecesano 275
» II. De Clericis seu Sacerdotibus alienae dioecesis. 276
» III. De Sacerdotibus infirmis. 277
» IV. De delatione habitus et tonsurae 278
» V. De rebus Clericis prohibitis. 280

Caput VI. De pietate Clericorum 286
» VII. De exercitiis spiritualibus 289
» VIII. De collationibus seu conferentiis theologico-liturgicis 291

TITULUS IX.

DE CATHOLICA INSTITUTIONE IUVENTUTIS.

Caput I. De Scholis primariis 293
» II. De Scholis secundariis 300
» III. De Universitatibus et Facultatibus studiorum maiorum 304

TITULUS X.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Caput I. De sacra Praedicatione 309
» II. De Catechismo 313
» III. De catechistis ruralibus 315
» IV. De sacris missionibus ad populum et de spiritualibus exercitiis 316
» V. De libris precum 317
» VI. De libris catholicae et honestae lectionis . . 318
» VII. De ephemeridibus catholicis 320
» VIII. De scriptoribus catholicis 322
» IX. De examinatoribus seu censoribus librorum. . 325

TITULUS XI.

DE ZELO ANIMARUM ET CARITATE CHRISTIANA.

Caput I. De vitiis extirpandis 329
» II. De varia personarum conditione 336
» III. De sacris missionibus apud infideles. . . . 339
» IV. De piis Sodalitiis 342
» V. De Institutis caritatis. 348
» VI. De Denario Sancti Petri 349

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Caput VII. De Seminario Pio-Latino-Americano Urbis fovendo et sustinendo 350
» VIII. De collectionibus eleemosynarum ab Ecclesia commendatis 351

TITULUS XII.

DE MODO CONFERENDI ECCLESIASTICA BENEFICIA.

Caput I. De subiecto Beneficiorum 355
» II. De Beneficiis parochialibus 359
» III. De lege concursus 362

TITULUS XIII.

DE IURE ECCLESIAE ACQUIRENDI ET POSSIDENDI BONA TEMPORALIA.

Caput I. De iure Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia 363
» II. De bonis mobilibus 365
» III. De bonis immobilibus 369
» IV. De administratione bonorum ecclesiasticorum . 374
» V. De taxa dioecesana et parochiali, vulgo «Arancel» 377
» VI. De stipendiis Missarum 379
» VII. De alienatione bonorum ecclesiasticorum et de contractibus prohibitis 381

TITULUS XIV.

DE REBUS SACRIS.

Caput I. De Ecclesiis 383
» II. De sacra supellectili 396
» III. De Coemeteriis 402

TITULUS XV.

DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS.

Caput I. De Curiis episcopalibus et earum Officialibus. 409
» II. De modo procedendi in causis matrimonialibus. 412
» III. De modo procedendi in causis Clericorum . . 423
» IV. De suspensione ex informata conscientia . . 433

TITULUS XVI.

DE PROMULGATIONE ET EXECUTIONE DECRETORUM CONCILII.

Caput unicum 439

Subscriptiones Rñorum Patrum 441

Index alphabeticus 455

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX ALPHABETICUS

A

Abiuratio spiritismi, 164. - Massonismi, 170. - Haereticorum, 504.

Aborigines, 770-774. - Lingua, 547, 548, 619, 627, 772, 773.

Absolutio a censuris, 557, 558.

Abstinentia et Ieiunium, 423-429.

Acatholici. Conversatio, 142-149. - Conversio promovenda, 142, 144, 149. - Vigilantia Pastorum et Parochorum contra pericula, 142-144. - Disputationes publicae, 145. - Communicatio in divinis, 146. - Obstetrices acatholicae, 147. - Famulatus apud acatholicos, 147.

Acta Concilii Plenarii, XIII-CV.

Administratio bon. eccl., 849-858.

Advenae, 767-769.

Aedificia, v. *Bona Ecclesiastica*.

Aegroti. Parochorum cura, 262; v. *Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio*.

Alienatio, 869-871.

Altare privilegiatum, 396.

Americae Latinae decus, prosperitas, gloria, unio, 763; v. *Acta Conc. Plen. (orationes, allocutiones habitae, acclamationes)*.

« Americanismus ». Errores sub hoc nomine, 111.

Amovibilitas parochorum, 822.

Anarchismus, 110.

Apostolatus orationis, 379.

Apparitiones novae, etc. an publicandae, 126.

Appellationes in causis Clericorum, 990. - A suspensione ex informata conscientia. 993.

Appellationes in causis matrim., 951-953.

Appellatio ab abusu, 91.

Archiepiscopus, v. *Metropolitae*.

Artifices, v. *Opifices*.

Avaritia fugienda, 653.

B

« Bailes infantiles », 758. - « Bailes de caridad », 799.

Baptisma, 485-509. - Ubi desunt sacerdotes, 490. - Dilatio, 491. - In utero matris, mortua matre, 492, 503. - Filii infidelium, 493, 494. - Adultorum infidelium, 495, 496. - In privatis locis, 498. - Ritus, 499, 500. Obstetrices baptizantes, 501. - Infantes expositi, 502. - Haereticorum conversorum, 504. - Patrini, 173, 178, 505. - Nomina fabulosa, etc. 506. - Regesta, 507. - Oblatio puerorum B. M. V. 508. - Benedictio mulieris post partum, 509.

Benedictio Nuptialis, 598.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Beneficia ecclesiastica, 809-815. - Parochialia, 816-821. - Privatio parochiae, 820, 821. - Concursus, 822, 823. - Amovibilitas, 822.
Biblia. Normae tenendae et Societates biblicae, 116.
Bibliothecae, v. *Libri*.
Binatio Missae, 348-351.
Bona ecclesiastica, 869. - Ius Ecclesiae acquirendi, 824-828. - Mobilia, 829-834. - Oblationes, 830. - Iura stolae, 831. - Decimae, 832, 833. - Primitiae, 834. - Bona immobilia, 835-848. - Bona fabricae Ecclesiae, 845. - Seminaria, 846. - Domus religiosae, 847. - Hospitalia, 848. - Administratio, 849-858. - Alienatio, 869-871.

C

Caeremoniae, v. *Ritus*.
Cancellarius episcopalis, 933.
Canonici, 226-241; v. *Vic. Capitularis*.
Cantus, v. *Musica sacra*.
Cantus Gregorianus, v. *Musica sacra*.
Capitula canonicorum, 226-240; v. *Vicarii Capitulares*.
Cappellanus, Rector Ecclesiarum non parochialium, 276, 277.
Caritatis Instituta, 790-792.
Catechismus. Numerus, novitas, 155; v. *Doctrina Christiana*.
Catechismus Romanus, 156.
Catechistae in paroeciis, 154. - Rurales, 711.
Cathedraticum, 860.
Causae Matrimoniales, 937-964. - Causae facilis probationis, 952.
Causae Clericorum, 965-991. - Sollicitantium, 991.
Censura, 557, 558.
Chrisma sacrum et S. Oleum, 487.
Chorrae. « Bailes infantiles », 758. - « Bailes de caridad », 799. - Massonum, 172.
Civilis Ordo. Concordia, 764.
Clandestinitas, 956.
Clausura. 310-313. - Episcopalis 334.
Clericorum institutio, 605-630.
Clerici. Vita et honestas. Habitus et tonsura, 639-641. - Res Clericis prohibitae, 642, 656. - Res politicae, 656. - Pietas, 658-662. - Clerici lapsi, 660, 661.
Clerus dioecesanus, 631.
Clerus extradioecesanus, 632-635.
Coadiutores parochiales, Vicarii, seu Vice-Parochi, 270-275.
Coemeteria, 913-929. - Sepulturae privatio, 923, 926. - Pollutio, 924, 928. - Saecularizata, 929.
Collationes seu Conferentiae theologico-liturgicae, 667-672. - Regulares, 298.
Collectiones eleemosynarum, 799-808. - Pro Terra Sancta, 804. - Pro Afris, 805. - Sorores Collectrices, 808.
Collegia, v. *Scholae*.
Coloni, 767-769.
Communicatio pastorum et fidelium cum R. Pontifice, 66, 91.
Communicatio in divinis cum acatholicis, 146.
Communio, v. *Eucharistia*.
Communismus, 110.
Conceptio B. M. V. Immaculata. Consecratio Concilii Plenarii, pag. 3. - Fides, 44, 380.
Concilium Plenar. Americae Latinae. Promulgatio, VII, 994. - Indictio, XIII. - Litterae Patrum ad S. Pontificem, XVI. - Responsio S. Pontificis, XVIII. - Caeremoniale Concilii, XIX seq. - Elenchus Patrum, XXXVIII.

- Elenchus Officialium, XL. - Consultores Concilii, XLII. - Acta sessionum et congregationum generalium, XLII seq. - Aperitio Concilii, XLII. - Allocutio Card. Di Pietro, XLIII. - Sermo Archiepiscopi Montisvidei, XLIX. - Solemnis consecratio Conc. Plen. SS. Cordi Iesu et B. M. V. Immaculatae, LXI, pag. 3. - Exequiae solemnes, LXIX. - Oratio funebris habita ab Episc. S. Ludovici de Potosi, LXIX. - Conclusio Concilii, LXXXV. - Oratio gratulatoria Archiepisc. Limani, LXXXVI. - Acclamationes, LXXXVIII. - Epistola Synodica Patrum Conc. Plen. ad Clerum et populum Americae Latinae, XCI. - Audientia generalis a Leone XIII Patribus concessa, CI. - Observantia decretorum, 994-998. - Versiones decretorum, 996. - Consuetudines contrariae decretis, 998.
Concionator, v. *Praedicatio sacra*.
Concubinatus, 756, 757.
Concursus, 823.
Conferentiae seu Collationes theologico-liturgicae, 667-672. - Regulares, 298.
Confessarius, v. *Poenitentia*.
Confirmatio, 510-520. - Neophytorum, 513. - Locus, pompa, 515. - Patrini, 517. - Sacerdos confirmans ex indulto Pontificio, 518. - Aetas, 520.
Confraternitates, 775-789.
Congregationes Romanae, 186.
Consanguineorum nimius amor, 196, 267, 644.
Consessus Episcopales, 208, 288.
Consultores Episcoporum, 242-246.
Conventiones R. P. cum civilibus Gubernils, 70.
Cor SS. Iesu, 43, 375-379. - Solemnis consecratio Concilii Plenarii, pag. LVIII, LXII et 3. - Hortatio Leonis XIII, CV. - Cor Eucharisticum Iesu, 378.
Cultus Divinus, 37-46. - Publicus 82.
Cultus SS. Cordis Iesu, 43, 375-379.
Cultus SS. Eucharistiae, 42, 362-374.
Cultus Sanctorum, 45, 46, 384-388.
Curia ecclesiastica, eiusque officiales, 195, 930-936.

D

Decreta Concilii Plenarii. Promulgatio, observantia, 994-998.
Defuncti, v. *Exequiae*.
Denarium S. Petri, 793-796.
Deus. Credenda, 27-36.
Devotionis exercitia praecipua, 451-458. - Missa, 451. - Via Crucis, 452. - « Angelus Domini », 453. - S. Familia, 454. - Orat. ante et post prandium, 455. - Peregrinationes, 457. - Novitas, levitas fugienda, 155, 157; 458. - Devotiones non approbatae, 459-463.
Diaria, v. *Ephemerides*.
Dimissoriales. Regularium, 586. - Vicarius Capitularis, 213.
Dispensationes. Facultates S. Sedis, 212.
Divortium. Libri, 127.
Doctrina Christiana, Ignorantia fugienda, 150-157. - Zelus catechistarum, 154, 155. - Novitas fugienda 155, 157, 706-710. - Catechistae rurales, 711.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Doctrinae peregrinae devitandae, 155, 157.
Dos monialium, 328.
Duellum, 761. - Libri, 127.

E

Ebrietas, 754.
Ecclesia Catholica, 13, 47-58.
Ecclesia et Status, 89-96.
Ecclesiae, oratoria, 872-897. - Novae quomodo aedificandae, 874-878. - Consecratio, 882. - Execratio, 883. - Pollutio, 884. - Profana in eis vetantur, 884. - Nitor, 885, 887. - Reparationes, 886. - Altare, 888. - Asservatio SS. Eucharistiae, 889. - Tabernaculum, 890. - Baptisterium, 891. - Confessionalia, 892. - Suggestus, 893. - Sacristia, 894. - Turris, 895. - Oratoria, 896, 897. - Imaginis profanae, 401.
Educatio Christiana, v. *Scholae, Parentes*.
Eleemosynarum collectiones, 795-808.
Encyclicae R. P., 3.
Ephemeridum pravae, 112 seq. - Haeretici auctoris, 115. - Aliquid in ipsis publicare, 120.
Ephemerides catholicae, 723-727.
Episcopi, 179-203. - Dignitas, 179. - Subiectio fidelium, 180-182. - Subiectio Clericorum, 183. - Exemplar obedientiae R. Pontifici et SS. Congregationibus, 184-186. - Episcopi oratoni vacent, 187. - Quoad familiares, 188. - Erga errantes oves, 189, 190. - Praedicatio, 191. - Quoad ordinandos, 192. - Quoad iuventutem, 193. - Quoad Officiales Curiae, 194, 195. - Administratio bonorum, 196. - Quoad cultum divinum, 197. - Quoad Regulares, 198. - Residentia, 199. - Visitatio dioecesis, 200-202. - Visitatio SS. Liminum, 203. - Praesentatio, 92.
Errores praecipui aetatis nostrae, 3, 97-111 etc. - Atheismus, 99. - Materialismus, 100. - Pantheismus, 101. - Rationalismus, 102. - Naturalismus, 103. - Positivismus, 103. - Liberalismus, 104-107. - Indifferentismus, 108. - Protestantismus, 109. - Communismus, Socialismus, Nihilismus, Anarchismus, 110. - « Americanismus », 111. - Vigilantia parochi, 260.
Eucharistiae cultus, 42, 362-374. - Sodalitates, 365. - Expositio, 367. - Oratio XL Horarum, 368. - Processiones, 369. - Asservatio, 370. - Tabernaculum, 371, 372. - Ostensorium, 373.
Eucharistiae Sacramentum, 521-536. - Communio paschalis 523, 524. - Frequentatio, 526, 527. - Puerorum, 528-530. - Viaticum, 531-534. - Sacrificium Missae, 535. - v. *Eucharistiae cultus, Missae Sacrificium*.
Examen iuniorum sacerdotum, 630.
Examinatores Synodales, 247-250.
Examinatores seu Censores librorum, 742-746.
Excardinatio, incardinatio, 632.
Exemptio, v. *Regulares*.
« Exequatur », 91.
Exequiae et suffragia pro defunctis, 464-473. - v. *Coemeteria*.
Exercitia Spiritualia. Clerici, 663-666. - Fideles, 714, 715.
Extrema Unctio, 562-574. - Pueri, 568. - S. Olei asservatio, 569. - Penicillus, 572. - Iteratio, 573. - Regulares, 574.
Exvota seu votorum tabulae, 402.

F

Familia Sacra, 454.
Familia, v. *Societas domestica*.
Famulus, 78, 147.
Fidei occultatio, simulatio, 4. - Fidei depositum, 9. - Fides, 12-17. - Fides et ratio, 18-26. - Fidei professio, 5.
Festa de praecepto, 40, 474-422. - Ubi deest sacerdos, 422.
Fides Catholica, v. *Revelatio*. - Professio Fidei, 5.
Filii erga parentes, 77, 78.
Fiscalis Promotor, 932.
Fraudes, latrocinia, usura, 749-752.
Funera, v. *Exequiae*.

G

Gregorianae Missae, 361.
Guadalupanae B. M. V. memoria in Conc. Plenario pag. LXI, LXXXVIII, et 7.
Gubernium civile, 79-88.

H

Haeretici, v. *Acatholici*.
Hierarchia, 59.
Homicidium, 762.
Hypnotismus, 160.

I

Ignatius Loyola (S.). Exercitiorum norma, 714.
Ignorantia in rebus fidei et morum, 150 seq. - Mater superstitionum, 159.
Imagines sacrae, 46, 399-408. - Remotio, 879. - Serv. Dei non beatif., 880.
Incardinatio, excardinatio, 632.
Indifferentismus, 51, 82, 83, 88, 108, 137.
Indi, v. *Aborigines*.
Indulgentiae, 389-397.
Infallibilitas R. Pontificis, 62.
Instituta. Votorum simplicium, 322-337. - Novae fundationes, 322, 323. - Approbatio S. Sedis, 324. - « Directoria » 309, 324. - « Casa Madre », 325, 326. - Iurisdictio Episcoporum, 327. - Admissio postulantium, 328. - Dos, 328. - Novitiatus, 329. - Dispensatio votorum, 330. - Vota, 331-333. - Clausura episcopalis, 334. - Administratio bonorum, 335, 336. - Regimen, 337.

J

Jesus Christus, v. *Cor Iesu. Eucharistia*.
Jeiunia et abstinentiae, 423-429.
Joseph S. 45, 385, 386. - In Concilio Plen. solemniter celebratus, pag. LXXXIX et 4.
Jus Ecclesiae acquirendi, 58.
Judicia Ecclesiastica, 930-993. - Curia episcopalis, 930-937.

L

Laici, v. *Scriptores catholici, Ephemerides*.
Legati Apostolici, Nuntii, 67, 68.
Liberalismus, 104-107.
Libertas Ecclesiae, 66.
Libertates abusivae, 98, 104-108.
Libri pravi, 112-133. - Notitia prohibitionis, 128. - Ordinarii quosnam prohibere debent, 129. - Normae quoad expresse non prohibitos, 129, 130. - « Novelas », « Romances », quid, 132. - Cooperatio, 132. - Massonici, 171.
Libri liturgici, 117.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Libri ascetici, morales, theologici, quoad impressionem, 118.
Libri precum, 716, 717.
Libri catholici, honesti, 718-722.
Licentia Episcopi quoad edit. librorum, 118, 126, 133.
Linguae indorum peritia, 547, 548, 619, 627, 772, 773.
Ludus, 753.
Luxuria, 755, 759.

M

Maria B. V. Cultus, 44, 380-383. - Rosarium, 382, 383. - Consecratio et invocatio solemnis in Concilio Plenario, pag. LXI, LXXVIII et 3.
Magnetismus, 160.
Massonismus, 166-178. - Pessimus ubique etiam in regionibus nostris, 168. - Coryphei denuntiandi, 169. - Abiuratio necessaria, 170. - Chorcae, solatia, 172. - Patrini, 173. - Assistentia in forma officiali ecclesiasticis caeremoniis, 171. - Matrimonia, 175. - Sepultura, 176. - Sectae affines, 177.
Materialismus, 100.
Matrimonium, 76, 587-600. - Denuntiationes, 595. - Mixtum, 591. - Sponsalia, 592. - Dispensationes, 596. - Benedictio nuptialis, 598. - Regesta, 599. - Causae Matrimoniales, 937-964.
Mesmerismus, 160.
Metropolitae, 204-208. - Conventus Episcopales, 208, 288.
Michael Archangelus (S.), 387.
Missae sacrificium, 338-361. - Praeparatio, 338-342. - Ritus, 343. - Locus, 344. - Altare, 345. - Paramenta, 346. - Hostiae, 347. - Binatio, 348-351. - Die Commem. Omnium Fidel. Defunctorum, 348. - Tempus, 352. - Duo ministri, quatuor candelae quibus licent, 353. - Thurificationes, 354. - Pro populo, 357, 358. - Expositio fructus etc., 359. - Sacerdotes peregrini, 360. - v. *Stipendia, Supellex sacra.*
Missae Gregorianae, 361.
Missiones ad populum, 712-715.
Missiones apud infideles, 770-774.
Moniales seu mulieres votorum solemnium, 306-321. - Regulae et mutatio regularum, 307, 308. - « Directoria », « Manualia », 309. - Clausura, 310-313. - Confessionalia, 314, 315. - Confessarii, 316. - Vota, v. *Virtutes*, 317. - Bona temporalia, 318. - Numerus, 319. - Vita communis, 320. - Exploratio voluntatis novitiarum, 321. - Quoad Sorores votorum simplicium, v. *Institula votorum simplicium.*
Naturalismus, 103.
Nigri, v. *Aborigines.*
Nihilismus, 110.

O

Obedientia, 53, 55, 57, 63, 70, 71, 84, 86.
Oblationes, 830.
Offices, 765, 769; v. *Adveuae.*
Ordinis Sacramentum, 575-586. - Titulus ordinationis, 582. - Subditus proprius, 583. - Interstitia, 585. - Regulares, 586.

P

Pantheismus, 101.
Paramenta, v. *Supellex sacra.*
Parentes erga filios, 77, 78. - Educatio filiorum civica seu libera, 137. - Educatio Christiana in scholis, 135-139.
Parochi, 256-269. - Prudenter eligendi, 256. - Officia praecipua, 258. - Residentia, 259. - Vigilantia, 260. - Sacramenta, 261. - Moribundorum cura, 262. - Praedicatio, 263. - Templa, cultus divinus, 264. - Bona ecclesiastica, 265. - Caritas erga miseros, 266. - Avaritia, 267. - Regesta, 268. - Coadiutor in absentia, 269. - Coadiutores Parochorum, 270-275. - Missa pro populo, 357, 358. - Binatio, 348-351. - Quoad Indos, 548.
Patrini, v. *Baptisma, Confirmatio, Massones.*
Pietatis exercitia, v. *Devotionis exercitia.*
Poenitentiae Sacramentum, 537-561. - Annua confessio, 543, 544. - Pueri, 545. - Navigantes, 546. - Lingua indigenarum, 547-548. - Locus, 549. - Peccata et censurae reservata, 557, 558. - Acatholici conversi, 559. - Sollicitantes, 560 - Absol. complicis 561.
« Placitum regium », 66, 91.
Politica christiana, 87, 88.
Pontifex Romanus, 59-73.
Portiuncula, 397.
Positivismus, 103.
Praedicatio sacra, 698-705.
Principes, 53, 55, 57, 58, 66, 80, 81, 84-86, 764.
Principatus civilis R. P., 72, 73.
Professio Fidei, 1-5, 17.
Progressus, 7, 26.
Promulgatio decr. Concilii, 994.
Protestantismus, 109. - v. *Acatholici.*

Q

Quadragesima, v. *Jeiunia et abstinentiae.*
Quadraginta Horarum oratio, 368.

R

Ratio, 6, 12, 16. - Fides et Ratio, 18-26.
Rationalismus, 102.
Rector ecclesiae non parochialis, v. *Cappellanus.*
Regesta parochialia, 268.
Regulares, 198, 289-305. - Suppressio, 289, 290. - Observantia, 291. - Normae pro suppressis, 292, 293. - Restauratio, 294. - Exemptio, 295-297. - Quoad conferentias et Synodum, 298. - Quoad parochias, 299. - Quoad coemeteria, 300. - Quoad fundationes, 301. - Quoad Ordines suscipiendos, 303. - In plurimis subiacent Episcopis, 304. - Concordia utriusque Cleri, 305. - Quoad dimissoriales, 586. - Quoad religiosos votorum simplicium, v. *Institula votorum simplicium.*
Reliquiae, 409-413.
Revelatio, 6-11, 12, 13, 18-26.
Rituale, 437, 438.
Ritus et Rituale, 430-438.
Rosarium, v. *Maria.*
Rubricae et Ritus, 430-438.

S

Sacramenta in genere, 474-484.
Sacramentalia, 601-604.
SS. Sacramentum, v. *Eucharistia, Missae sacrificium.*
Sancti et Beati Americae Latinae in Concilio Plen. invocati, celebrati, pag. LXXXIX, XCVIII et 4.
Sacerdotes non habentes officium parochiale, 278-280. - Examen iuniorum, 630. - Infirmi, 636-638. - Regulares saecularizati, 633. - Alienae dioecesis, 632-635. - v. *Clerici.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Saecularizati regulares, 633.
Sanctorum cultus, 45, 46, 384-388.
Scapularia, 398.
Scholae catholicae fovendae, 140, 141.
Scholae primariae, 673-685.
Scholae secundariae, 686-691.
Scholae acatholicae, neutrae, laicales, mixtae, 134-141.
Scientia libera, 11, 23-26.
Scriptores catholici, 57, 133, 728-741.
Scriptura sacra, 2, 8, 10, 11, 116, 124.
Seminaria Clericorum, 609, 846. - Minora, 612-622. - Maiora, 623-629.
Seminarium Pio-Latino-Americanum, 797, 798.
Seminaristicum, 860.
Sepultura, v. *Coemeterium, Exequiae.*
Socialismus, 110.
Societas civilis, 79-89-96.
Societas domestica, 74-78.
Societates biblicae, 116.
Sodalitia, Sodalitates, v. *Confraternitates.*
Somnambulismus et clara intuitio, 162.
Sorores, v. *Instituta vot. simpl.*
Spiritismus, 163, 164. - Libri, 125.
Status et Ecclesia, 89-96.
Stipendia Missarum, 863-868.
Subsidium caritativum, 861.
Suicidium, 760. - Libri, 127.
Supellex sacra, 898-912. - Calices, 899 - Pyxis, 900. - Ostensorium, 901. - Vestes sacrae, 902, 911, 912 - Lintea, 904. - Cingula, 905 - Planetae etc. 906. - Color paramentorum, 907, 908. - Bursa, 909 - Benedictio, 910.
Superstitio, 158-165. - Remedium, 159. - Libri, 125.
Suspensio ex informata conscientia, 992, 993.
Syllabus, 5.
Synodus Dioecesana et Provincialis, 281-288.

T

Taxa dioecesana, 859-862.
Templa, v. *Ecclesiae.*
Tertius Ordo S. Francisci etc., 788, 789.
Turpiloquium, 759.
Tyrannus, 81.

U

Universitates, 692-697.
Usura, 749.

V

Versio decret. Concilii Plenarii, 996.
Vestes sacrae, v. *Supellex sacra.*
Vicarius Capitularis, 209-218.
Vicarius Generalis, 219-225.
Vicarii Foranei, 251-255, 935, 936.
Vicarii Parochorum, v. *Coadiutores.*
Vitia extirpanda, 747-762. - Spiritus inobedientiae, 748. - Fraudes, latrocinia, usura, 749-752. - Ludus, 753. - Ebrietas, 754. - Luxuria, 755. - Concubinatus, 756-757. - « Bailes infantiles », 758. - Turpiloquium, 759. - Suicidia, duella, homicidia, 760-762.
Volterianismus, 130.
Vota, v. *Regulares, Moniales, Instituta vot. simpl.*

Z

Zelus, 38.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS